



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Pars Qvinta. De Sacramentis In Genere, Ac In Specie De Baptismo,
Confirmatione, Eucharistia, Extrema Unctione, & Ordine.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

CURSUS
THEOLOGICO-MORALIS

P. DOMINICI VIVA

SOCIETATIS JESU

Tomus Posterior.

PARS QUINTA.

DE SACRAMENTIS.

CUR S U S

THEOLOGICO-MORALIS

P. DOMINICI VIVA

SOCIETATIS IESU

Tomus Tertius

PARS PRIMA

DE SACRAMENTIS

CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Tomus Posterior

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat
DE SACRAMENTIS, & CENSURIS,
Ad usum Tyronum elucubratus.

Et in Quotidianis Prælectionibus

A P. DOMINICO VIVA

SOCIETATIS JESU
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE

Suis Auditoribus Traditus

*In Palestra Collegii Neapolitani ejusdem Societatis,
Cupientibus, atque instantibus Theologiæ Moralis Candidatis,*

IN LUCEM PUBLICAM EDITUS,

*Collegii
Salsomano* AC DICATUS *Societatis Jesu*

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

D. MARCO ANTONIO
BORGHESIO

SULMONÆ PRINCIPI, ac ROSSANI, PROREGI
JAM NEAPOLITANO, &c.

PARS QUINTA.

DE SACRAMENTIS IN GENERE,
AC IN SPECIE

De Baptismo, Confirmatione, Eucharistia,
Extrema Unctione, & Ordine.



PATAVII, Ex Typographia Seminarii, MDCCXXIII.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

INDEX

QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM,

Qui in hoc Tractatu

DE SACRAMENTIS

Continentur.

QUÆSTIO PRIMA.

De Sacramentis in genere.

2

- ART. I. *Quid, & quotuplex sit Sacramentum, tam antiquæ Legis, quam novæ?* ibid.
- ART. II. *De necessitate Sacramentorum.* 7
- ART. III. *De Materia, & Forma Sacramentorum.* 9
- ART. IV. *De Causa efficiente Sacramentorum.* 17
- ART. V. *De primario effectu Sacramenti, qui est Gratia.* 32
- ART. VI. *De secundario Sacramentorum effectu, qui est Character.* 41
- ART. VII. *De suscipiente Sacramentum.* 44
- ART. VIII. *De reliquis ad Sacramenta in genere spectantibus.* 51.

QUÆSTIO II.

De Baptismo.

56

- ART. I. *Quid, & quotuplex sit Baptismus?* ib.
- ART. II. *De Institutione, & necessitate Baptismi.* 60
- ART. III. *De Materia Baptismi.* 62
- ART. IV. *De Forma Baptismi.* 64
- ART. V. *De Baptismi Ministro.* 66
- ART. VI. *De Subiecto Baptismi.* 68
- ART. VII. *De Effectibus, & Ritibus Baptismi.* 72

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Confirmatione.

ART. I. De Materia, & Forma Confirmationis.	75
ART. II. De Ministro, & Subjecto Confirmationis.	76
ART. III. De Effectibus, & Ritibus hujus Sacramenti.	79
	82

QUÆSTIO IV.

De Eucharistia ut Sacramento.

ART. I. Quid, & quotuplex sit, & quando institutum Eucharistia Sacramentum?	83
ART. II. De necessitate Eucharistia, & obligatione illam sumendi.	84
ART. III. De Eucharistia materia.	89
ART. IV. De forma Sacramenti Eucharistici.	96
ART. V. De Effectibus Sacramenti Eucharistici.	105
ART. VI. De suscipiente Eucharistiam. Quinam sit illius capax?	111
ART. VII. De dispositione ex parte animi ad Eucharistiam requisita.	117
ART. VIII. De Dispositione ex parte corporis ad Eucharistiam requisita.	120
ART. IX. De tempore, loco, & aliis ad Eucharistiam spectantibus.	128
ART. X. De Ministro Eucharistia.	134
	137

QUÆSTIO V.

De Eucharistia ut Sacrificio.

ART. I. Quid sit Missa Sacrificium?	147
ART. II. Quanam sint partes essentielles nostri Sacrificii? Quanam res oblata, & quis sit Offerens?	148
ART. III. De Effectibus hujus Sacrificii; Ubi an sit valoris infiniti?	150
	153
ART. IV.	

ART. IV. <i>A quibus, & quomodo hujus Sacrificii fructus parteci- pari possint?</i>	159
ART. V. <i>De Ministro hujus Sacrificii.</i>	164
ART. VI. <i>De tempore, loco, & aliis circumstantiis Sacrificii.</i>	170.
ART. VII. <i>De Ritu in Celebratione servando.</i>	181
ART. VIII. <i>De Missæ Stipendio.</i>	187

QUÆSTIO VI.

De Extrema Unctione. 195

ART. I. <i>De Materia, & Forma Extremae Unctionis.</i>	196
ART. II. <i>De Ministro hujus Sacramenti.</i>	199
ART. III. <i>De Subjecto Extremae Unctionis.</i>	201
ART. IV. <i>De Effectibus Extremae Unctionis.</i>	203

QUÆSTIO VII.

De Sacramento Ordinis. 205

ART. I. <i>Quid, & quotuplex sit Ordo?</i>	ibid.
ART. II. <i>De Materia, & Forma singulorum Ordinum.</i>	209
ART. III. <i>De Ministro Ordinum.</i>	214
ART. IV. <i>De Subjecto Ordinum.</i>	225
ART. Ultimus. <i>De Effectibus Ordinum.</i>	228

JOANNES BAPTISTA GRIMALDI

Præpositus Provincialis

SOCIETATIS JESU

In Regno Neapolitano.

CUM Librum, cui titulus est; **CURSUS THEOLOGICO-MORALIS** quoad ea, quæ Moralibus Theologia disputat De **SACRAMENTIS, & CENSURIS**, a P. Dominico Viva Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint: facultate nobis ab Adm. Rev. P. Nostro Michaeli Angelo Tamburino Præposito Generali communicata concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas dedimus.

Neapoli die 20. Novembris Anno 1721.

Joann. Baptista Grimaldi.

CUR-

I

CURSUS

THEOLOGICO-MORALIS

Ad Usum Tyronum elucubratus.

DE SACRAMENTIS.

P A R S P R I M A.

Prooemium.



Sacramentum, ut notat Bellarmin., idem sonat, ac
Mysterium; & in Sacris Bibliis trifariam sumitur;
Primo scilicet pro re arcana, & occulta; ut cum
dicitur prim. ad Cor. 13. *Si noverim mysteria omnia,*
& Matth. 13. *Vobis datum est nosse mysterium Regni Dei.*
Secundo pro signo rei arcanae, ut cum Apost. prim. ad Ephes. conjugium Proto-
parentum vocavit *Sacramentum magnum*, eo quod sit signum con-
junctionis Christi cum Ecclesia sua sponsa, sicut etiam cum dicitur
Daniel. 2. *Mihi Sacramentum hoc revelatum est*, videlicet quid
statua Nabuchodonosor significet. Tertio ad rem nostram sumitur
pro Cæremonia Sacra, seu pro signo rei sacrae, & occultae,
non cuiuscumque, sed per quam homo sacraatur, & initiatur Deo.
Nos de Sacramentis in hac acceptione acturi, missis iis, quæ in
Scholastica Theologia abunde diximus, ad speculationem potius,
quam ad praxim pertinentibus; Primo agemus de Sacramentis in
genere; Secundo in specie de Sacramento Baptismi; Tertio de
Confirmatione; Quarto de Eucharistia, in quantum Sacramen-
tum est. Quinto de Eucharistia, in quantum est sacrificium. Sex-
to de Extrema Unctione. Septimo de Ordine. Nam tam Sacramen-
to Pœnitentiæ, quam Matrimonii solidus deinde annuus tra-
ctatus assignabitur.

Pars V.

A QUÆ.

Q U Æ S T I O I.

De Sacramentis in genere.

Discutiemus primo, Quid, & quotuplex sit Sacramentum, tam in veteri, quam in nova lege? Secundo agemus de Sacramentorum necessitate. Tertio de eorum materia, & forma. Quarto de causa efficiente Sacramentorum, & de conditionibus ad illam requisitis. Quinto de primario illorum effectu, qui est gratia. Sexto de Charactere, qui est effectus secundarius. Septimo de suscipiente, seu de subiecto Sacramentorum. Octavo de reliquis ad Sacramenta in genere spectantibus, videlicet de Ritu, & Cæremoniis, quibus ministrari debeant Sacramenta; necnon de eorum numero, ordine, ac differentia a Sacramentalibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit Sacramentum, tam antiquæ Legis, quam novæ?

- I. Sacramenti definitio explicatur.
- II. Differt Sacramentum a Sacramentalibus, & a Sacrificio.
- III. Tripliciter est signum, Rememorative, Demonstrative, & Prognostice.
- IV. In statu naturæ innocentis nulla fuerunt Sacramenta; fuerunt tamen in statu naturæ lapsæ.
- V. De Sacramentis in statu legis scripta.
- VI. In quibus differant Sacramenta legis veteris a Sacramentis novæ legis?
- VII. Quonam pacto Circumcisio gratiam contulerit?
- VIII. Reliqua veteris legis Sacramenta Sanctitatem dumtaxat legalem conferbant.

I. Sacramentum juxta communem definitionem, est visibile signum gratiæ invisibilis ad homines sanctificandos divinitus institutum. Dicitur si-

gnum visibile, seu sensibile; cum enim institutum sit a Deo ad homines sanctificandos, debuit esse signum sensibile, ut iis conformetur. Dicitur gratiæ invisibilis, quia non omne signum sacrum est Sacramentum, nisi significet aliquatenus perfectionem Sanctitatis humanæ, quæ est gratia sanctificans. Dicitur ad homines sanctificandos, quia signum hoc debet esse practicum, ita ut efficiat gratiam, quam significat, & significet gratiam, quam efficit. Dicitur divinitus institutum, quia solus Deus potest esse Author gratiæ. Hæc tamen institutio debet esse stabilis; & ideo Linguae igneæ, quæ die Pentecostes apparuerunt, & Insufflatio Christi in Apostolos Joan. 20., Et verba Christi ad Paralyticum Matth. 9. Remittuntur tibi peccata tua, licet fuerint signa gratiæ, non fuerunt proprie Sacramenta, quia non fuerunt stabilia. Aliis verbis definiri solet Sacramentum, quod sit Res sensibilis ex institutione Christi, habens vim sanctitatis, seu gratiæ efficiendæ simul, & significandæ.

II. Hinc patet differre Sacramenta a Sacramentalibus, quia scilicet Sacramentalia, v. g. usus aquæ benedictæ, tun-

tunfo pectoris, &c., ab Ecclesia, non a Deo instituta sunt, nec causant ullo pacto ex opere operato gratiam, sed solum vi orationum ab Ecclesia fusarum in benedictione aquae, vel vi meritorum Ecclesiae instituentis sacramentalia, excitant in anima pios motus, quibus movetur Deus ad remissionem venialium, & ad gratiam augendam; unde in Sacramentalibus gratia sanctificans non causatur ex opere operato, seu vi institutionis divinae, ut causatur in Sacramentis, sed ex opere operantis, seu vi actuum elicitorum a suscipientibus illa, ut explicabimus articulo ultimo hujus quaestionis. Differt etiam Sacramentum a Sacrificio, quia Sacrificium de sua ratione non est institutum ad sanctificandos homines, sed ad peculiarem cultum exhibendum erga divinam excellentiam, ac in protestationem divini dominii in omnia, & praesertim supra vitam, & mortem nostram; Quamvis fieri possit, ut idem sit Sacrificium, & Sacramentum, ut de facto contingit in Sacrificio novae legis, cujus hostia ita est Sacrificium, seu oblatio externa facta Deo a Sacerdote in protestationem Supremi sui dominii in vitam, & necem; ut simul sit verum Sacramentum conferens gratiam.

III. Rogabis, quoniam pacto Sacramentum sit signum?

Respondeo certum esse ex Aug. lib. 2. de doctrina christiana cap. 1. signum esse id, quod praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire; & ideo fumus dicitur signum naturale ignis, ramus viridis in taberna est signum, quod ibi vinum vendatur. Quodvis autem Sacramentum est hujusmodi, quia Baptismus, verbi gratia, praeter ablutionem externam, quae oculis videtur, indicat ablutionem internarum sordium; Confirmatio praeter unctio-

nem olei, indicat robur, quod ab eius gratia accipitur ad fidem tuendam; Eucharistia refectorem spirituales, &c. Notant tamen Tolet., Coninck., & alii, Sacramentum esse signum tripliciter; Primo rememorativo, quatenus commemorat passionem Christi; Secundo demonstrativo, demonstrando gratiam, quam confert. Tertio, prognostico, quatenus prognosticat gloriam.

Porro certum est ex Trid. Sacramenta novae legis esse septem; Etenim, ut advertit D. Thom. 3. p. qu. 65. art. 1., Cum homo in vita corporali primo generetur; secundo nutriatur; tertio augeatur; quarto curetur ab infirmitate, si qua laborat; quinto, si opus fuerit, armetur ad praelium in sui defensionem; sexto constituatur in dignitate ad gubernandos homines; septimo navet operam propagationi humanae ad Rempublicam conservandam; ideo congruenter in vita spirituali primo regeneratur per Baptismum; secundo nutritur, ac roboratur per Confirmationem; tertio crescit, & augetur per Eucharistiam; quarto curatur a morbis per Poenitentiam; quinto armatur ad praelium mortis per extremam Unctionem; sexto constituitur per Ordinem in statu honorifico; septimo licite intendit propagationi per Matrimonium. Baptismus autem dicitur janua reliquorum Sacramentorum, quia sine illo invalide reliqua suscipiuntur.

IV. Queritur nunc primo, An, & quae Sacramenta fuerint ante legem evangelicam?

Respondeo, ante legem evangelicam triplicem assignari statum: Primus dicitur status innocentiae, in quo creatus fuit Adam cum Justitia originali: Secundus dicitur status naturae, qui duravit usque ad Abraham, ut mox dicam; Tertius dicitur status legis scriptae, qui duravit usque ad

Christum Dominum. His positis

Dico primo; In statu innocentie nulla fuerunt Sacramenta. Ita communiter. Et ratio est, tum quia non constat ea fuisse; tum etiam, quia in eo statu fuissent superflua; quandoquidem Iustitia originalis sufficienter præstabat, quod præstitissent Sacramenta.

Neque dicas in eo statu fuisse Matrimonium, quod ab Apostolo ad Ephes. 5. vocatur Sacramentum; Nam non dicitur fuisse Sacramentum stricte sumptum, seu signum sacrum significans, & conferens gratiam, sed fuit sacramentum, hoc est mysterium & figura Incarnationis; Sicut etiam lignum vitæ dictum fuit ab August. Sacramentum. Utrum autem perseverante statu innocentie futura fuissent Sacramenta ad majorem animi perfectionem? Suar. disp. 3. cap. 3. putat incertum esse: Nam cum esset homo plene Deo subiectus, & pars inferior superiori, facili animi motu poterat in eternam perfectionem conservare, & augere. Si tamen homo creatus fuisset in puris naturalibus sine iustitia originali, congruum fuisset sacramenta instituere ad majorem animi perfectionem; sicut congruum fuit ea instituere in statu naturæ lapsæ, etiam in remedium peccati.

Dico secundo; In statu naturæ post lapsum Adæ fuerunt aliqua Sacramenta; Ita communiter: Et ratio est, quia non est credibile Deum reliquisse homines sine remedio, quo potuissent salvari. Hoc autem remedium erant Sacramenta, quæ fuerunt saltem duo; Primum in remedium peccati originalis pro parvulis, per quod iustificabantur; consistebatque in protestatione externa facta a parentibus, quod homines per Christi adventum essent salvandi; ideo enim parvuli dicebantur salvari in fide parentum, quia non poterant sibi remedium hoc

applicare. Ita August., Beda, & Doctores communiter apud Suar. August. lib. 1. ad Julianum cap. 9. hæc habet: *Neque ideo credendum est ante datam circumcisionem famulos Dei (quandoquidem eis inerat fides Mediatoris in carne venturi) nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quod illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.* Secundum erat pro Adultis in remedium peccati actualis, & congruenter dicitur fuisse Sacrificium; quod scilicet sacramentum erat, & sacrificium: quatenus enim per illud Deus colebatur, tamquam vitæ, & mortis Dominus, dicebatur Sacrificium; quatenus vero per illud remittebantur peccata in virtute Christi venturi, dicebatur Sacramentum: Et hac de causa Job offerebat sacrificia pro peccatis filiorum.

Ubi notandum, Statum naturæ appellari totum illud tempus, quo homines ad salutem dirigebantur sola ratione per præcepta naturalia, adjuti tamen supernaturali lumine, & gratia; hoc autem tempus duravit ad bis mille annos usque ad Abraham, quando Deus cœpit per præcepta positiva homines ad salutem dirigere: Et ideo dicitur in Abraham fuisse inchoatio legis scriptæ, quia tunc inchoarunt præcepta positiva, præsertim Circumcisionis.

V. Dico tertio; In statu legis scriptæ fuerunt plura Sacramenta: videlicet, Circumcisio, Agnus paschalis, Consecratio sacerdotis, Lustrationes quædam ab immunditiis legalibus, atque expiationes a peccatis externis, de quibus D. Th. 1. 2. quæst. 102. art. 5. Circumcisioni deinde successit Baptismus; Agno paschali, Oblationibus, Victimis, Panibus propositionis, Levit. 23. successit Eucharistia; Purificationibus variis Levit. 4. 5. 11. 12. 16. & Num. 19. successit Penitentia;

Con-

Consecrationi Pontificis, & sacerdotis Exod. 18. successit sacramentum ordinis. Confirmatio est proprium Sacramentum novæ legis, quia est Sacramentum plenitudinis gratiæ; sicut etiam extrema unctio, quæ est immediata præparatio ad introitum gloriæ. Matrimonium in lege veteri non erat sacramentum, quia nondum facta erat unio inter naturam humanam, & Verbum, cujus hoc sacramentum est figura. Ubi etiam notandum, Circumcisionem institutam a Deo fuisse, & traditam Abrahæ quadragesimo circiter annis ante legem scriptam traditam Moyse in tabulis lapideis: Principaliter autem fuit instituta, ut filii Abraham, populus ab ipso electus, hac protestatione in Christum venturum, a reliquis populis discernerentur: Secundario vero ut esset in remedium peccati, sicut nunc est Baptismus. In ea autem corporis parte fiebat Circumcisio ex D. Th. primo ad ostendendum Christum nasciturum ex semine Abraham; secundo, quia circumcisio erat instituta ad remittendum originale peccatum, quod per generationem transmittitur in posteros: Tertio quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ, quæ præcipue in ea parte urget; Pro fœminis autem, & pro pueris, qui ante octavum diem, quo debebant circumcidi, fuissent in mortis periculo, perseverabat ex D. Th. quæst. 70. art. 4. cap. 3. remedium nature.

VI. Quæritur secundo, An sacramenta legis veteris fuerint vere sacramenta? Et in quibus differant a sacramentis novæ legis?

Respondeo certum esse, quod fuerint vera sacramenta; tum quia ex Bellar. lib. 2. cap. 3. iis bene aptatur definitio supra tradita sacramenti; tum etiam, quia Trident. docet sacramenta novæ legis multum differre a sacramentis veteris legis: Quare Concilium vi-

Pars V.

detur supponere illa esse proprie sacramenta; quod etiam docet August. dum nova antiquis sacramentis præfert, dicendo lib. 19. contra Faustum cap. 13. sacramenta novæ legis esse *virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, significatione præstantissima*; Propterea antiquæ legis sacramenta differunt a nostris; Primo, quia illa fuerunt difficiliora, ut patet in Circumcisione; Secundo, quia fuerunt umbræ nostrorum sacramentorum; Tertio, quia non conferebant gratiam ex opere operato, seu tanquam actiones Christi Domini, sed erant tantum conditiones requisitæ, quibus positis, Deus intuitu meritorum Christi gratiam conferebat; & ideo ab Apost. ad Galat. vocantur *Elementa egenæ & infirmæ*: Quarto, quia non introducebant ad gloriam, sicut nunc Baptismus; nondum enim erat aperta janua cælorum per Christi passionem; Quinto, quia non habebant determinatam formam verborum, cum ea assignari non possit; Sexto, quia non faciebant ex attrito contritum, sed præquirebant contritionem in Adultis, ut conferretur deinde gratia sacramentalis: Quamvis D. Th. & Henric. cum Suar., & Coninck. apud Bonac. putent, Circumcisionem contulisse gratiam adultis cum sola attritione, & in eo tantum Baptismus præstare Circumcisioni, quod ille conferat gratiam majorem, & quod conferat etiam Characterem; sicut etiam quod remittat pœnam omnem etiam temporalem, non vero in eo, quod ad Baptismus possit præcedere attritio, ad Circumcisionem debuisset præcedere contritio.

VII. Dubium est, An Circumcisio contulerit gratiam ad modum operis operati?

Respondeo, Bonac. putare non esse improbableem, quod saltem Circumcisio conferret gratiam parvulis ad modum

dum operis operati; quia illud dicitur conferre gratiam ex opere operato, quod ex vi suae institutionis confert gratiam citra meritum, & dispositionem suscipientis; sed Circumcisio causabat gratiam, eo quod peccatum originale deleteret, nec respiciebat meritum, & dispositionem suscipientis in parvulis, quippe qui nullatenus poterant ad illud se disponere per amorem Dei, aut per contritionem (juxta varias opiniones in hac materia) ut adulti; ergo causabat gratiam ad modum operis operati: Et eadem est ratio de Sacramento deletivo peccati originalis parvulis in lege naturae.

Sed communius negant Sacramenta veteris legis causasse ullatenus gratiam ex opere operato; quia Apost. ad Gal. 4. Circumcisionem, & alias caeremonias legales vocat *Elementa e-gena, & infirma*, eo quod ex se, seu ex opere operato non habebant vim justificandi: Et ad Gal. 6. dicit: *Neque Circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura*, id est gratia justificans per fidem.

Confirmatur, quia in Florentin. apud Layman hic dicuntur Sacramenta novae legis multum differre a Sacramentis legis antiquae, quia haec non causabant gratiam, sed illam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; illa vero & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Unde fit, Sacramenta antiqua juxta multorum sententiam apud Layman tantum ex opere operantis gratiam contulisse, puta ex fide in Christum venturum, vel dilectione Dei super omnia, vel contritione elicita, aut ab adultis, qui ea Sacramenta suscipiebant, aut a parentibus, quando conferebatur Sacramentum parvulis.

Equidem tamen existimo dici debere, quod Sacramenta novae legis causant gratiam ex opere operato, quatenus sunt actiones Christi Domini,

quae possunt de se illam causare moraliter, & meritorie; Nam nomine Christi Domini Minister Sacramentorum dicit, *Ego te baptizo, Ego te absolvo* &c., & ideo vi sua haec Sacramenta causant gratiam: Contra vero, Sacramenta veteris legis non ita gratiam conferebant; cum non essent actiones Christi Domini, sed positae illis caeremoniis, tamquam conditionibus, conferebant gratiam intuitu meritorum Christi; quod re vera non est causare gratiam ex opere operato, seu vi ipsorum Sacramentorum, in quantum actionum Christi Domini, neque ex opere operantis, seu vi actuum elicitorum a suscipiente, vel ministrante Sacramentum, sed ex vi promissionis Dei de conferendo gratiam intuitu meritorum Christi. Et in hoc sensu Doctores primae sententiae docent, Sacramenta veteris legis non causare gratiam ex opere operato, sed ad modum operis operati, quia non ex opere operantis, seu ex fide in Christum elicita a parentibus, quae gratiam mereretur parvulis; neque ex opere operato, hoc est vi talis actionis, tamquam a Christo elicite, quae gratiam mereretur; sed ad modum operis operati, quatenus posita fide parentum, & circumcissione parvuli, tamquam conditionibus, Deus gratiam promissam conferebat intuitu meritorum Christi Domini.

VIII. Dubitatur; Utrum reliqua Sacramenta veteris legis (dempta Circumcissione, quae tollebat originale a parvulis sine ullo actu proprio) conferrent tantum Sanctitatem legalem (quae consistebat in munditia quadam corporis, & remotione alicujus irregularitatis secundum legem, ut loquitur Vasq. disp. 128. cap. 5.) an vero posita caeremonia illa sacra, & dilectione Dei, vel contritione, tamquam conditione, conferrent gratiam Sanctificantem?

Do-

Doctores communiter cum Coninck quaest. 62. art. 6. docent, Sanctitatem solum legalem contulisse; Ratio est, quia in decreto Eugenii 4. ad Graecos, quod habetur post ultimam Sessionem Concilii Florentini, dicitur, quod sacramenta illa non causabant gratiam, sed eam dandam esse per passionem Christi figurabant: Quare in Circumcisione solum parvulis independenter a proprio actu gratia conferebatur ex divina providentia, & liberalitate posito Sacramento: idque ob extremam parvulorum indigentiam, qui propriis actibus salvati non poterant; necnon propter Christi merita, quippe qui omnium Salvator constitutus, quantum in se erat, omnium hominum generi sufficientia salutis remedia provideret. Cum hoc tamen stat, quod docent communiter Patres apud Bellar. lib. 2. de Sacram. cap. 2., nulla Sacramenta vetera contulisse gratiam, videlicet ex vi sua, quia quando conferebant gratiam adultis, id fiebat ex opere operantis; quando vero parvulis, id fiebat ex singulari privilegio non Sacramenti, sed parvulorum.

ARTICULUS II.

De Necessitate Sacramentorum.

- I Sacramentorum institutio non fuit necessaria simpliciter, sed secundum quid.*
II. Sacramenta alia sunt necessaria necessitate medii, alia vero necessitate precepti.
III. Eucharistia Sacramentum non est necessarium necessitate medii.

I. Quæritur primo, an fuerit absolute necessaria Sacramentorum institutio?

Respondeo, Ad humanam salutem non fuisse simpliciter necessaria Sacra-

menta, cum potuerit Deus multis aliis modis gratiam hominibus conferre, & eorum salutem operari; fuerunt tamen necessaria secundum quid, hoc est, considerata natura hominum, præscindendo ab omni statu, quatenus communiter per hæc media salvantur. Ratio D. Th. est, quia ad divinam providentiam spectat, ut cuilibet rei provideat secundum modum suæ conditionis; proprium autem hominum est, ut per corporalia, & sensibilia ad spiritualia, & insensibilia deducantur; ergo congruum fuit, ut divina providentia conferret homini auxilia salutis per signa sensibilia, quæ dicuntur Sacramenta.

Quamvis autem, ut supra diximus, non fuerint illa necessaria in statu innocentiae; tum quia in illo statu Protoparentes per brevissimum tempus perdurarunt; tum etiam quia perfectissimam habuerunt cognitionem rerum supernaturalium, gratiam, & iustitiam, & subordinationem partis inferioris superiori; unde non debuit animus subijci rebus sensibilibus, ut ab iis scientiam, & gratiam mendicaret: In statu tamen naturæ, Legis scriptæ, & Evangelicæ sua debuerunt esse Sacramenta, prout de facto fuerunt. Unde Innoc. 3. in cap. *Majores* de Baptismo, cum dixisset Baptismum nunc prodesse infantibus, sicut prius proderat Circumcisio, subdit rationem generalem, quæ militat etiam pro remedio in statu naturæ, dicens: *Abstineat ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.*

Neque dicas, infantes, qui moriuntur nunc in utero matris, nullum habere remedium ad deletionem peccati originalis; unde moriuntur sine spe salutis; ergo si de facto id contingit in lege Evangelica, a fortiori

poterat id contingere omnibus infantibus in lege naturæ.

Nam respondeo, duplicem esse in hac re sententiam. Prima est, quod Deus ob justissimos fines, præsertim ad manifestandam divinam justitiam, voluerit his parvulis denegare remedium, quod dici non potest de omnibus hominibus in statu naturæ; quia non erat consonum summæ suæ misericordiæ, quod omnes per tot secula carerent omni remedio. Secunda sententia docet, Deum etiam parvulis, qui nunc decedunt in utero matris, providisse de remedio sufficienti ad deletionem peccati originalis; Cum enim voluerit omnes homines salvos fieri, voluit etiam his infantibus remedium asserere; quod tamen a parentibus applicandum esset. Quoniam autem aliquando parentes ob propriam culpam iis operationibus vacant, cum quibus annectitur mors parvulorum ante susceptionem Baptismi: (verbi gratia, cum mater vult saltare, abortum patitur, dum vadit ad fenestram, de cælo tangitur) ideo nil mirum, quod aliquibus infantibus remedium non applicatur, non ex defectu voluntatis divinæ, sed ex culpa parentum. Dicitur etiam potest, quod Deus nullum reliquerit sine sufficienti remedio in omni lege, & statu; per accidens tamen eveniat, ut infantibus in utero matris decedentibus non applicetur independentem a culpa parentum, quia Deus tamquam causa, & legislator universalis, non tenetur cavere ea, quæ per accidens sunt, nec impedire cursum rerum naturalium; satis enim est, quod disposuerit ita causas naturales, ut possit quilibet ex utero materno prodire, & remedium ad originale suscipere. Sed hæc de re fusius diximus in expositione quartæ Thesæ ab Alex. VIII. confixæ in Trutina Thesum damnatarum, necnon in Trutina Antiquæsnelliana

exponendo, ac rejectando trigessimam Quæsnelli Thesim, sicut etiam in Cursum Theologico disp. p. de Gratia quæst. 5. ubi idipsum Scholasticè discutitur.

II. Quæritur secundo, Quænam Sacramenta sint necessaria ad salutem necessitate mediæ; quænam vero necessitate præcepti?

Respondeo, necessarium ad salutem necessitate mediæ dici illud, sine quo salus obtineri non potest, sive vincibiliter, sive invincibiliter omittatur, ut est, verbi gratia, Baptismus sive fluminis, sive fluminis, sive sanguinis; sine aliquo enim ex his Baptismis nullatenus potest salus obtineri: Sic omnibus est necessaria gratia ad salutem, & adultis necessaria est fides in Deum Remuneratorem. Necessarium vero ad salutem necessitate præcepti dicitur, quod ex obligatione præcepti debet poni, ita tamen, ut si aliquando invincibiliter, aut ex impotentia, atque adeo sine peccato, omittatur, non eatenus impediatur, quominus salus obtineri possit: Sic est necessaria susceptio Eucharistiæ necessitate præcepti: Est etiam necessaria necessitate præcepti Confessio mortaliæ; si quis enim non habens copiam Confessarii moritur cum sola contritione, & voto Sacramenti penitentiæ, adhuc salutem consequitur. His politis

Dico, omnibus esse necessarium ad salutem necessitate mediæ Baptismum; adultis vero post mortale necessarium etiam esse necessitate mediæ Sacramentum penitentiæ vel in re, vel in voto susceptum, videlicet in contritione, vel in amore Dei super omnia, in quibus actibus implicite saltem continetur votum, seu desiderium suscipiendi hæc Sacramenta; Cum enim Deus horum Sacramentorum susceptionem præcipiat sub mortali, impossibile est, ut qui diligit Deum super omnia, nolit legem divinam imple-

ple-

plere; atque adeo implicite saltem vult suscipere Sacramenta, prout præcipiuntur. Denum pro tota communitate est etiam necessarium necessitate medii Sacramentum Ordinis: quomodo enim posset conferri Sacramentum pœnitentiæ sine Sacramento Ordinis in absolvente? Reliqua autem Sacramenta, si quam necessitatem habent, illa est dumtaxat præcepti.

III. Dices; Intantum contritio, & amor Dei super omnia dicuntur esse votum Sacramenti Baptismi in adulto Infideli, & votum Sacramenti pœnitentiæ in Fideli, qui mortaliter peccavit, inquantum impossibile est diligere Deum super omnia, vel conteri, & simul non proponere exequi omnia divina præcepta, inter quæ est præceptum de suscipiendo Sacramento Baptismi, & pœnitentiæ; atqui si hoc esset, eodem modo posset dici, quod Eucharistia, & restitutio sint necessaria necessitate medii vel in re, vel in voto, quia impossibile est, ut quis salutem consequatur, nisi saltem implicite in dilectione Dei super omnia proponat exequi omnia divina mandata, atque adeo suscipere Eucharistiam, & restituere ablatum: ergo vel non dicuntur necessaria necessitate medii Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, vel sunt etiam necessaria eadem necessitate Eucharistia, & restitutio.

Respondeo, diversimode contritionem, & amorem Dei super omnia esse votum Sacramentorum Baptismi, & Pœnitentiæ, ac sunt votum Sacramenti Eucharistiæ, & restitutionis: Sunt enim votum Baptismi, & Pœnitentiæ, tamquam medii per se instituti ad conferendam remissionem peccatorum, & gratiam Sacramentalem; & ideo contritio, & dilectio Dei super omnia vices gerunt illorum Sacramentorum, atque adeo iustificat in supplementum illorum Sacra-

mentorum, quorum sunt votum: Contra vero, votum Eucharistiæ, aut restitutionis non est votum alicujus medii per se instituti ad remissionem peccatorum; sed est votum illorum, tamquam removentium impedimenta salutis; impediretur enim de se salus ob omissionem Eucharistiæ, & restitutionis præceptæ; & ideo Eucharistia, & restitutio neque in re, neque in voto suscepta dicuntur esse necessaria ad salutem necessitate medii.

ARTICULUS III.

De Materia, & Forma Sacramentorum.

- I. Sacramentorum materia alia est proxima, alia remota.
- II. Omnia Nova legis Sacramenta constant rebus, tamquam materia, & verbis tamquam forma.
- III. Moraliter dumtaxat concurrunt res, & verba ad Sacramenti constitutionem.
- IV. Res, & verba, quæ Sacramenta Nova legis constituunt, a Christo Domino determinata sunt, licet non eodem modo.
- V. In Sacramento Matrimonii non mutavit Ecclesia materiam a Christo Domino institutam, neque contractum, sed solum leges contractus.
- VI. Quomodo Apostoli baptizarent in nomine Jesu Christi?
- VII. Solum mutatio essentialis materie, aut forma Sacramentorum illa irritat.
- VIII. Quenam variatio materie, aut forma sit solum accidentalis?
- IX. An conficiatur Sacramentum, si variatio sit accidentalis, & putetur esse essentialis?
- X. Num intentio Ministri constituat Sacramentum, an solum sit requisitum essentialis?

I. **S**acramentorum essentia metaphysica consistit in eorundem definitione; Essentia vero physica consistit in eorum materia, & forma; non secus ac homo metaphysice consideratus est Animal rationale, physice consideratus est compositum constans ex corpore, & anima rationali. Dicitur autem in omni composito habere rationem materiae quod se habet ut pars determinabilis, indifferens, & imperfecta; habere vero rationem formae, quod se habet ut pars determinativa, & perfecta totius; Sic in homine corpus habet rationem materiae, anima rationem formae; in composito accidentali physico, verbi gratia albi, subjectum habet rationem materiae, albedo rationem formae; & in composito artificiali scamni, figura illa scamni habet rationem formae; Et ideo in sacramento, verbi gratia Baptismi, communiter dicimus abluitionem aquae habere rationem materiae, & verba illa *Ego te baptizo* rationem formae: Quia tamen ablutio aquae constat ex aqua, tamquam subjecto, & ex abluitione, tamquam forma, ideo in sacramento Baptismi aqua dicitur esse materia remota, ablutio vero materia proxima, sicut in scamno materia ligni dicitur esse materia remota scamni; & forma ligni dicitur esse materia proxima eisdem scamni. Et eodem modo in Confirmatione materia remota est Chrisma benedictum, materia proxima est unctio per manum Episcopi: In Eucharistia materia remota est panis, & vinum, proxima vero est Corpus & sanguis Christi cum speciebus panis, & vini. In Penitentia materia remota sunt peccata commissa post Baptismum, proxima est Dolor, Confessio, & Satisfactio. In extrema Unctione materia remota est oleum benedictum, proxima est unctio Infirmi. In Ordine materia remota sunt instrumenta, proxima ve-

ro est eorundem traditio; & in quibusdam ordinibus sunt materia remota manus Episcopi, proxima illarum manuum impositio; denique in Matrimonio remota sunt corpora contrahentium, proxima eorum mutua traditio. His praeractis

II. Quaritur primo, An omnia sacramenta consent materia, & forma?

Respondeo, omnia sacramenta novae legis constare rebus, tamquam materia, & verbis, tamquam forma. Ita Florent. in decreto Eugen. 4. ubi dicuntur tribus perfici haec Sacramenta, rebus, tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: Unde est celebre illud Aug. effatum: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Sacramenta vero veteris legis non constabant rebus, & verbis, sed solis rebus, ut Circumcisio: Et ratio ex D. Thom. est, quia sicut status legis veteris fuit imperfectior statu legis novae, ita fuit conveniens, ut fides etiam in illo statu, & quae ad fidem pertinent, ut sunt praecipue sacramenta, essent obscuriora, nec haberent significationem adeo expressam, & claram, ut habent Sacramenta novae legis, quae constant etiam verbis, quorum significatio clarior, & expressior est significatione rerum.

Dices, Sacramentum Matrimonii perfici potest vel solis verbis sine rebus, vel solis nutibus sine verbis; ergo falsum est, omnia Sacramenta novae legis constare rebus & verbis.

Respondeo verum esse, quod in Sacramento matrimonii loco verborum possunt haberi nutus, qui dicuntur verba aequivalenter: Et ratio est, quia cum Christus Dominus elevaverit ad rationem Sacramenti contractum ipsum matrimonii, & contractus celebrari possit solis nutibus; idcirco solis nutibus perfici potest hoc Sacramen-

mentum: At siue solis nutibus, siue solis verbis perficiatur, semper verum est, ut suo loco dicitur, cum Suar. Sanch. Coninck., & aliis communius, quod consensus utriusque conjugis signis externis expressus, prout significat mutuam corporum traditionem, habet rationem rerum, seu materiae. Idem vero consensus, prout significat mutuam hujus traditionis acceptationem, habet rationem verborum, seu formae: Et ratio est, quia omnis promissio, seu traditio, donec acceptetur, est per se indifferens, & indeterminata, ut sit potius rata, quam irrita; per acceptationem vero determinatur ad esse ratam, & fit efficax ad inducendam obligationem; ergo in contractu Matrimonii traditio corporum habet rationem materiae, acceptatio rationem formae.

III. Quæritur secundo, quomodo concurrant res, & verba ad constituendam essentiam physicam Sacramentorum.

Respondeo non concurrere physice, cum sæpe non coexistent, & verba sint quid fluens, & successivum, quod non potest compositionem physicam facere cum rebus, quæ sunt quid permanens; quare concurrunt solum moraliter, eo quod debeant habere coexistentiam moralem, quæ scilicet satis fit, quod utraque pars possit simul significare gratiam, quam causat. Unde fit, quod in aliquibus Sacramentis major coexistentia, & similtas requiratur, quam in aliis; Verbi gratia in Baptismo, Confirmatione, Extrema unctione, &c. requiritur major similtas verborum cum rebus, quam in Sacramento Pœnitentiæ, quod fit per modum Judicii, aut in Sacramento Matrimonii, quod fit per modum contractus: Ratio est, quia in morali æstimatione verba non censentur cadere supra materiam in Baptismo, nisi quadantenus coexistent; non

enim vere dicitur abluere, qui non abluit, dum verba profert; secus vero in Pœnitentiæ; Etenim habetur verum Judicium, etiamsi post accusationem, & confessionem Rei aliquantulum distet sententia; Unde Præpositus putat posse dolorem anteire confessionem per tres, aut quatuor horas; & Lug. disp. 14. de Pœnit. num. 37. posse etiam per diem integrum; & eodem modo habetur verus contractus matrimonialis, etiamsi consensus conjugum non parum inter se distent; ita tamen, ut in æstimatione morali censentur conjungi, & facere unum moraliter.

IV. Quæritur tertio, An res, & verba, quæ constituunt Sacramenta novæ legis, fuerint a Christo Domino determinata?

Respondeo omnia fuisse determinata, sed non eodem modo: nam in aliquibus Sacramentis materia est determinata in specie, ut in Baptismo aqua naturalis; in aliis est determinata tantum in genere, ut in Sacramento Pœnitentiæ dolor, qui potest esse multiplex specie, videlicet vel attritio, vel contritio. Idem dicas de forma; nam Sacramentum Baptismi debet conferri cum invocatione explicita Patris, Filii, & Spiritus Sancti; non sic Sacramentum Pœnitentiæ; & in Sacramento Matrimonii non requiruntur necessario verba, sed solum signa experimentia consensus.

Hinc sequitur, quod res, & verba, quæ sunt materia, & forma Sacramentorum novæ legis, cum sint a Christo Domino determinata pro universa Ecclesia, ita se habeant, ut quæ in uno loco, aut in uno tempore satis sunt ad constituendum Sacramentum, eadem satis sint in quolibet alio loco, & tempore; quamvis in particularibus Ecclesiis servandi sint ritus particulares ab iis præscripti, licet accidentaliter diversi: Quare in

Ec-

Ecclesia Græca materia Eucharistiæ debet esse panis fermentatus, in Latina azymus, quamvis valide in Ecclesia Græca consecraretur azymus, & in Latina fermentatus: Sic in Ecclesia Græca propria forma Baptismi est servanda, dicendo, *Baptizetur Servus Christi in nomine Patris, &c.*, quamvis valide baptizaretur dicendo, *Ego te baptizo, &c.* In Sacramento tamen Matrimonii, quia constituitur per contractum juxta leges uniuscujusque regionis, semper, & ubique talis contractus constituit Sacramentum. Proinde in Gallia quando decretum Tridentini de Matrimonii clandestinitate non erat receptum, (quod tamen anno 1662. fuit receptum teste Less. in Auctar. V. Sponsal. cal. 67.) tunc ibi valide celebrabatur sine Parocho, & testibus; non vero in Hispania; quia scilicet in Gallia consistebat ratio veri contractus matrimonialis sine Parocho; non vero ubi receptum erat Trident. Ratio horum omnium est, quia quod a Christo Domino institutum est ad validitatem Sacramentorum, non potest ab Ecclesia immutari; eadem autem materia, & forma Sacramentorum a Christo Domino pro universa Ecclesia est instituta; unde Apost. ad Ephes. 4. eandem unitatem requirit in Deo, & in fide, ac in Sacramentis, dicendo: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma*; quamvis Ecclesiæ particulares potuerint deinde ob varias circumstantias præscribere aliquos ritus particulares accidentaliter diversos, qui proinde servandi sunt: Tunc autem diversitas dicitur esse accidentaliter in formis Sacramentorum, quando retinetur eadem significatio verborum; sicut in materia habetur accidentaliter diversitas, quando habetur eadem substantia rerum: Unde quia massa farinacea nondum cocta in mortali æstimatione differt substantialiter

a pane instituto a Christo Domino pro materia Eucharistiæ, ideo illa invalide consecraretur; esto forte nonnisi accidentaliter physice a pane differret: Sic aqua e floribus expressa non est materia Baptismi; esto forte accidentaliter physice considerata differat ab aqua naturali a Christo Domino instituta, ut mox explicabimus.

V. Neque dicas primo, Sacramentum Matrimonii, quod prius erat validum sine Parocho, & testibus, & nunc etiam est validum, ubi non est receptum Trident., non est validum, ubi Trident. non est receptum: ergo falsum est, quod Sacramentum, quod pro aliquo loco, & tempore est validum, semper, & ubique sit validum.

Nam licet Ecclesia variaverit leges contractus matrimonialis, non proinde variata est materia, & forma a Christo Domino instituta, quæ est legitimus contractus: Quare semper, & ubique validum est Sacramentum Matrimonii, quotiescumque ponitur legitimus contractus; quia tamen Trident. variavit leges contractus, hinc est, quod solum mediate, & remote variaverit formam hujus Sacramenti, non vero immediate, & proxime: Ad eum modum, quo si Respublica decerneret, quod verbum *Verbero*, non vero verbum *Baptizo* significaret abluitionem, non posset amplius conferri Sacramentum Baptismi per formulam illam, *Ego te baptizo*, sed per formulam, *Ego te verbero*, quin proinde Respublica dici possit, quod mutasset in hoc casu formam Sacramenti, nisi tantum remote.

Advertunt tamen Pal., & Sanchez lib. 7. disp. 1., apud Croix, quod licet possit Pontifex mutare leges contractus matrimonialis, non possunt tamen istæ mutari a Magistratu, aut ab Episcopo; quia eo ipso ac contractus matrimonialis a Christo Do-

mi.

mino est elevatus ad rationem Sacramenti, solius Pontificis potestati subijcitur. Hinc licet posset Pontifex statuere, quod matrimonium sit invalidum, si Parochus assistat, quin præcesserint proclamationes; nequit tamen id Episcopus statuere. Quicquid sit, an possit Episcopus valorem huius matrimonii impedire, declarando, quod Parochus desinat esse Parochus, si attentet matrimonio assistere sine præviis proclamationibus, prout Croix num. 17. autumat.

VI. Neque dicas secundo, tempore Apostolorum valide conferebatur Baptismus *In nomine Jesu Christi*, nunc autem non nisi *In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*: ergo, ut supra.

Nam D. Th. quæst. 66. art. 6. putat Apostolos ex speciali dispensatione baptizasse in nomine Jesu Christi, ut hoc nomen tunc temporis maxime exosum, venerabile, & gloriosum redderetur, cum ad ejus invocationem fidelibus daretur Spiritus Sanctus; & propter specialem etiam dispensationem Apostoli sola manuum impositione conferebant Sacramentum Confirmationis; forte enim non erant ita ad manus tunc, quæ necessaria erant pro materia hujus Sacramenti, quod a paucis Apostolis innumeris creditibus ministrabatur.

Alii tamen docent apud Suar., quod Apostoli in nomine Christi baptizabant, quatenus baptizabant in fide, & auctoritate Christi, & Baptismo a Christo instituto, non Baptismo D. Joannis Baptistæ: Vel baptizabant in nomine Christi, quia forma addebant Christi nomen, dicendo, *Ego te baptizo In nomine Patris, Filii Jesu Christi, & Spiritus Sancti*.

Neque dicas tertio, apud Græcos conferri ordinem Diaconatus sola manuum Episcopi impositione; apud Latinos vero requiri etiam traditionem libri Evangeliorum: ergo falsum est,

materiam, & formam Sacramentorum ita esse a Christo Domino instituta, ut semper, & ubique valeant ad Sacramentum constituendum.

Nam, ut dicemus infra hic quæst. ult. art. 2. agendo de materia, & forma Sacramenti Ordinis, valide conferri potest, quamvis illicite, a Latinis Ordo Diaconatus per solam manuum impositionem, dummodo adhibeatur etiam ea forma, quæ a Græcis adhibetur, quæ expressius significatur potestas spiritualis, quæ per diaconatum confertur; & similiter a Græcis potest valide, sed illicite conferri diaconatus adhibendo tam materiam, quam formam, quæ adhibetur a Latinis: non secus ac valide, sed illicite Sacerdos Græcus consecrat in pane azymo, & Latinus in fermentato. Forma autem, quæ in collatione diaconatus adhibetur a Græcis, diversa est, ac ea, quæ adhibetur a Latinis, ut videre est apud Dicakill. disp. 1. de Sacramentis dub. 20.

VII. Quæritur quarto, quænam mutatio in materia, aut forma Sacramentorum reddat illa invalida?

Respondeo, & dico primo, solam mutationem essentialem, seu substantialem in materia, & forma a Christo Domino instituta posse invalidare Sacramenta; non vero mutationem accidentalem. Unde Zacharias Papa in Cap. *Reverunt* de Consecratione definit, Baptismum ab imperito collatum his verbis, *Ego te baptizo in nomina Patris, Filii, & Spiritus sancti* esse validum, quia talis mutatio est accidentalis. Et sane cum mutatio accidentalis non variet substantiam rei, nec mutatio accidentalis facta in materia, aut forma Sacramentorum mutabit Sacramentorum substantiam.

VIII. Dico secundo; Mutatio materiæ Sacramentorum tunc dici debet essentialis, quando est tanta, ut ma-

teria cum tali mutatione non conveniat conceptu, ratione, & nomine cum materia instituta a Christo Domino, & usitata ab Ecclesia; secus vero dicenda est accidentalis. Ratio est, quia si non conveniat conceptu, & nomine cum materia praescripta a Christo Domino, jam non erit illa, sed alia materia; ergo non erit materia apta ad conficiendum Sacramentum; si vero conceptu, & nomine conveniat cum illa, erit ejusdem rationis essentialis, atque adeo apta ad Sacramentum.

Hinc sequitur primo, quod si vellet aliquis abluere aqua rosacea, alchimica, sputo, sudore, phlegmate, lacrymis, vel gutta tantum aquae aspergeret, invalide baptizaret, quia non poneret materiam, cui congrueret nomen, & notio ablutionis aquae naturalis; nihil enim ex iis est aqua naturalis; & aspersio unius guttae neque est, neque appellatur Ablutio. Contra vero, si quis baptizaret cum aqua lutulenta, fetida, sulphurea, aut ex luto, glacie, & secundum alios ex sale expressa, conficeret Sacramentum; quamvis cum aliqua indecentia, & culpa; quia haberetur ratio, & nomen ablutionis aquae naturalis: factor enim, & lutum non essentialiter, sed accidentaliter tantum aquam mutarent. Ubi tamen advertendum, quod si aliqua aqua (verbi gratia, ex sale expressa) solum probabiliter est aqua naturalis, & non certo moraliter, illicitum sit ea uti ad Sacramentum conficiendum, ut constat ex prima Thesi ab Innoc. XI. confixa, in qua dicitur, non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de eorum valore, relicta tutiore.

Sequitur secundo, quod interdum sola accidentia physica sufficiant ad mutandam essentialiter materiam Sacramenti spectatam theologice, quia

interdum sola sufficiunt ad tollendam rationem, & nomen, sub quo debet esse talis materia. Verbi gratia, invalide quis consecraret massam farinaceam, quia licet forte non differat a pane nisi solis accidentibus physicis, tamen non habet nomen, & rationem panis: Invalide etiam quis baptizaret aqua e floribus expressa, quamvis probabiliter non nisi accidentibus physicis differat ab aqua naturali. Invalide pariter Baptismus confertur aqua conversa in glaciam, nivem, grandinem, aut in pruina, vel in salem, quia non remanet in his aptitudo ad usum abluendi, quae est de essentia Baptismi. Vinum tamen congelatum communius censetur aptum ad consecrationem; non secus ac aqua, & oleum congelatum est aptum, quod benedicatur, & panis ita durus, ut non nisi contusus possit comedi est aptus ad consecrandum. Disparitas autem inter Baptismus, & Eucharistiam est, quia Baptismus consistit in usu, seu in actuali ablutione, unde aqua debet habere actualem aptitudinem ad abluendum, quae non habetur in glacie, nive, sale, grandine, & pruina: Contra vero Eucharistia, quae est Sacramentum permanens, non requirit materiam sanguinis actu potabilem; sed quae sit apta significare potum spirituales, quando erit in usu, seu quando actu sumetur, aut saltem quando veniet in stomachum, & ideo vinum congelatum potest consecrari. Et hanc Sententiam Suar. disp. 45. sect. 1. putat fere certam; Quia tamen nonnulli cum Platel. Dicastill. de Euchar. disp. 2. num. 85. putant materiam hanc esse dubiam, ideo illicitum est in ea consecrare.

Dico tertio, mutatio formae Sacramentorum tunc est essentialis, quoties per illam destruitur sensus, & significatio secundum communem usum

ver-

verborum, quæ Christus Dominus instituit: secus mutatio erit accidentalis. Ratio est, quia significatio est veluti anima verborum, cum verba sint propter significationem; ergo si non manet eadem significatio, non censentur manere eadem verba; secus vero si eadem significatio permanet.

Hinc sequitur primo, validum esse Sacramentum, si verba mutantur in synonyma; verbi gratia, si quis pro *Baptizo* dicat *Abluo*, vel, *Lavo*; vel si dicat more Græcorum, *Baptizetur Servus Christi*, vel si dicat, *Baptizo te in nomine Patris, Christi, & Spiritus Sancti*, ut censet Cajeranus, quia *ly Christi* est nomen, quod supponit pro divina Personalitate Filii: Contra vero invalide quis baptizaret, dicendo, *Ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis*, non explicando Personas, quia licet nomen Trinitatis significet idem, non tamen eodem modo, & eadem claritate, & ideo non esset mutatio in voces omnino synonymas.

Neque dicas, Nicolaum Pontificem consultum, an baptizati a quodam Judæo essent rebaptizandi? Respondisse in Cap. *A quodam de Consecratione*, quod si nomine Sanctæ Trinitatis, vel in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt, constat eos non esse rebaptizandos.

Nam contra est, quia Pontifex nomen illud Trinitatis usurpavit compendiose, scilicet pro nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti; & pro Baptismo in nomine Christi collato intelligebat Baptismum a Christo Domino institutum; (sicut multi volunt intelligendum esse, quod dicitur in Actibus Apostolorum cap. 8. *Baptizati tantum erant in nomine Jesu*) eo modo, quo Joannis Baptisma dicitur, quod institutum est a Joanne: Quamvis alii cum D. Th. cen-

seant ex speciali dispensatione divina tunc temporis collatum esse Baptismum in nomine Christi, ut supra diximus; & alii verius docent, Baptismum collatum esse cum expressione Numinis Venerandi, dicendo, *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii ejus Jesu Christi, & Spiritus Sancti*.

Sequitur secundo, quod si omittatur a forma Sacramentorum una, aut plures voces, quibus omisissis, perseverat eadem significatio verborum, adhuc valide conficiatur Sacramentum, ut si in forma Baptismi omittatur pronomen *Ego*, & in forma Eucharistiæ *ly enim*: quod si sine scandalo, & contemptu fiat, veniale tantum putat esse Coninck. articul. 8. num. 85.

Sequitur tertio, quod si Minister propter præcipationem, aut balbutiem linguæ omitat, vel mutet verborum literas, præsertim extremas, valide conficiat Sacramentum, si eadem significatio verborum perseveret; ut si dicatur, *Hoc est corpus meum*, *Ego te baptizo in nomine Patri*; & ideo Zacharias Papa in cap. *Retulerunt de Consecratione* respondit valide baptizasse, qui dixit, *Ego te baptizo in nomina Patria, Filia, & Spiritiva Sancta*.

Sequitur quarto, validum esse Baptismum collatum sub his verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris, qui te creavit, in nomine Filii, qui te redemit, &c.*, quia talis additio non immutat sensum verborum: Contra vero invalide baptizaret dicens, *Baptizo te in nomine Prima, Secunda, & Tertia Personæ*; necnon si diceret, *In nomine Creatoris, Redemptoris, & Sanctificatoris*: aut si diceret, *In nomine Ingeniti, Geniti, & Procedentis*, quia non exprimentur proprietates personales; Ita Vasq. & alii apud Amic. disp. 2. num. 86. quamvis Suar., & alii putent hanc ultimam formam, qua

qua exprimentur actus notionales, esse dubiam.

Sequitur quinto, quod si quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Matris, Filii, &c.* invalide baptizet, quia quamvis una tantum litera mutetur, variatio sensus est substantialis; At si quis dicat *Fili* pro *Filii*, *Calis* pro *Calix*, vel si ob balbutiem dicat *babapizo* pro *baptizo*, aut quia non potest pronunciare literam R, dicat *Colpus meum* pro *Corpus meum*, conficit Sacramentum; quia, ut advertit Lug., & Gobat., verba ista quamvis seorsim sumpta non habeant significationem a Christo intentam, at in circumstantiis, in quibus proferuntur, ingerunt audientibus sensum a Christo intentum, quod satis est ad validitatem Sacramenti.

Sequitur sexto, quod conficiat Sacramentum, qui utitur verbis ambiguis, dummodo in eo sensu verba proferat, in quo habent significationem a Christo Domino institutam; aliter Sacramentum non conficit. Quare si quis dicat, *Hic est Calix sanguinis mei*, adhibendo *ly Hic* adverbialiter, non consecraret, quia mutaret substantialiter sensum verborum: nisi tamen haberet intentionem aliquam generalem usurpandi verba in sensu ab Ecclesia usurpato, quia in tali casu error privatus corrigeretur per intentionem illam generalem, ut mox clarius.

Eodem modo si Arianus uteretur forma vera Baptismi, sed intendendo per illam significare Patrem majorem, Filium minorem, invalide baptizaret ex defectu formæ; quia sicut intentio nihil significandi tollit significationem actualem, ita intentio significandi aliud reddit loquutionem, & significationem aliam; Quamvis si Arianus haberet intentionem illam generalem faciendi, quod facit Ecclesia, & usurparet verba in sensu Ecclesiæ, be-

ne privatus error corrigeretur per hanc intentionem generalem, & valide baptizaret.

IX. Queritur quarto, an valide conficiat Sacramentum, qui omittit aliquod verbum, quod credit esse de essentia, cum vere non sit; aut e converso, si addat aliquod verbum putans de essentia, quod vere non sit?

Respondeo, in utroque casu valide conficere Sacramentum, si debitam habeat intentionem, scilicet faciendi, quod potest; vel si intendat facere, quod facit Ecclesia, aut quod Christus instituit. Ratio est, quia adest debita materia, forma, & intentio, quibus Sacramentum perficitur; & omisso illa, vel additio verbi, cum supponamus non immutare sensum verborum, est mutatio tantum accidentalitatis; cum errore autem privato potest stare intentio sufficiens ad conficiendum Sacramentum; per generalem enim illam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, corrigitur error privatus Ministri.

Hinc valide consecrat, qui omittit *ly enim*, etiamsi credat verbum illud esse de essentia Sacramenti, dummodo prædictam intentionem habeat; aliter Sacramentum erit nullum ex defectu intentionis requisitæ. Valide etiam baptizat, qui dicit, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & B. Virginis*, credens invocationem Virginis esse de essentia, si intentionem, illam generalem habeat; Sed præscindendo ab hac intentione generali, si quis adderet formæ Baptismi invocationem B. Virginis, intendens Baptismum fieri in nomine Virginis tamquam sanctificantis virtute sua, sicut sanctificant tres Personæ divinæ, quia in sensu falso usurpat ea verba, Baptismus erit nullus; Si vero intendat Baptismum
fic;

fieri in nomine Virginis, tamquam Personæ aptæ ad intercedendum precibus suis pro baptizando, Baptismus erit ratus.

X. Quæritur ultimo, An intentio Ministri sit pars constitutiva Sacramenti?

Certum est, quod ad conficiendum Sacramentum requiritur intentio Ministri, (ut dicemus etiam de intentione suscipientis Sacramentum) ita ut deficiente hac intentione, Sacramentum sit nullum. Disputant tamen Scholastici, Utrum intentio sit merum requisitum (eo modo, quo approxinatio inter animam, & corpus est merum requisitum ad constituendum hominem; Et ad conficiendum Sacramentum Ordinis est merum requisitum Baptismus; sicut etiam ad suscipiendum Baptismus est merum requisitum negatio prioris Baptismi) An vero sit pars constitutiva, ita ut intentioni Ministri vere competat ratio Sacramenti, quæ est significare, & causare gratiam; sicut dolor in Sacramento Pœnitentiæ, licet sit insensibilis, adhuc est pars Sacramenti, eo quod per confessionem reddatur sensibilis. Equidem probabilius cenfeo esse constitutivum; cum constituat actionem ministerialem, quæ est Sacramenti constitutiva: Cum autem id non spectet ad praxim, sed ad speculationem, ideo fuisse de hac re instituitur quæstio in Scholastica Theologia. Circa intentionem vero requisitam essentialiter in suscipiente Sacramentum, conveniunt omnes, quod ea sit merum requisitum, & non constitutiva Sacramenti.

Pars V.

ARTICULUS IV.

De Causa Efficiente Sacramentorum.

- I. *Christus Dominus in quantum homo, seu per voluntatem creatam fuit Sacramentorum Institutor.*
- II. *Quonam pacto posset pura Creatura instituere Sacramenta.*
- III. *Soli homines viatores de facto possunt Sacramenta ministrare.*
- IV. *Num semper mortaliter peccet, qui in mortali Sacramenta ministrat?*
- V. *Minister Sacramentorum quandonam a mortali excusatur, conferendo illa indignis?*
- VI. *Requiritur intentio saltem virtualis in Ministro conficiente Sacramenta, esto in suscipiente sufficiat habitualis, & in pueris etiam interpretativa.*
- VII. *Quandonam sufficiat in Ministro intentio conditionata?*
- VIII. *Intentio indirecta, & in causa in Ministro non sufficit ad Sacramenti validitatem; secus vero in suscipiente, in quo simul sit intentio habitualis.*
- IX. *Si Minister habeat duas intentiones contrarias, utra debeat prevalere?*
- X. *Quandonam error circa Personam obstat validitati Sacramenti?*
- XI. *Quid requiratur ad validam, & licitam Sacramenti administrationem?*
- XII. *Num liceat sequi opinionem probabilis de valore Sacramenti, ommissa tutiore?*

I. **Q**uæritur primo, Quinam sit, aut esse possit Sacramentorum Institutor?

Respondeo, solum Deum posse esse Sacramentorum Institutorem auctoritative, seu tamquam Auctorem primum, quia solus Deus potest con-

B sex-

ferre gratiam, & efficere homines filios Dei. Christus Dominus, in quantum homo, cum habeat dependentiam a Deo, non dicitur causa principalis Sacramentorum auctoritative, sed dicitur habere potestatem excellentiam; cum illi competat ob excellentiam, quam habet propter unionem cum Verbo, quaedam Omnipotentia, juxta illud Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in Caelo, & in terra*: Quare sicut Christus Dominus potuit delere peccata, & conferre gratiam sine Sacramentis, ut contulit Magdalene; ita potuit instituire, & de facto instituit Sacramenta collativa gratiae in remissionem peccatorum: Et ideo Jo: primo dicitur, *Ipse est, qui baptizat*, hoc est propter potestatem excellentiam, quam habet, in quantum homo, ut notat D. Th. q. 64. art. 2. & alii apud Bonac. Addo, omnes Theologos in hoc consentire, quod Christus in quantum homo, & per voluntatem creatam, Sacramenta instituerit. Ratio est, quia in quantum homo est Institutor, & Fundator Ecclesiae: ergo etiam Sacramentorum, quae sunt Ecclesiae fundamenta, juxta illud Prov. 9. *Sapientia edificavit sibi domum, excidit columnas septem*: Fundatoris enim est fundamenta ponere. Praeterea Christus in quantum homo est immediatus Ecclesiae Legislator per potestatem a Deo acceptam: ergo per eandem erit immediatus Sacramentorum Institutor.

II. Rogabis, An possit etiam pura creatura instituire Sacramenta; sicut de facto Christus Dominus instituit Sacramenta nova legis?

Respondeo, quaestionem hanc ab aliquibus reduci ad quaestionem de voce: Conveniunt enim omnes, quod possit creatura auctoritate accepta a Deo determinare aliquod signum, ad cuius praesentiam cauetur gratia. Utrum autem hoc sit Sacramentum in-

stituere? Videtur lis de voce: Aliqui enim negant; quia constituuntur Sacramenta per virtutem causandi gratiam: ergo ille solum potest constituere Sacramenta, qui potest illis dare virtutem causativam gratiae, sive physicam, sive moralem, seu meritoriam; atqui solus Deus signis sensibilibus dare potest virtutem physice causativam gratiae, & solus Christus potest iisdem dare virtutem moralem, seu meritoriam; cum nulla creatura possit mereri condigne alteri, saltem peccatori, gratiam, ut communius docent: ergo nulla creatura potest instituire Sacramenta; quamvis possit determinare signum, ad cuius praesentiam Deus gratiam causet. Alii tamen docent, hoc esse vere Sacramenta instituire; quia Sacramenta non constituuntur per virtutem causandi gratiam; nam vetera Sacramenta erant vere Sacramenta, & tamen, ut diximus, non habebant talem virtutem. Quare ut quis dicatur instituire Sacramenta, satis esse videtur, quod ille primo applicet virtutem causandi gratiam, sive talis virtus sit propria Sacramentorum, sive aliena, & propria Dei; hoc autem convenire poterit purae creaturae modo dicto. Verum in tali casu non haberet creatura illam potestatem excellentiam, & meritoriam in instituendis Sacramentis, prout habuit Christus, sed solum ministerialem. In sententia tamen eorum, qui docent posse puram creaturam alicquam gratia sanctificante mereri de condigno alteri immuni a peccato gratiam, eo modo, quo potest mereri sibi gratiae augmentum, posset instituire Sacramenta vivorum, quamvis non posset instituire Sacramenta mortuorum, eo quod non possit pura creatura juxta communioem sententiam mereri de condigno peccatori gratiam peccati remissivam.

III. Queritur secundo, Quam sit Sa-

Sacramentorum Minister, qui scilicet ex præscripto, & mandato Dei, aut Christi institutoris possit valide Sacramenta conferre, ponendo aggregatum illud ex materia, & forma, cui est annexa vis causativa gratiæ?

Respondeo, certum esse, quod soli homines de facto sint Sacramentorum Ministri, ut constat; tum quia Florent. & Trident. cum declarant Ministros Sacramentorum, solos homines assignant; tum etiam quia cum Ecclesia sit visibilis, visibiles etiam debent esse ejus Ministri. Quod si aliquando legimus Angelos aliquod Sacramentum ministrasse, id fecerunt ex speciali dispensatione Dei; qui sicut potest gratiam sine Sacramentis conferre, ita potest Sacramenta sine Ministris Ordinariis: Immo non repugnat, quod etiam Dæmon de mandato Dei, assumpto corpore, valide baptizet, non per prolationem verborum, quæ sit vera loquutio, seu actio viventis, sed per prolationem vocum similibus vocibus humanis, quæ ab hominibus percipi possint; sicut enim potest de facto valide baptizare peccator, ita de potentia Dei extraordinaria posset Dæmon, non adhibendo voces humanas, sed sonum similem vocibus humanis.

Dubium est, an soli homines viatores sint de facto Sacramentorum Ministri?

Respondeo cum communi contra nonnullos affirmative: sicut enim soli viatores possunt Sacramenta suscipere, ita & ministrare propter eandem rationem; quia scilicet Sacramenta sunt data Ecclesiæ visibili, & consequenter solos Ministros visibiles habet; aliter, ut notat De Lugo, Episcopus anima, & corpore damnatus posset alios damnatos valide ordinare Sacerdotes; quod nemo dixerit: Quamvis enim post mortem in Episcopo remaneat Character, non ideo remanet pote-

stas ordinandi, quia Character non est potestas, sed signum potestatis, positus aliis requisitis.

Dices: Episcopus malus, & hæreticus potest valide ordinare, & Turca baptizare: ergo etiam damnati, aut saltem Beati possunt ministrare Sacramenta.

Respondeo negando consequentiam: Disparitas alia non est, nisi quia sic voluit Christus Dominus, quod etiam mali Ministri valide Sacramenta conficiant, non tamen alii, nisi viatores. Ejus autem rei congrua aliqua ratio assignari potest; quia scilicet Ecclesia esset plena scrupulis, si malitia Ministri obstaret validitati Sacramentorum; Quod autem etiam Turca possit baptizare, inde fit, quia Christus Dominus voluit facili negotio posse Sacramentum tam necessarium haberi; non enim necesse fuit, quod sit membrum Christi, aut Ecclesiæ, qui esset Instrumentum Christi relate ad collationem Sacramentorum; Sicut enim artifex operari potest tam per manum, quæ est instrumentum animatum, & conjunctum, quam per securim, verbi gratia, quæ est instrumentum distinctum: ita Christus Dominus operari potest tam per instrumentum vivum, quod sit ejus membrum, idest per Ministros bonos, quam per instrumentum mortuum, idest per malos ministros.

IV. Quæritur tertio, An semper mortaliter peccet Minister Sacramentorum, quoties ea ministrat aut existens in peccato mortali, aut existens in peccato mortali?

Respondeo, & dico primo, universim peccare Ministrum Sacramenti, si illud conficiat non existens in gratia, sive sit Minister ad illud Sacramentum conficiendum solemniter consecratus, ut docent communiter, sive non; (quod aliqui negant apud Trull. lib. 1. cap. 3. disp. 3. cum Suar.

B 2 disp.

disp. 16. lib. 3.) Unde peccat non solum qui solemniter baptizat, qui Eucharistiam conficit, qui Sacramentaliter absolvit, qui confert Sacramentum Confirmationis, Ordinis, & Extremæ unctiōnis, si non sit in statu gratiæ, cum ad hæc præstanda Minister sit solemniter consecratus; sed etiam peccat laicus, si existens in mortali baptizet; necnon si matrimonium celebret, non solum quia Sacramentum suscipit, sed etiam quia conficit.

Ratio est, quia Sancta sancte tractanda sunt; maxima autem est irreverentia actionem sanctissimam, (qualis est actio Sacramentalis sanctificativa, & deificativa) exerceri ab inimico Dei, & filio Diaboli. Hinc Levit. 21. dicitur, *Sacerdotes incensum, & panem offerunt Deo, & ideo sancti erunt Deo suo*; & Isaia 32. dicitur, *Mundi estote, qui fertis vasa Domini*. Excusatur tamen, qui urgente necessitate, conficeret Sacramentum in mortali, eo quod non posset tam brevi morula actum contritionis elicere, & periculum esset, ne alter sine Sacramento moreretur; cum enim Sacramenta instituta sint in salutem animarum, non videtur irreverentia, si ministrantur in tali casu a peccatore, ut proximo subveniatur, ne damnetur.

Ex hac doctrina sequitur, multiplex peccatum committere Sacerdotem in peccato celebrantem, cum & conficiat, & suscipiat indigne Sacramentum. Addunt alii apud Dian. part. prim. tract. 14. resol. 24. quod committat tertium sacrilegium per hoc, quod offerat hostiam in statu peccati mortalis; Quamvis multi negent hoc esse peccatum distinctum; quia oblatio ordinatur ad consecrationem, & consumptionem, atque adeo omnia hæc tria Sacrificium conficiunt.

Notandum tamen, quod existens in mortali non debeat necessario præ-

mittere confessionem administrationi Sacramenti, cum satis sit, ut contemnatur; nullum enim hujusmodi præceptum habetur, neque naturale, neque positivum divinum, nec Ecclesiasticum, neque ex consuetudine. Dumtaxat susceptioni Eucharistiæ præmittenda est confessio, ut Concilia doceant ex illo Apostoli, *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*. Ex traditione enim habemus ea verba indicare præceptum præmittendi confessionem mortalium Communioni. Imo si quis urgente necessitate cum sola contritione Missam celebret, tenetur ex Trident. quamprimum deinde confiteri; hoc est, ut communiter Doctores interpretantur, saltem intra triduum; at damnata est propof. 38. ab Alexand. dicens, quod illa particula *Quamprimum* intelligatur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur. Sicut etiam damnata est propof. 37. dicens, hoc esse consilium, non præceptum.

Notandum etiam, quod juxta sententiam Suar. disp. 16. sect. 3. & aliorum, Minister non consecratus non peccat ministrando Sacramentum, verbi gratia laicus baptizando in necessitate; imo etiam Sacerdos, ex Suar., si tamquam Laicus ex necessitate privatim baptizet. Præterea non peccat mortaliter exercens præcipuas functiones Ordinum sine Sacramenti consecratione existens in mortali: verbi gratia exercens in mortali Ordines minores: Imo nec Diaconi, nec Subdiaconi exercentes in mortali suos ordines; quamvis solemniter eos exercent, ex Vasq. Coninck, Dicast. contra Filliuc., & alios, nec Episcopus conficiendo sacramentalia, nec Parochus, si matrimonio assistat.

Dico secundo: Non videtur improbabile, quod docent multi & graves Auctores, cum Vasq. & Lugo disp. 8. de Sacram. sect. 9. num. 155. & aliis

aliis apud Dian. part. 2. tract. 14. fol. 23., Sacerdotem ministrantem Eucharistiam in mortali non peccare mortaliter; Ratio est, quia non conficit, sed applicat Sacramentum jam confectum: Unde actio sanctificativa non tribuitur ipsi Ministro, tamquam cause instrumentali; nec potest dici, quod peccator nomine Christi sanctificet, & filius diaboli deficiet, quod fert enormem dissonantiam: Quamvis autem in mortali tangat Christum Dominum, non per hoc juxta hos Auctores mortaliter peccat; nemo enim dixerit, quod mortaliter peccaret, qui in mortali pedes Christi, dum interris viveret, oscularetur, aut Christum lapsum elevaret. Equidem tamen probabilius censeo, quod Sacerdos peccaret ministrando Eucharistiam in mortali juxta sensum Suar., Conink. Bonac. Filliuc., & aliorum communius, quia tunc non sancte sancta tractaret; & quamvis non conficeret, ministraret tamen Sacramentum, & filius diaboli efficeret filios Dei, gratiam per Sacramentum causando. Utrum autem tor mortalia committat, quot personas communicat? Affirmant nonnulli apud Busemb.; sed probabilius negandum, quando moraliter non habetur nisi una tantum indigna administratio hujus Sacramenti.

Contra vero, relate ad Sacramentum Pœnitentiæ, tot peccata committuntur, quot personæ absolvuntur a Confessario illas absolvente, dum est in statu peccati mortalis; quia relate ad unumquemque pœnitentem novum Sacramentum conficitur, ut suo loco explicabitur.

V. Dico tertio; Regulariter loquendo peccat Minister conferendo Sacramentum indignis. Ratio est, quia Minister Sacramentorum vocatur ab Apostolo *Dispensator mysteriorum Dei*; peccat autem graviter dispensator, si in materia gravi præter voluntatem

Pars V.

domini res dispenset: Matth. autem 7. Dominus præcipit dicendo, *Nolite Sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas ante porcos*. Dixi, Regulariter; aliquando enim tenetur Minister ministrare verbi gratia Eucharistiam peccatori occulto publice illam petenti, juxta praxim Ecclesiæ, & exemplum Christi Domini, qui dedit Eucharistiam Judæ: Et ratio est, tum quia voluit Christus, præceptum de non lædendo famam proximi prævalere; tum etiam quia in Ecclesia orientur magna inconvenientia ex potestate negandi publice Eucharistiam peccatori occulto: Contra vero Sacramentum Ordinis etiam petenti illud publice negari debet, si vere sit indignus, esto indignitas non sit publica, dummodo non sciatur ex confessione Sacramentali. Ratio est, quia qui se ingerit in officia, & munera publica, ad quæ non est idoneus, repelli debet, etiam cum infamia, ob bonum publicum, quod prævalere debet privato.

Objicies: Sacerdos denegare debet Eucharistiam petenti illam ad conculcandum, vel ad incantationem; ergo etiam si velit illam in peccato suscipere.

Respondeo cum Bonac. hic quæst. 6. punct. 4. concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia ex Div. Th. quæst. 80. art. 5. majus peccatum est illud prius; unde major est obligatio denegandi Eucharistiam in primo casu, quam in secundo: Præterea non sequerentur in Ecclesia eadem inconvenientia, si negetur Eucharistia in primo casu, quia difficilius id accidit; sed hac de re plura quæstione quarta cum de Ministro Eucharistiæ, art. ult.

VI. Quæritur quarto, quamnam intentio requiratur in Ministro Sacramentorum?

Antequam respondeam noto, Intentio:

B 3

tentio:

tionem distingui ab Attentione, quia attentio est actus intellectus considerantis ea, quæ homo agit; intentio est actus voluntatis, quo quis se determinat ad aliquem finem, verbi gratia ad aliquid faciendum: quare actus, quo quis intendit, & vult conficere Sacramentum, dicitur in casu nostro Intentio. Porro multiplicem communiter Doctores assignant intentionem, videlicet Actualem, qua quis actu intendit conficere Sacramentum; Interpretativam, quæ consistit in præparatione animi ad ministrandum Sacramentum, data occasione, nulla actuali intentione præcedente, ut contingit in dormientibus; Habitualement, quæ habetur, quando actualis intentio præcessit, & non amplius virtute perseverat in aliquo opere externo, eo quod moraliter sit interrupta; ut si quis heri habuit intentionem baptizandi infantem, quem hodie baptizat absque nova intentione; Demum Virtualem, quæ promanat ab actuali prius habita non revocata, nec interrupta per longum tempus: Verbi gratia, si quis habens actualem intentionem baptizandi accedat ad Ecclesiam, præparet necessaria, & proferat formam absque nova intentione, dicitur baptizare cum intentione virtuali; quia actualis, quæ præcessit, videtur moraliter permanere, tamquam in semine, & virtute in opere illo inchoato vi illius actualis intentionis præcedentis ordinatæ ad Sacramentum ministrandum. Præterea Intentio alia est Absoluta, quæ scilicet vult Sacramentum independentem a quolibet alio eventu; alia conditionata, ut si quis intendat baptizare aliquem, si non sit baptizatus: Alia directa, quæ vult effectum in se; alia Indirecta, quæ habetur, quando aliquis vult effectum in sua causa: Verbi gratia, si quis inebriatur prævidens se in ebrietate commisiurum homicidium, dicitur directe

velle ebrietatem, & indirecte homicidium. His præsuppositis

Dico primo; ut perficiatur Sacramentum, requiritur necessario intentio Ministri, non solum faciendi cærimoniam externam sacram, sed etiam conficiendi Sacramentum, seu faciendi, quod instituit Christus, seu quod intendit Ecclesia. Ita communiter, & constat ex Trident. sess. 7. can. 2. ubi ait, *Si quis dixerit, in Ministris, cum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Et ratio est, quia potestas conficiendi sacramentum data est a Christo Domino hominibus, ad hoc ut illo utantur more humano, prout scilicet homines operari consueverunt; homines autem humano modo operantur dirigendo suas actiones ad proprium effectum, intendendo illud efficere; ergo homines in conficiendis Sacramentis id servare debent, intendendo ponere illam actionem ob finem primarium talis actionis, seu ob finem, quem intendit Ecclesia, qui est sanctificatio Sacramentalis. Quare non sunt audiendi hæretici, qui nullam intentionem in Ministro requirunt. Neque est audiendus Catarinus, qui docet sufficere, si Minister habeat intentionem faciendi materialiter illam actionem externam, eo modo, quo fit ab Ecclesia, non vero, ut fiat formaliter, hoc est ob finem intentum ab Ecclesia, vel a Christo Domino; aliter qui vere haberet intentionem faciendi actionem externam, prout facit Ecclesia, sine animo conficiendi Sacramentum, vere Sacramentum conficeret, quod nemo dixerit. Immo hinc sequeretur veram esse thesim 28. confixam ab Alexand. VIII. quæ habet: *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo resolvit; Non*

intendit

intendo facere, quod facit Ecclesia.

Objiciuntur Historiæ, tum de duobus pueris inter jocum baptizantibus alios pueros (quos Baptismos validos declaravit Patriarcha Alexandrinus, & Ecclesia Constantinopolitana) tum etiam de Sancto Genesio, qui Minus in Scena, ut placeret, fecit se baptizari, nec deinde fuit iterum baptizatus, sed statim pro fide Martyr occubuit.

Respondetur tamen in illis pueris affuisse seriam intentionem faciendi verum Sacramentum, & æmulandi totum id, quod faciebant adulti baptizantes, quod non est novum in pueris. In exemplo autem S. Genesii dicendum, vel non defuisse ex peculiari Dei providentia sufficientem intentionem pro Sacramento, vel illum fuisse justificatum aut per contritionem, quam forte tunc habebat, aut deinde per Martyrium.

Dices. Si requireretur intentio in Ministro faciendi, quod facit Ecclesia, seu quod Christus instituit, sequeretur, quod deficiente hac intentione, qui cum attritione accederet ad Sacramentum Baptismi, revera Baptismum non susciperet; unde si decederet, damnaretur; hoc autem videtur minus consonum Divinæ Misericordiæ, quod propter culpam Ministri nolentis Sacramentum conferre ille damnetur; ergo hujusmodi intentio non requiritur.

Respondeo, Alensem, Duran; Gabriel. apud Averf. quæst. 64. sect. 3. putasse, quod in his casibus Christus misericorditer suppleat defectum gratiæ sacramentalis. Suar. tamen quæst. 64. art. 8. docet, hanc suppletionem non fundari in ulla divina promissione, & carere ratione probabili; quare dicendum, quod in casibus, qui Sacramentum non suscipit, damnatur propter culpam propriam, non vero propter culpam Ministri nolentis Sa-

cramentum conferre; sicuti si infans ante susceptum Baptismum occidatur, aut de Cælo tangatur, privabitur visione beata in æternum ob suam culpam originalem, non vero ob culpam interfectoris, aut ob infortunium fulminis. Misericordia autem divina, quamvis pro omnibus instituerit Sacramenta, non vetuit tamen, ne ex aliorum culpabili, aut inculpabili arbitrio, aut ex concursu causarum secundarum impediri non posset, ne ea susciperentur.

Instabis. Contractus humani validi sunt, quamvis desit interna intentio contrahendi, dummodo externe ponatur quicquid requiritur ad contrahendum; ergo idem dicendum de valore Sacramentorum.

Respondeo antecedens esse falsum, ut docent communius cum Molin. Sanch. Lugo disp. 22. num. 45. contra Vasq. & alios apud Dicast. lib. 2. de Just. tract. 4. dub. 4. Et ratio est, quia obligatio, quæ ex contractu nascitur, non aliunde habetur, quam ex voluntate contrahentis volentis se obligare; ergo ubi hæc desit, deficit obligatio, atque adeo contractus est nullus, cum deficiat ejus essentia, quæ consistit in voluntate se obligandi. Non negaverim tamen hujusmodi contractum in foro externo esse validum, quia forum externum præsumit adesse internam voluntatem se obligandi, quoties oppositum non ostenditur validis probationibus. At in casu nostro, cum Deus intueatur cor sui Ministri, ubi desit in isto intentio conferendi Sacramentum, coram Deo hoc erit invalidum, quamvis forte ab hominibus per errorem validum reputetur.

Dico secundo: Etsi intentio actualis sit perfectissima, & sufficientissima ad sacramentum conficiendum, non est tamen necessaria, sed sufficit virtualis. Ita communiter. Ratio est,

tum quia non est in potestate nostra, quin disrahamur, & nimis durum esset eam intentionem ab hominibus exigere; tum etiam quia in aliis operationibus humanis satis est intentio virtualis: ergo etiam in Sacramentis conficiendis.

Difficultas tamen est in explicanda intentione virtuali. Rubionen. in 4. dist. 3. quæst. 2. dicit, non aliud esse, quam aliquam, non præsentem, sed præteritam intentionem actualem, ex qua originaliter provenit id, quod quis actualiter operatur: Certe nullus actus potest dici humanus, nisi sit propter finem aut actum, aut virtute intentus; Intentio enim finis est propria multorum actuum ordine insequentium, non secus ac projecto lapide in aquam, primus circulus est principium, & causa secundi, & sic deinceps, nec semper manet primus circulus, quamdiu cæteri manent, licet omnes reducantur ad ipsum, ut notat Scotus in 4. dist. 6. quæst. 6. Quanto autem tempore præcedere debeat intentio actualis, ut possit dici operatio præsens ab illa processisse, & pendere? Dubium est inter Doctores. Suar. hic dist. 13. lib. 3. putat requiri, ut in principio actus, quando homo incipit se applicare ad operandum, & in casu nostro ad conficiendum Sacramentum, habeatur intentio actualis, a qua natura sua reliquæ procedant; aliter intelligi non potest, quomodo intentio virtualis & influat in opus, & ab habituali distinguatur. Scotus in 4. dist. 1. quæst. 5. docet confici Sacramentum cum tali intentione virtuali, si Sacerdos, & Minister Ecclesiæ consueverit celebrare, & Sacramenta administrare juxta intentionem Ecclesiæ, nec unquam per actum contrarium cogitet aliter ministrare, quam Christus instituit, & Ecclesia facit. Henric. lib. 1. cap. 10. cum Regin. lib. 26. cap. 3. apud

Tamb. de Sacrific. Missæ lib. 2. cap. 1. §. 2. putat intentionem virtualem haberi per intentionem etiam confusam; verbi gratia, si quis sacras vestes induat, & absque alia formali intentione consueverit celebrare, & ministrare Sacramenta: hic enim Eucharistiam, & alia Sacramenta conficit. Cajetanus hic docet, satis esse, quod Minister Ecclesiæ vacet officio suo in omnibus, quæ requiruntur bene operando; tunc enim censetur permanere vis talis intentionis, qua primo proposuit recte exequi munus suum; quod probat exemplificando in aliis actionibus humanis; ut si quis sedeat pro tribunali, ut fungatur suo munere ex prima intentione, qua proposuit rite munus Judicis exequi, idque semper consueverit.

Hinc ad scrupulos tollendos advertunt Bellar., Herinx, La Croix lib. 6. de Sacram. part. 1. nu. 59., non opus esse in Ministro Sacramentorum; quod ore, aut corde reflexe dicat, habere se intentionem ponendi Sacramentum, sed sufficere, quod sibi sit animo præsens, & attente faciat id, quod facit, ut dicatur habere intentionem debitam in actu exercito. Et Maurus quæst. 78. num. 5. docet, quod Ministri Sacramentorum, nisi data opera omiserint intentionem faciendi sacramentum, aut habuerint intentionem oppositam, inepte dubitent an habuerint intentionem debitam; quia, ut recte Vasq., hujusmodi Minister per hoc quod cognoscat actiones, quas ponit, esse sacras, & non frustra poni, sed in ordine ad fines suos, exercite intendit eas ponere in ordine ad eos fines; unde prudenter dubitare non potest de intentione requisita, quoties illam positivè non excludit.

Dico tertio: Non sufficit in Ministro ad valorem Sacramenti intentio habitualis, hoc est intentio præterita
non

non retractata, quæ nullo modo influat in operationem præsentem. Ita communiter. Ratio est, quia Sacramentum, cum conferatur ab hominibus, conferri debet humano modo, sive per actum humanum; actio autem humana humano modo elicit non habetur cum sola intentione habituali sine intentione saltem virtuali finis; Quod ex eo patet, quia si quis, verbi gratia, habuit intentionem, & desiderium consequendi sanitatem, & deinde nihil cogitans de sanitate applicat se ludo, si ita curetur, dicitur fortuito curari, non ex intentione, aut electione aliqua; quia desiderium illud præteritum nullo pacto influit in ludum, unde sanitas non habetur ex vi alicujus intentionis, & ideo non dicitur acquisita humano modo, sed casu, & fortuito. Ex quibus a fortiori sequitur, quod neque sufficiat ad conficiendum Sacramentum intentio interpretativa, quamvis hæc sufficiat in pueris, qui nullam unquam intentionem actualem habuerunt ad suscipiendum Sacramentum Baptismi; & ea sufficit etiam ad valide suscipiendum Sacramentum ordinis in infante; non tamen in adulto; ut communiter docent apud Dicastil. de Ord. dub. 21.; quamvis infans sic ordinatus vi voti ad castitatem non tenetur, nisi deinde illud ratificaverit. Sic etiam sufficit intentio interpretativa ad Extremam Unctionem, ut docent communiter apud La Croix lib. 6. de Sacram. part. 1. num. 172. Unde conferri potest lapsa in amenitiam, quamvis forte nihil sciverit de Extrema unctione. Et ex Suarez; Lugo, & aliis sufficit etiam in moribundo consimilis interpretativa intentio ad Eucharistiam suscipiendam; præsumitur quippe in omnibus volitio habendi hujusmodi ingentia bona, quæ non habent annexa onera, & incommoda gravia: qua de causa ad valo-

rem Baptismi, & Ordinis in Adulto non sufficit intentio interpretativa, sed requiritur saltem habitualis, ob onera iis Sacramentis annexa, ut docent communiter contra Ledesm., & Vasq. apud eundem La Croix num. 289. Sufficit tamen ad Baptismum adulti intentio implicita contenta in attritione; Quin immo Conink Dicastil. & alii apud Croix lib. 6. num. 168. putant, quod posset baptizari Judæus, aut Gentilis, si probabiliter sciatur, quod saltem attritionem elicuerit, quia in eo actu includitur voluntas servandi omnia præcepta, atque adeo implicite includitur voluntas suscipiendi Baptismum, prout a Deo præcipitur. Ratio itaque cur sufficiat intentio interpretativa in infante ad suscipiendos Ordines Sacros ex cap. unico de Clerico per saltum promotum, non tamen sufficiat in adulto, est, quia in infante Ordo sacer fert solum favorem, non fert tamen onera annexa, nisi velit deinde post usum rationis statum illum amplecti; at adulto innotescere debent onera annexa Ordini Sacro, ut deliberet, an ei velit subjici, & ideo requiritur intentio, saltem habitualis: quod etiam dicitur de Baptismo adulti.

Dices: Satis est intentio habitualis ad applicandum Sacrificium: ergo etiam ad conficiendum Sacramentum. Antecedens probatur; nam si hodie applico Sacra a me facienda per rotum annum pro anima Sortis, licet hæc voluntas ne remote quidem sit causa, cur ego faciam Sacrum, sufficit tamen ad applicationem, si non revocetur.

Respondeo, transmissio antecedente, quod negat Vasq. disp. 138. cap. 6., nego consequentiam: Disparitas est, quia applicatio Sacrificii est quædam donatio fructus sacrificii, quæ purificata conditione, scilicet celebra-

tio-

tione missæ, suum sortitur effectum; non fecus ac si dono tibi librum sub conditione, quod crastina pluat, purificata conditione, transfertur in te dominium libri: Quamvis autem hic effectus translationis dominii habeatur ex donatione præterita, quæ est actio humana; at ipsa dominii translatio non est actio humana: Contra vero confectio Sacramenti, sicut etiam confectio Sacrificii, habetur formaliter per actionem humanam humano modo elicitam; atque adeo non sufficit ad illam intentionem habitualis, sed, ut ostendimus, requiritur saltem intentio virtualis alicujus finis, a quo procedat.

Dices ulterius. Si Sortes ex fenestra infundat aquam ad baptizandum aliquem, & postea statim moriatur, antequam aqua abluat hominem illum, qui vult baptizari, Baptismus valebit, quamvis non perseveret virtualiter Intentio Sortis; cum jam decesserit, quando suscipitur Baptismus: ergo pariter valebit Baptismus, si a Ministro conferatur in somno per intentionem præteritam non retractatam, quæ est intentio habitualis.

Respondeo cum Dicast. disp. 3. n. 127., ad hoc ut dicatur Baptismus conferri cum intentione virtuali, sufficere, quod detur intentio virtualis, quando ponitur actio illa externa baptizantis, seu quando infunditur aqua, quamvis non perseveret, quando aqua pertingit ad hominem, qui vult baptizari; sicut enim esset vere Martyr in simili casu, quando scilicet tyrannus proiicit lapidem ad aliquem occidendum in odium fidei, & deinde decedat, antequam ille occidatur; quia ad rationem martyrii satis est, quod habeatur in Tyranno intentio virtualis, & hæc solum requiritur, dum ponitur ejus actio externa, non vero quando ponitur effectus illius actionis externæ: Ita dicendum de Ba-

ptismo similiter collato: Quod tamen non habetur, quando quis dormiens baptizaret cum intentione præterita non retractata; eo quod non perseveraret illa intentio virtualiter, quando poneretur actio externa propria Ministri Sacramentorum. Hinc idem Dicast. infert, quod si effundens aquam e fenestra cum intentione conferendi Baptismus, si voluntatem retractet, antequam aqua perveniat ad abluendum, adhuc Baptismus conferatur, quia actio Ministri posita est sufficienter humano modo, & cum intentione debita. Matrimonium tamen, quia habet rationem contractus, non conficitur, quando fit per Procuratorem, si antequam Procurator contractum celebret, suam intentionem retractet Principalis: Sicut nec valeret Professio religiosa facta similiter per Procuratorem: Et quamvis validum sit Matrimonium celebratum per Procuratorem; si quando celebratur, Principalis dormiat, aut sit ebrius, quia intentio Principalis manet virtualiter in Procuratore, qui est veluti ejus organum; Dubium tamen est apud Doctores, an sit validum, si quando celebratur per Procuratorem, tunc Principalis sit amens. Affirmant Sanch., Bonac., Henr., Negat vero Lugo disp. 8. de Sacram. n. 108. cum aliis.

VII. Dico quarto, intentio conditionata de præterito, vel de præfenti satis est ad valorem Sacramenti; ut patet ex praxi Ecclesiæ; sæpe enim quis baptizatur sub conditione, si scilicet non est baptizatus, si est capax, &c.: At intentio conditionata de futuro non sufficit, nisi in solo Matrimonio, quippe quod sequitur naturam, & leges contractus. Verbi gratia, si quis dicat, Ego te baptizo, si cras pluet, non confertur Baptismus, neque nunc, ut patet, quia non est purificata conditio; neque cras

con-

conditione purificata; Et ratio est, quia non est in potestate Ministri suspendere effectum Sacramenti, illumque disjungere a materia, & forma ipsius, ut constat ex communi sensu Ecclesiæ: In tantum autem, ut notat Perez de Matrim. disp. 18. lib. 8., valide, & licite celebratur matrimonium sub conditione de futuro, verbi gratia, si Papa dispenset, si Pater consenserit, &c., quia cum materia, & forma Sacramenti matrimonii sit ipse contractus absolutus, & contractus, quando est conditionatus, non transeat in absolutum, nisi purificata conditione, ideo ante purificationem conditionis non habentur omnia constitutiva Sacramenti matrimonii; atque adeo non suspenditur effectus Sacramenti, positis omnibus ejus constitutivis: Contra vero, si quis baptizaret, verbi gratia, sub conditione de futuro, poneret hodie omnia constitutiva Sacramenti, materiam scilicet, & formam adæquatam, at effectum Sacramenti suspenderet, quod fieri non potest. Quod si quis baptizet sub hac conditione, videlicet, si Deus nunc prævidet te salvandum, valide baptizaret; quia conditio esset de præfenti, quamvis imprudentissime apponeretur; nec sine culpa; Cum Christus noluerit Sacramenta conferri sub conditionibus impertinentibus, & occultis.

Dices; potest absolutio a censura dari sub conditione de futuro, verbi gratia, si cras restituas, ita ut validitas absolutionis suspendatur usque ad eventum conditionis: ergo etiam absolutio a peccatis.

Respondeo, concessio antecedente, nego consequentiam: Absolutio enim a censura pendet a voluntate absolventis, ideoque potest esse valida ad ejusdem arbitrium: Contra vero absolutio a peccatis pendet a Christi institutione: Est autem contra institu-

tionem Christi, posita materia, & forma, suspendere ad arbitrium effectum Sacramenti; quamvis non sit contra institutionem, quod dato Sacramento valido, & informi, suspendatur effectus Sacramenti usque ad remotionem obicis.

VIII. Dico quinto: Intentio indirecta, seu in causa non sufficit ad valorem Sacramenti: Verbi gratia, si quis prævidens se in ebrietate, vel somno baptizaturum aliquem, inebriaret se, & illum baptizaret, Baptismus esset irritus: Quod est verum, etiamsi non solum id prævidisset, sed etiam intendisset, ita ut eo consilio se inebriasset, ut alium baptizaret. Ratio eadem est, quia actio Sacramentalis debet esse actio humana, quæ fiat ab homine qua homo est: quando autem dormit, vel ebrius est, non operatur ut homo, cum careat usu rationis. Unde apparet, quid intersit inter operationem factam a distracto, & factam ab ebrio, vel dormiente: Nam ebrius, & dormiens habent rationem omnino ligatam, ita ut usu rationis omnino careant; unde non se habent, ut homines, nec sunt in statu operandi humano modo: Contra vero distractus est in statu operandi humano modo, & utitur usu rationis in ordine ad actum præsentem, quamvis non utatur perfecte attendendo ad finem illius.

Neque dicas; Validus est Baptismus susceptus ab ebrio, vel amente, si ante amentiam, vel ebrietatem illum petierit: ergo pariter Baptismus collatus ab ebrio, aut amente.

Nam concessio antecedente, negatur consequentia: Ratio disparitatis est, quia ad suscipiendum Sacramentum satis est voluntas habitualis, ut dicemus art. 7., quia suscipiens Sacramentum non se habet active, sed passive, ideoque non debet esse principium alicujus actionis factæ humano

mo-

modo, & ab homine ut homo est, sicut debet esse Minister Sacramentorum. In solo Matrimonio per Procuratorem celebrato potest Principalis dormiens, aut ebrius valide contrahere: quia etiam tunc moraliter, & virtualiter influit per mandatum in voluntatem Procuratoris, non secus ac si vigilaret.

Neque iterum dicas, quod si quis prævideat se occisurum inimicum in ebrietate, & ideo se inebriet, ac illum occidat, est homicida: ergo similiter si Minister Sacramenti ideo se inebriet, ut in ebrietate Sacramentum administret, & de facto administret, valide administrabit. Negatur enim consequentia; quia ad rationem homicidii sufficit, quod sit volitum in causa, quia universum qui vult causam, censetur velle effectum ex ea profluentem, & tam contra iustitiam est velle mortem inimici in se, quam velle illam in causa: Et eodem modo esset Martyr, qui prævidens, se in somno occidendum propter fidem, dormiret, & occideretur. At ad conferendum valide Sacramentum requiritur, quod illud conferatur per actionem humanam, quæ illud vel actualiter, vel virtualiter directe intendat. Hinc, ut advertit de Lugo disp. 8. de Sacram. num. 110., sicut non est perjurus, qui prævidens se in ebrietate prolaturum verba perjury, ideo se inebriat, ut illa proferat, & de facto profert; quia ad rationem perjury requiritur, ut verba perjury sint humana, qualia non sunt, quæ in ebrietate proferuntur; ita in casu nostro.

IX. Quæritur quinto; Si Minister habeat intentiones contrarias, quam debet prevalere: Verbi gratia, si velit facere, quod instituit Christus Dominus, nolit tamen facere, quod intendit Ecclesia Romana?

Respondeo, & dico primo, si voluntates istæ contrariæ sint simul, præ-

valet, quæ est magis absoluta, & prædominans, seu quæ remaneret irrevocata, cognita earum impossibilitate, altera revocata: Utra autem sit talis, debet cognosci ex dispositione Ministri, si magis sit affectus circa unam, quam circa alteram: Quod si de hoc dubitetur, dubius erit valor Sacramenti.

Dico secundo: Si voluntates contrariæ sint successive, tunc vel prior est omnino absoluta, & virtualiter revocativa cujuscumque posterioris non revocantis illam explicite, & illa erit prædominans; ad eum modum, quo si quis in priori Testamento addat clausulam revocativam posterioris testamenti non revocantis explicite illud prius, in tali casu prius testamentum prævalet; expediebat enim hoc homini obnoxio oblivioni, ut possit extendere deliberationem præsentem ad revocandas deliberationes posteriores: Vel prior voluntas non continebat virtualiter vim derogatoriam subsequenter voluntatis, & tunc posterior æque efficax, & absoluta erit prædominans. Ratio est, quia prior voluntas non amplius perseverat moraliter, quoties succedit secunda contraria, quæ a prima non sit revocata.

Quod si dubitetur de prædominio istarum voluntatum, dubius erit etiam valor Sacramenti. Aliquando tamen in dubiis standum est pro Sacramenti valore, quando scilicet ex communiter contingentibus habetur præsumptio, & moralis certitudo excludens omnem formidinem de voluntate faciente ad valorem Sacramenti: Verbi gratia, si hæreticus velit baptizare, & nolit se conformare Ecclesiæ Romanæ, putans hanc errare, non est credibile illum nolle Sacramentum conferre, si sciret Ecclesiam Romanam non errare, ita ut potius velit Sacramentum esse nullum, quam ve-

lit

lit conformare se Ecclesiæ Romanæ non erranti : Contra vero Abyssini, qui contraherent Matrimonium cum pacto dissolubilitatis, non sunt præsumendi, quod vellent Sacramentum Matrimonii suscipere, si cognoscerent aliter illud non posse suscipi, quam cum pacto indissolubilitatis; quia communiter non contingit illos velle indissolubile Matrimonium inire.

X. Quæritur sexto: An intentio conferendi Sacramentum personæ determinatæ obstat valori Sacramenti, si persona illa varietur?

Respondeo, certum esse, quod si intentio dirigatur ad personam determinatam, ita ut alia explicite excludatur, invalide Sacramentum conferatur, si persona illa sit alia ab ea, quæ est in intentione Ministri: At si explicite non excludatur, sed conferatur absolutio, vel baptisimus ei, qui putatur Sortes, & sit Paulus, vel fœmina, tunc omnia Sacramenta, excepto Matrimonio, valida sunt. Ratio est, quia in solo Matrimonio error circa personam est error substantialis; in reliquis Sacramentis est accidentalis; etenim in solo Matrimonio per se spectatur individuum; quia Matrimonium ordinatur ad individuum consuetudinem vitæ, quæ maxime pendet ab individuitate Personæ, si sit appetibilis, vel respuibilis: Contra vero qui baptizat, vel absolvit, &c. parum curare solet de individuitate Personæ; atque adeo intendit baptizare præsentem, quicumque ille sit.

XI. Quæritur septimo; Quenam univèrsim requirantur in Ministro, ut valide, & licite conferat Sacramenta?

Respondeo, ad validam Sacramentorum collationem, præter intentionem conficiendi Sacramentum, & applicationem materiæ, & formæ a Christo institutæ, requiri etiam potestatem ad illud conficiendum: Hinc Sacra-

mentum Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis valide confici potest a solis sacerdotibus, Sacramentum Pœnitentiæ a solo Sacerdote habente jurisdictionem; Sacramentum Ordinis, & Confirmationis solum ab Episcopo; (quamvis ex dispensatione Sedis Apostolicæ possit a simplici Sacerdote conferri Confirmatio) sicut etiam prima tonsura, & Ordines minores: Baptisimus potest valide a quolibet utriusque sexus conferri: Matrimonium a baptizatis, qui possunt valide inter se Matrimonii contractum inire.

Ad licite vero Sacramenta ministranda; Primo requiritur, ut præter potestatem a Christo Domino derivatam, habeatur etiam ab Ecclesia facultas ministrandi illa. Quare peccat graviter Episcopus, qui in aliena diocesi Ordines confert sine illius Episcopi facultate: Peccat simplex Sacerdos conferens auctoritate propria alienis ovibus sacramenta: Peccat Laicus baptizans extra necessitatem: Peccant omnes, qui per censuras, vel Ecclesiæ statuta privati sunt vel jure, vel usu ministrandi sacramenta, & tamen illa ministrant.

Secundo requiritur, ut Minister in ministrandis sacramentis servet ritum, seu modum, quem Ecclesia, vel universalis consuetudo præscripsit: unde peccat graviter, qui, verbi gratia, in consecratione Calicis non admiscet aquam; Latinus, qui consecrat in fermentato, &c.: Poterit tamen aliquando ex parvitate materiæ peccari leviter, ut si quis utatur idiomate vulgari sine scandalo in collatione Baptismi privati. Hinc etiam est quod graviter peccet, qui utitur materia, aut forma probabili, omissa tutiore, aut si utatur jurisdictione dubia extra casum necessitatis.

Tertio requiritur, quod sit in statu gratiæ, & Sacramenta indigne peccantibus non ministret, prout diximus quæ-

quaesito 3., & fusius explicabimus
quaest. 4. art. ult. cum de Ministro Eu-
charistiae.

Quaeritur octavo; Utrum in admi-
nistratione sacramenti liceat sequi opi-
nionem probabilem, omiſſa tutiore?

Respondeo, proſcriptam eſſe ab In-
noc. XI. primam illam Theſim, in qua
id permittebatur in iis, quæ ſpectant
ad valorem Sacramenti, videlicet
in iis, quæ ſpectant ad materiam, &
formam Sacramentorum. Pro cujus
explicatione plurima fuſe diximus in
damnatarum Theſium Trutina. Hic
breviter recolo, idcirco id eſſe illicitum,
quia exponeretur periculo fru-
strationis Sacramenti; ſicut autem
contra legem peccat, tam qui illam
transgreditur, quam qui exponit ſe
periculo illam transgrediendi; ita ad-
verſus reverentiam debitam Sacramen-
to, atque adeo adverſus virtutem Re-
ligionis peccat, tam qui illud fru-
ſtratur, & invalide adminiſtrat, quam
qui exponit illud periculo fruſtratio-
nis: Et quamvis non peccaret adverſus
reverentiam Sacramento debitam, ut
nonnulli docuerunt apud Vaſq. part.
2. diſp. 63.; & Sanch. lib. 1. cap. 9.
adhuc peccaret contra charitatem qui
ſic Sacramentum adminiſtraret: ſicut
enim contra Charitatem peccat Medi-
cus, qui utitur pharmaco probabiliter
conferente ſanitatē, omiſſo tutiore,
quod præ manibus habet, ita a for-
tiori in caſu noſtro; Exponitur quip-
pe proximus periculo carendi fruſtu
Sacramenti, qui eſt longe præſtantior
ſalute corporali, quæ in diſcrimen vo-
catur per uſum pharmaci probabilis,
reliſto tutiori. Putat etiam Sanch. diſp.
44. num. 15. contra Diccaſtil., quod
peccetur etiam contra juſtitiam; quia
Minister Sacramentorum eo ipſo,
quod vult illa adminiſtrare, tacite ſe
obligat ad ea miniſtranda, prout ſu-
ſcipiens vult, ut ſibi miniſtrentur; qui
proculdubio non vult, juxta probabi-

lem opinionem, omiſſa tutiore, illa ſu-
ſcipere. Quare poſt hanc proſcriptam
Theſim communiffime docent contra
Diccaſt. part. 1. tract. 13. reſol. 2. quod
etiãſi Sacramentum non ſit ad ſalu-
tem neceſſarium, adhuc graviter pec-
cetur, ſaltem contra reverentiam illi
debitam exponendo illud periculo fru-
ſtrationis. Ex quo etiam ſequitur, ut
notat Carden. contra Vaſq. diſp. 146.
quod eodem modo graviter peccet ſu-
ſcipiens Sacramentum, ſi per confi-
miliem uſum opinionis probabilis exponat
illud periculo fruſtrationis.

Hinc tamen non ſit, quominus li-
citur ſit, tam in conferendis, quam
in ſuſcipiendis Sacramentis uti opi-
nionem moraliter certa, omiſſa tutiore,
quia moralis certitudo non relin-
quit prudentem timorem periculi nul-
litate. Quare ſicut in articulo mortis,
quando moribundus habet certitudi-
nem moralem, quod elicerit actus
Theologales præceptos fidei, ſpei, &
charitatis, non tenetur iterum, iterum-
que ſine fine conari ad illos elicien-
dos; ita qui moraliter certus eſt de
valore Sacramenti, non tenetur adhi-
bere materiam aut formam tutiorem,
præſertim ſi commode non poſſit.
Hinc poteſt pœnitens accedere ad
Sacramentum Pœnitentiæ cum attri-
tione, quamvis tutior ſit ſententia re-
quirens Contritionem; ſiquidem mo-
raliter certum eſt, quod attritio ſu-
ficiat. Pariter poteſt Confefſarius ab-
ſolvere cum jurifdiſtione probabili, ut
fuſe oſtendi qu. 3. de Jubil. art. 2.
Quamvis enim videatur exponi peri-
culo nullitate Sacramentum, quate-
nus irritum eſſet Sacramentum, ſi ju-
rifdiſtione revera non haberetur; nihi-
lominus cum certum moraliter ſit,
quod Eccleſia Parens benigniffima ju-
rifdiſtione ſuppleat, ſi forte deeſſet,
idcirco habetur moralis certitudo de
Sacramenti validitate, etiãſi cum
jurifdiſtione ſolum probabili confere-
tur;

tur; quod tamen non accidit, si conferatur cum forma, aut materia solum probabili, eo quod non possit Ecclesia supplere defectum materiae, aut formae Sacramentorum a Christo Domino instituta. Non est tamen dubium, quod possit adhiberi materia, aut forma solum probabilis, quando nequit haberi certior; imo in casu necessitatis licite adhibetur materia, ac forma dubia conferendo tunc Sacramentum sub conditione, quod ea materia, aut forma sit valida; non secus ac licite confertur sub conditione Sacramentum subiecto dubie capaci; Verbi gratia, si dubitetur, an adhuc vivat Petrus, qui petit baptizari, licite ei confertur Baptismus sub conditione, quod sit illius capax; non enim irrogatur injuria Sacramentum exponendo illud periculo nullitatis, quando aliter non potest subveniri homini indigenti, cum ob hominis utilitatem institutum sit. Qua de causa advertit Schildere de Con. tract. 6. num. 2., quod si dubitetur, an penitens sit rite dispositus, & si dimittatur, ut diligentius se praepararet, non facile ad Confessionem redibit, poterit absolvi sub conditione quod sit dispositus, quia talis spes gratiae per Sacramentum causandae, & adducendi deinceps penitentem ad meliorem frugem, videtur esse sufficiens necessitas conferendi illud sub conditione, ac exponendi periculo nullitatis, quod etiam noravit Arri. disp. 20. num. 1.

Similiter juxta opinionem probabilem administrari possent Sacramenta, quando aliter non sine magna difficultate illa possent administrari; ut multi docent apud Illunc, tom. 1. disput. 1. num. 77. quandoquidem Christus Dominus noluit Sacramentorum administrationem esse moraliter impossibilem, & odiosam fidelibus; Quare sicut possumus uti

materia, aut forma dubia, aut probabili in collatione baptismi, quando nequit physice haberi materia certa; ita pariter quando est moraliter impossibile, ut materia certa habeatur. Propterea advertit Carden. disp. 2. num. 25., quod extra mortis articulum licite conferatur absolutio penitenti, de quo solum probabilitatem habemus, quod sit dispositus, & verum habeat propositum emendationis; aliter Sacramentum penitentiae redderetur odiosum, & scrupulis obnoxium, si semper exquirenda esset certitudo moralis de dispositione penitentis excludens formidinem de opposito. Equidem tamen puto, quod in casu, quo penitens ostendit se esse dispositum, non solum habeatur opinio probabilis de ejus dispositione, sed etiam moralis certitudo, non quidem absoluta, sed respectiva, hoc est respectu Sacerdotis, qui aliam majorem certitudinem habere non potest sine magna difficultate, ut dicebam in Truina in Exposit. Thesis 1. Innoc. XI. num. 23. Ad eum modum, quo in tractatu de fide dicimus, rusticum audientem a Parocho Verbum esse incarnatum, teneri ad id credendum; quamvis nemo teneatur credere fide firmissima mysterium, (ita ut potius velit vitam deserere, quam fidem) nisi habeat moralem certitudinem, quod illud Deus revelaverit; quamvis enim Auctoritas Parocho dicentis Deum id revelasse de se non ferat, nisi opinionem probabilem; at in talibus circumstantiis, in quibus non datur prudens motivum de mendacitate, aut ignorantia Parocho, ejus auctoritas parit certitudinem moralem relate ad rusticum, non quidem absolutam, sed respectivam, quatenus non potest rusticus facilius majorem habere certitudinem, & ideo tenetur credere fide firmissima; Et idem dicendum in casu nostro; unde non

con-

confertur absolutio pœnitenti probabiliter disposito sine certitudine morali respectiva talis dispositionis. In eo tamen Doctores conveniunt, quod licitus sit usus opinionis probabilis in iis dumtaxat, quæ spectant ad materiam remotam Sacramenti, quando Sacramentum non exponitur periculo frustrationis; secus vero si exponeretur: Verbi gratia, quia exponitur periculo nullitatis baptismus, quando aqua, quæ est materia remota, est solum probabiliter aqua naturalis, (quia tunc etiam ablutio cum tali aqua esset solum probabiliter materia proxima, unde esset solum probabiliter validum Sacramentum) idcirco non licet cum tali aqua baptizare: Contra vero, quia non exponitur periculo nullitatis Sacramentum Pœnitentiæ, quando probabilitas versatur circa materiam remotam, quæ sunt peccata; (ut si quis juxta probabilem opinionem solum confiteatur circumstantias mutantem speciem peccatorum, non vero circumstantias aggravantes) quandoquidem etiam si hæc opinio non subsisteret, adhuc haberetur vera materia proxima hujus Sacramenti, nempe contritio, & confessio omnium peccatorum, quæ tenentur pœnitens explicare; idcirco licitum est uti opinione probabili, relicta tutiore circa hujusmodi materiam remotam Sacramentorum.

ARTICULUS V.

De Primario effectu Sacramentorum, qui est Gratia.

- I. Quid ferat primarius Sacramentorum effectus, quid secundarius?
- II. Omnia nova legis Sacramenta causant gratiam ex opere operato.
- III. Necnon specialem gratiam Sacramentalem; sicut etiam gratiam virtutum & donorum.

IV. At in subjectis inæqualiter dispositis gratia inæqualis causatur.

V. Pariiter perfectius Sacramentum uberiorem gratiam confert, cæteris paribus.

VI. Possunt Sacramenta vivorum per accidens primam gratiam causare.

VII. Quonam tempore Sacramenta, præsertim Eucharistia, causant gratiam?

VIII. Num etiam Eucharistia cum fide suscepta, sublato obice, reviviscat?

IX. Quomodo fictio, seu obex tollatur?

X. Physice ne, an moraliter gratiam Sacramenta causant?

I. **D**uplex est Sacramentorum effectus, alter primarius, qui est gratia, alter secundarius, videlicet Character, qui a tribus Sacramentis irreiterabilibus, videlicet Baptismo, Confirmatione, & Ordine imprimitur. Gratia est qualitas supernaturalis, qua justificamur, seu per quam sumus consortes divinæ naturæ, ita ut per illam filii Dei nominemur, & simus; & consequenter sumus etiam Dei amici, cum non possit filius non esse de se amicus; & demum sumus hæredes Regni cœlestis, dicente Apostolo, *Si filius, & hæres*. Character vero est etiam quædam qualitas indelebilis impressa animæ in signum muneris, & Sacramenti suscepti, seu ascriptionis fidelium ad aliquam dignitatem, de quo dicemus art. seq.

II. Quæritur nunc primo; An omnia Sacramenta novæ Legis ex opere operato conferant gratiam?

Respondeo, & dico primo, Omnia hæc Sacramenta causare gratiam. Est de fide ex Trident. sess. 7. can. 6. Etenim de Baptismo dicit Scriptura Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.*, De Confirmatione Act. 8. dicitur, quod *per impositionem manuum Apostolorum*

da-

daretur Spiritus Sanctus; De Eucharistia Jo: 4. *Qui manducat meam carnem, &c.*; De Pœnitentia Jo: 20 *Quorum remisistis; &c.* De Extrema unctione Jacob. 5. *Oratio fidei salvabit infirmum*; De Ordine 2. ad Timoth. 2. *Ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem, &c.* De Matrim. ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est.* Ex quibus infertur Sacramenta non esse mera signa gratiæ dandæ a solo Deo ad illorum præsentiam, sed etiam esse veras causas gratiæ, ut est de fide ex Bellarm. de effectu Sacramentorum cap. 2.

Dico secundo; Gratia ab his Sacramentis causatur ex opere operato, hoc est ex institutione Christi; ita ut si aliquando detur etiam actus meritorius operantis, in tali casu, præter gratiam, quæ confertur ex opere operantis correspondens actui meritorio, & dispositioni suscipientis, conferatur etiam gratia Sacramentalis ex opere operato juxta institutionem Christi Domini. Id tamen verum est, dummodo per peccatum mortale obex gratiæ non ponatur. Ita communiter ex Trident. loc. laud. Et ratio est, quia nisi ex opere operato causarentur gratiam, non posset baptismus collatus infanti a malo Ministro gratiam causare.

III. Dico tertio. Omnia Sacramenta novæ Legis, præter gratiam justificantem, conferunt ex opere operato specialem gratiam Sacramentalem propriam uniuscujusque Sacramenti consistentem in speciali auxilio in ordine ad finem, ad quem Sacramentum est ordinatum; Verbi gratia, Baptismus dat gratiam specialem regenerativam, seu auxilium ad suscipiendam alia Sacramenta digne, ad servanda Christi præcepta, Christianeque vivendum; Confirmatio dat gratiam roborativam, seu auxilium roborans ad fidem profitendam; Pœnitentia dat

Paris V.

auxilium ad peccata detestanda, & ad satisfaciendum pro peccatis; Eucharistia dat gratiam emundativam, seu gratiam nutrimentalem, hoc est auxilium ad præcavendas, & superandas tentationes, & ad crebros virtutum actus eliciendos; Extrema unctio dat auxilium ad facilius resistendum tentationibus in articulo mortis; Ordo dat auxilium ad recte obeunda Sacramenti Ordinis munera; Matrimonium dat auxilium ad fovendum mutuum amorem conjugum, & fidem inter ipsos servandam. Conferuntur tamen hujusmodi auxilia per hoc, quod cum gratia justificante collata per Sacramentum conferatur specialis exigentia fundata in solo Dei decreto relate ad hujusmodi auxilia, quæ sunt gratiæ actuales. Et ratio est, quia nisi ita conferrentur, deberet dici, quod gratiæ a diversis Sacramentis collatæ essent specie diversæ; non debemus autem sine fundamento ponere gratias Sacramentales specie inter se differentes contra sensum communem Theologorum, qui docent gratiam per quancunque Sacramenti susceptionem intendi: non posset autem intendi, si specie differret una ab altera.

Adde, quod vi Sacramentorum; præter gratiam justificantem, seu gratiam gratum facientem, & gratiam Sacramentalem, datur tertia gratia, quæ dicitur Virtutum, & donorum, videlicet fidei, spei, pœnitentiæ, temperantiæ, &c., quæ dicuntur virtutes infusæ, quia infunduntur, vel augentur simul cum gratia. Ita communiter; & constat ex Trid. sess. 6. cap. 7., ubi habetur, *Homines justificari per susceptionem gratiæ, & donorum*: Quamvis autem de fide solum sit, quod in Baptismo, præter gratiam, dentur virtutes infusæ, fidei, spei, charitatis; communiter tamen Doctores, & Patres docent conferri per omnia Sa-

C cra-

cramenta, præter gratiam, etiam virtutes omnes morales infusas, & ad augmentum gratiæ has augeri, tamquam proprietates gratiæ; sicut ad productionem, & augmentum ignis producitur, & crescit calor; Quicquid sit, an istæ virtutes morales, necnon virtus theologica Charitatis identificentur cum gratia, an ab illa distinguantur? quod controversatur apud Scholasticos.

IV. Quæritur secundo, an omnia Sacramenta æqualem gratiam conferant?

Respondeo, & dico primo: Sacramenta ejusdem speciei æqualem gratiam conferunt in subjectis æque dispositis; inæqualem vero in subjectis inæqualiter dispositis: Verbi gratia, duo baptismi collati duobus infantibus, æqualem illis conferunt gratiam; collati vero duobus adultis inæqualiter dispositis, conferunt gratiam inæqualem; ita ut melius dispositus non solum recipiat majorem gratiam ex opere operantis respondentem proprio actui meritorio, sed etiam ex opere operato respondentem institutioni Christi Domini; Ita communiter: Et ratio est, tum quia in Trid. habetur sess. 6. can. 7. justificari unumquemque secundum suam mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam uniuscujusque dispositionem, & cooperationem; Tum etiam, quia nos ex causis naturalibus debemus proportionaliter philosophari ad causas supernaturales, quoties non habemus revelationem in contrarium; cum universim Gratia naturam imitetur; causæ autem naturales majorem effectum producant in subjecto magis disposito: Tum demum, quia ita deicit, ut homines sic excitarentur ad recipienda Sacramenta cum meliori dispositione.

Hinc infert Coninck dub. 3. num.

§2., quod recipiens Sacramentum in gratia majorem gratiam cæteris paribus recipiat, quam ille, qui attritus per Sacramentum justificatur; tum quia ille est magis dispositus, cum sit gratus Deo; tum etiam quia duplicem ille gratiam recipit, alteram respondentem propriæ devotioni, & ex opere operantis, alteram respondentem Sacramento, & ex opere operato; ubi attritus solam gratiam ex opere operato recipit, quia attritio illa, utpote peccatoris, non est satis ad merendam gratiam, sed est solum dispositio ad recipiendam in Sacramento gratiam ex opere operato.

V. Dico secundo; Sacramenta diversæ speciei, verbi gratia, Baptismus, & Confirmatio, collata duobus æque dispositis, ex se non conferunt æqualem gratiam, sed perfectius Sacramentum majorem gratiam causabit. Unde Eucharistia, quæ est omnium Sacramentorum perfectissimum, maxime inter reliqua gratiam causat. Ita D. Th. 3. part. quæst. 65. art. 3. apud Trullench. Et ratio est eadem, quia sicut agens naturale perfectius perfectiorem causat effectum, ita agens supernaturale.

Dico tertio: Sacramenta non conferunt gratiam majorem per hoc, quod a meliori Ministro conferantur; quamvis bonus Minister possit impetrare aliquod auxilium, seu motum suscipienti Sacramento, ut melius ad illud se præparet. Ratio est, quia sicut improbitas Ministri non obstat, quin gratia per sacramentum conferatur; ita major probitas Ministri non confert ad hoc, ut uberior gratia conferatur: gratia enim non confertur ob meritum Ministri, sed ob merita Christi Domini. Unde Nazianzenus ait, quod sicut sigillum ferreum, & aureum eandem figuram imprimunt, ita bonus, & malus Minister eandem gratiam conferunt.

VI. Qua-

VI. Quæres tertio, an omnia Sacramenta conferre possint primam gratiam?

Notandum Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, quæ dicuntur mortuorum, ex sua institutione ordinata esse ad conferendam primam gratiam, five ad conferendam gratiam peccatori nullam præhabenti gratiam; dubium ergo nunc est, an sicut hæc Sacramenta conterunt primam gratiam, si suscipiens ad illa accedat cum sola attritione; ita pariter possint alia Sacramenta, puta Eucharistiæ, aut Extremæ Unctionis, conferre peccatori primam gratiam, si ad illa peccator accedat cum sola attritione, immemor tamen invincibiliter peccati mortalis; nam si peccati recordaretur, teneretur procul dubio præmittere confessionem, aut saltem urgente necessitate contritionem.

Respondeo nunc ad quæsitum affirmative. Ita communius. Ratio est, quia in Trident. sess. 7. can. 6. habetur: *Si quis dixerit Sacramenta nova legis gratiam non potentibus obicem non conferre, anathema sit.* atqui in casu adducto, qui cum attritione ad Eucharistiam accedit, non ponit obicem gratiæ: ergo per Eucharistiam, & alia Sacramenta vivorum etiam prima gratia conferri potest. Minor probatur: nam sicut peccatum non est obex gratiæ in Sacramentis mortuorum, videlicet Baptismi, & Pœnitentiæ, si quis ad hæc sacramenta cum attritione accedat, ita nec in casu nostro. Quod autem peccatum cum attritione non sit obex gratiæ, solum in Sacramentis institutis ad delenda mortalia; in aliis vero Sacramentis sit obex, gratis assumitur. Neque dicas, reliqua Sacramenta esse Sacramenta vivorum, atque adeo primam gratiam supponere: Nam satis est, quod per se id habeant, quamvis per accidens in casu posito possint primam gratiam

causare; Sicut ex opposito Sacramenta mortuorum per se primam gratiam producant, & tamen possunt etiam secundam gratiam causare per accidens, iis videlicet, qui cum contritione ad illa accedunt; nec non iis, qui solum venialia, aut mortalia remissa clavibus subjiciunt.

Ex hac probabili sententia inferunt non pauci apud Dian. part. 11. tract. 7. resol. 43. posse etiam laicos ministrare Eucharistiam moribundo, si desit Sacerdos; cum enim nequeat aliud Sacramentum suscipere, & forte non poterit contritionem elicere, ne decedat cum sola attritione, & damnatur, ideo ex gravium Auctorum suffragio cum Suar., Con. Laym. laudatis a Busemb. tract. 3. cap. 21. probabile est posse a laicis Sacramentum Eucharistiæ administrari, ut consulatur extremæ indigentia moribundi, qui per susceptionem hujus Sacramenti ex attrito fieret contritus, & salutem æternam consequeretur.

Neque hinc fit, quod possit Sacerdos ad dandum viaticum moribundo, aut sine sacris vestibus, aut sub una tantum specie, aut non jejunus celebrare, prout nonnemo contra communissimam docuit apud Mendo in Statera disp. 11. quæst. 2. & apud Busemb. lib. 4. tract. 3. cap. 2. Ratio est, quia in his casibus, in quibus reperitur Sacerdos, poterit regulariter moribundo Sacramentum Pœnitentiæ administrari, vi cujus ex attrito fieret contritus; unde non extreme indigeret Sacramento Eucharistiæ, sicut in casu nostro, in quo supponitur nullum aliud Sacramentum posse moribundo administrari. Ubi advertet, quod licet possit, & teneatur moribundus sumere viaticum, etiam si non sit jejunus, non proinde poterit Sacerdos non jejunus celebrare ad dandum viaticum, ut communius docent contra Granad. & alios

apud Lugo disp. 15. de Sacr. num. 67. ; quorum sententiam ipse Lugo , & Tamb. putant esse probabilem .

Ratio disparitatis est , quia cum praeceptum sumendi viaticum sit praeceptum divinum , & praeceptum non communicandi a non jejuno sit praeceptum Ecclesiasticum , & hac de causa possit moribundus non jejunus communicare , quia praeceptum divinum praevalet praecepto Ecclesiastico ; Nilominus praeceptum celebrandi juxta ritum , & ordinem ab Ecclesia praescriptum , ob reverentiam tanto Sacramento debitam , est quoddam praeceptum naturale , quod praevalet praecepto divino positivo ; unde sicut non potest Sacerdos ad dandum viaticum moribundo celebrare sine sacris vestibus , aut sine ara consecrata , aut in fermentato , ita nec poterit celebrare non jejunus ; dummodo moribundus (ut advertit Filliuc. apud eundem Lugo) possit aliud Sacramentum , puta Pœnitentiæ , aut extremæ unctionis suscipere ; aliter poterit non jejunus celebrare , ut probabiliter docet idem Fill. , & Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 21. Potest etiam ex eodem Lugo Sacerdos moriturus , aut occidendus celebrare non jejunus ad dandum sibi viaticum , si non possit aliter viaticum sumere . Ratio Lugonis est , quia dispensatum univèrsim est ab Ecclesia , quod moribundus non jejunus possit viaticum sumere : cum autem non sit plus celebrare , quam communicare sine jejuniò , sicut licite potest Sacerdos moribundus communicare sine jejuniò , ita poterit celebrare sine jejuniò ad dandum sibi viaticum , si non possit aliter illud sumere . Huic tamen doctrinæ non acquiesco , quia praeceptum non celebrandi sine consueto ritu Ecclesiæ videtur pro quolibet casu militare ; unde censeo , quod tunc possit Sacerdos communicare non jejunus ad dan-

dum sibi viaticum , quando non potest aliud Sacramentum suscipere , quo fiat ex attrito contritus : sicut diximus ex Fill. , & Laym. quod possit non jejunus celebrare ad dandum viaticum alteri moribundo , in hypothesi , quod hic non posset aliud Sacramentum suscipere , & scandalum cesset : sicut etiam , quod possit in eodem casu a Laicis Eucharistia moribundo ministrari , ut posset ex attrito fieri contritus . Non est autem mirum , quod moribundus praesente Sacerdote possit in aliquo raro eventu viaticum sumere ; (ut proinde possit Sacerdos ad illud conferendum non jejunus celebrare) non possit autem Sacramentum Pœnitentiæ ab eo suscipere ; nam , si ita sensibus destituitur , ut non sit mentis compos , erit quidem capax sumendi Sacramentum Eucharistiæ , non secus ac est capax suscipiendi Sacramentum Extremæ unctionis ; non erit vero capax suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ ; eo quod ad ea Sacramenta suscipienda satis sit intentio habitualis ; ad Sacramentum vero Pœnitentiæ requiruntur actus pœnitentis illud constituentes , quos elicere nequit , qui non est sui , ac mentis compos ; Quicquid sit , an huic conferri possit absolutio suo conditione , quod in tract. de Pœnitent. quæst. 5. art. 5. discutiendum erit .

VII. Quæritur quarto , quo tempore Sacramenta conferant gratiam ?

Respondeo , Sacramenta transeuntia (quæ scilicet consistunt in usu , & non sunt permanentia , sicut est sola Eucharistia) conferre gratiam in eo instanti , in quo materia , & forma habent perfectam significationem ; verbi gratia in Baptismo , quando ablutio , & prolatio verborum gignunt perfectum sensum ; dummodo tamen non ponatur obex ; nam si quis cum fictione , seu cum mortali Baptismum suscipiat , recipiet tunc characterem ,
sed

fed non gratiam. Ratio est, quia in eo instanti Sacramenta transeuntia dicuntur suscipi: ergo in eo instanti causant effectus Sacramentales; atque adeo Baptismus in eo instanti causat gratiam, & characterem, nisi detur obex: Cum autem peccatum non sit obex characteri, sed solum gratia, cum qua est impossibile, & quam solus amittit Christianus peccando; ideo character semper imprimatur in quacumque valida susceptione Baptismi; gratia vero non nisi quando nullus est obex. Idem proportionaliter dicendum de aliis Sacramentis, quæ consistunt in usu, sive characterem imprimant, ut Confirmatio, & Ordo, sive non imprimant, ut reliqua.

Quod tamen attinet ad Sacramentum permanens, videlicet ad Eucharistiam; si absque fictione, seu citra mortalem culpam illud suscipiatur, confert gratiam in eo instanti, in quo in stomachum traicitur; tunc enim dicitur manducari: Christus autem Dominus manducantibus promisit gratiam, cum dixerit: *Qui manducat hunc panem, vivet in ævum.* Docet præterea Suar. disp. 63. de Euchar. sect. 7. Amicus, Franciscus de Lugo, Isambert., & alii apud Dian. part. 11. tract. 7. resol. 47. quod toto tempore, quo Christus Dominus in stomacho perseverat, gratiam conferat, si nova semper dispositio ponatur ex parte objecti: Et quamvis olim hæc opinio male audierit, nunc tamen ex Lugo disp. 12. de Euchar. sect. 2. n. 46. communiter recipitur, tamquam magis pia, & non levis probabilitatis. Et ratio est, quia cum Eucharistia conferat gratiam per modum cibi nutrientis, & manducatio sit solum conditio requisita, ut cibus nutriat, sequitur, quod quousque Eucharistia est in stomacho, animam nutriat, & gratiam producat, dummodo sit ex parte subjecti nova dis-

Pars V.

positio; Nam sicut lucidum statim illuminat, & quo magis applicatur, magis illuminat, ita Eucharistia quæ operatur, ut supra diximus, per modum cause naturalis, statim gratiam, quam potest, causat, dum manducatur; & quo majorem dispositionem deinde reperit in suscipiente, dum in stomacho perseverat, eo majorem gratiam producit.

VIII. Dubium tamen est, An etiam Eucharistia cum fictione suscepta reviviscat, recedente fictione, saltem per attritionem?

Respondeo, omnes cum Augustin. lib. 1. de Bapt. cap. 11. contra Donatistas docere, quod Baptismus cum fictione susceptus, recedente fictione, reviviscat, unde non debet iterum suscipi: Ex paritate Baptismi inferunt Doctores communius cum Suar. hic disp. 28. sect. 6., & disp. 63. sect. 8. Lugo disp. 9. sect. 6. & aliis, non solum Confirmationem, & Ordines, quæ sunt pariter Sacramenta irreiterabilia, recedente fictione, reviviscere, & gratiam producere, sed etiam reliqua Sacramenta, præter Eucharistiam; quia Extrema Unctio, & Matrimonium sunt etiam aliquatenus irreiterabilia videlicet, durante eodem mortis periculo, & eodem conjugio; unde expedit, ut gratia per hæc Sacramenta conferatur, obice recedente: Confessio Sacramentalis relate ad idem peccatum, quamvis reiterari possit, non tamen debet: unde data possibilitate hujus Sacramenti validi, & informis, pariter congruum est, ut reviviscat; quia sicut necessarius est Baptismus ad remissionem, mortalis commissi ante Baptismum, ita necessaria est pœnitentia ad remissionem mortalis post Baptismum commissi: Eucharistia tamen, quia non est necessaria ad salutem, & potest iterari, communius docent, quod non reviviscat; hinc enim sequeretur, quod

C 3 Sa.

Sacerdos, qui per totam vitam sacrilege celebravit, si tandem contenteretur, susciperet gratiam cumulatissimam, quam in tot Sacramentis recepisset, unde lucrum ex Sacrilegiis reportaret. Non desunt tamen, qui cum Coninch doceant; quod si obex tollatur, antequam species consumantur, reviviscat; quia tunc Sacramentum adhuc durat, & probabile est, ut diximus, conferre novam gratiam ex opere operato, si nova dispositio accedat. Probabile etiam est, quod aliqui docent (quos tacito nomine refert Henr. lib. 1. cap. 25. num. 7.) etiam consumptis speciebus reviviscere; quia Sacramentum hoc, inter reliqua præstantissimum, non debet carere activitate, qua reliqua pollent. Nec videtur absolum, quod post tot sacrilegia, remoto obice, gratia conferatur, quæ antea collata fuisset, si sine obice Sacerdos celebrasset; sicut non est absurdum, quod post sacrilegium commissum per susceptionem Baptismi cum fictione, remoto obice, gratia conferatur, quæ per Baptismum sine obice suscepta fuisset; id quippe maxime divinam munificentiam commendat.

IX. Dubium præterea est, quomodo fictio, seu obex removeatur?

Respondeo, tolli per illam eandem dispositionem, quam exigebat Sacramenti susceptio; Quare quia Baptismus, & Pœnitentia, quæ sunt Sacramenta mortuorum, non prærequirunt contritionem, sed solam attritionem, ut suscipiantur; ideo, si cum fictione, seu cum mortali recipiantur, removeatur obex, seu deletur peccatum illud mortale, si post Sacramenti susceptionem ponatur attritio: Reliqua vero Sacramenta vivorum, si per accidens possunt causare primam gratiam, ut docent communius, ad hoc, ut reviviscant, sufficit pariter attritio; si vero dicamus, quod non possint per ac-

cidens primam gratiam causare, tunc, ut reviviscant, prærequirunt in peccatore vel attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ, vel saltem contritionem; quia has dispositiones in utraque sententia requirunt, ut suscipiantur cum fructu, ut advertunt Vasq., Suar., Con., Lugo. Notandum tamen, quod si quis suscipiat Baptismum cum fictione, & deinde nullo alio peccato post Baptismum commissio atteratur, recipiet post talem attritionem gratiam Sacramentalem propriam Baptismi, qui reviviscit; Si vero hic post Baptismum novum mortale commisset, non satis est sola attritio, ut Baptismus reviviscat, quia Baptismus non potest delere peccata post Baptismum commissa, nec potest dari in præsentia providentia remissio unius peccati sine alio; quare, ut reviviscat in tali casu Baptismus, requiritur vel attritio cum Sacramento Pœnitentiæ (sic enim posita confessione mortaliū post Baptismum commissorum, datur simul gratia Sacramentalis propria Sacramenti Pœnitentiæ, & propria Baptismi) vel saltem requiritur contritio continens votum pœnitentiæ, qua posita, & datur gratia debita contritioni ex opere operantis, & gratia propria Baptismi ex opere operato. Idem dicas, si quis post susceptum Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, novum mortale committat; non potest enim per solam attritionem prius Sacramentum reviviscere; cum non possit per illud remitti peccatum commissum post susceptionem illius.

Obijcies primo. Sacramentum in voto susceptum confert sæpe gratiam, quando scilicet votum Sacramenti annectitur dilectioni Dei super omnia, vel contritioni; ut proinde Trid. sess. 13. cap. 8. dicat, effectum Sacramenti quandoque recipi per votum illius; ergo falsum est, quod Sacramen-

menta nunquam causent gratiam ante
ejus susceptionem.

Respondeo, concessio antecedente,
nego consequentiam: Etenim in casu
adducto recipitur gratia ex opere o-
perantis debita tali actui, non vero
ex opere operato debita Sacramento
ex institutione Christi Domini; unde
nec character imprimitur. Intantum
autem Tridentinum dicit recipi effe-
ctum Sacramenti per votum illius, in
quantum recipitur gratia de congruo,
vel de condigno similis illi, quæ per
Sacramentum conferri solet: Sicut a
sole haberi potest effectus ignis, in
quantum haberi potest calor similis il-
li, qui ab igne producit. Ex hoc
autem quod suscipiens Baptismum in
voto nec gratiam ex opere operato,
nec characterem baptismalem susci-
piat, fit, quod alia Sacramenta vali-
de suscipere non possit; cum non sit
intra ovile Ecclesiæ, qui non intrat
in illam per Januam suam, qui est
Baptismus fluminis.

Instabis: Ergo si in ultimo instan-
ti, quo perficitur significatio materiæ,
& formæ Sacramenti, homo moreret-
ur, non reciperet gratiam sacramen-
talem; quandoquidem tunc non esset
in statu viæ, quod videtur absolum.

Respondeo, Vasq. hic disputat. 32.
sect. 9. num. 23. concedere sequelam:
Alii vero docent, Deum ex sua pro-
videntia talem casum non permittere;
vel si permetteret, conferre tunc gra-
tiam in eodem instanti mortis intuitu
Sacramenti cum debita dispositione sus-
cepti. Sicut enim communius docent,
quod si quis cum veniali decedat in eo
instanti, quo moritur, remitteretur
illa culpa per ferventissimum actum
contritionis, vel amoris Dei post mor-
tem elicitem; cum in Purgatorio pœ-
na culpæ illi veniali debita luatur, sed
culpa ibi non eradatur, nec possit a-
nima ad Cælum evolare, antequam
illi culpæ omnes remittantur, cum ni-

hil coinquinatum possit ingredi Re-
gnum Cælorum: Ita dici pariter po-
terit in casu nostro, quod illud instans,
in quo quis moritur, perinde se ha-
beat, ac si moriens sit in statu viæ in
ordine ad recipiendam gratiam Sacra-
mentalem; cum id videatur consonum
dignitati Sacramenti.

Objicies secundo; si Sacramenta,
quæ consistunt in usu, causarent gra-
tiam, quando ultimo completa est si-
gnificatio materiæ, & formæ, verbi
gratia, quando ablutio, & prolatio
formæ est moraliter completa, seque-
retur, quod ablutio, quæ jam præ-
cessit, & verba, quæ præcesserunt,
causarent gratiam: atqui quod fuit,
non potest nunc actu causare: ergo.

Respondeo, duplicem esse senten-
tiam circa causalitatem gratiæ pro-
prium Sacramentorum: Alii volunt,
Sacramenta causare gratiam moraliter,
sive physice existant, sive non; sicut enim Baptismus sicte susceptus,
recedente fictione, in communi sen-
tentia causat gratiam moraliter, cum
physice non existat, quatenus scilicet
moveret Deum, ut gratiam physice pro-
ducat: Ita pariter Baptismus, qui se-
cundum ultimam particulam materiæ,
aut formæ existit physice, poterit eo-
dem modo causare moraliter gratiam:
Alii volunt, Sacramenta, quando phy-
sice existunt, causare physice gratiam
per potestatem obedientialem; & in
hac sententia causatur physice gratia
a Sacramentis, solum secundum illam
particulam materiæ, aut formæ, aut
utriusque, quæ actu existit, quando
ultimo completa est significatio mate-
riæ, & formæ Sacramenti. Quare li-
cet verum sit, quod non possint phy-
sice causare gratiam Sacramenta,
quando nullatenus physice existunt,
poterunt tamen illam tunc causare
moraliter, per hoc, quod actiones
Ministri Sacramentorum, tamquam
actiones Christi Domini principaliter

operantis moveant hic & nunc Deum ad causandam physice gratiam intuitu meritorum eiusdem Christi.

X. Queritur ultimo, physice ne, an moraliter gratiam de facto causent Sacramenta?

Certum est, causam physicam esse illam, quæ reali influxu attingit effectum, ut ignis est causa caloris: Causam vero moralem esse, quæ non reali influxu, sed morali effectum attingit, quatenus realiter movet alium ad causandum physice effectum; seu causa moralis est illa, cujus intuitu alter physice causat effectum: Sic qui consilio, precibus, imperio inducit alium ad homicidium physice ponendum, dicitur causa moralis talis homicidii; & qui meretur gratiam, vel gloriam, exigendo, ut Deus producat physice gratiam, aut gloriam, dicitur causa moralis talis gloriæ: Sic preces dicuntur causa moralis remissionis debiti, si illarum intuitu debitum remittatur, & Chirographum dicitur causa moralis solutionis. Præterea tam causæ physica, quam morales, aliæ dicuntur principales, aliæ instrumentales. Sic ignis dicitur causa physica principalis productiva alterius ignis, & calor relate ad productionem ignis dicitur causa instrumentalis: Sic preces, vel consilium dicuntur causa principalis moralis relate ad homicidium ponendum; & Epistola, per quam preces adhibentur, dicitur causa moralis instrumentalis. His positis,

Respondeo, & dico primo, Sacramenta esse causas morales instrumentales gratiæ. Probatur, quia Deus intuitu Sacramentorum representantium merita Christi producit gratiam: ergo sicut relate ad productionem gratiæ merita Christi Domini sunt causa moralis principalis; ita Sacramenta representantia Christi merita sunt causa moralis instrumentalis. Ita Con., & alii apud Bonac. quod usque adeo

verum reputant, ut censeant Sacramenta solum esse causas morales gratiæ, non physicas; quod verius etiam putat Filliuc. tom. 1. tract. 1. cap. 6. num. 108.

Dico tamen secundo, Sacramenta probabilius non solum sunt causæ instrumentales gratiæ morales, sed etiam causæ instrumentales physica, ita ut physice, & realiter, tamquam instrumenta elevata virtute divina intermediatè reali influxu gratiam attingant. Ita Bellar., Suar. disp. 9. sect. 2., & alii cum Bonac. quest. 4. punct. 6. Probatur primo ex Scripturis, ubi dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.*, quæ verba eandem causalitatem videntur tribuere aquæ, & Spiritui sancto, atque adeo sicut Spiritus sanctus causat physice gratiam, ita & aqua. Secundo, quia ex una parte non repugnat, quod causa naturalis per potentiam obedientialem elevetur ad effectum supernaturalem; Sic Christi Humanitas fuit instrumentum physicum efficiendi gratiam, & miracula; sic intellectus, & voluntas elevantur ad eliciendos actus supernaturales; & ignis inferni elevatur ad torquendos spiritus: Ex altera parte dignius de Sacramentis sentimus, si dicamus non esse nuda signa, & veluti Chirographa, seu epistolas representantes merita Christi, quorum intuitu gratia producat, sed esse vere causas infallibiliter effectivas gratiæ per potentiam obedientialem: ergo dicendum, esse etiam causas instrumentales physicas; quando tamen sic possunt causare, hoc est quando physice existunt; nam quando physice non existunt, (ut accidit, quando Baptismus, verbi gratia, recedente fictione, causat gratiam) tunc procul dubio non nisi moraliter causant: Et idem dicas de reliquis partibus Sacramenti, quæ præcesserunt, quando existit ultima pars, per quam ultimo

com-

completur significatio materiæ, & formæ Sacramenti. Et eodem modo solum causantur moraliter auxilia particularia, quæ exigunt quodvis Sacramentum relate ad finem, ad quem est institutum: Et solum moraliter causatur a Sacramentis remissio pœnæ; cum talis remissio non sit quid physicum.

Rogabis, quid sit ista potentia obedientialis, per quam Sacramenta physice causant gratiam?

Respondeo esse aptitudinem in creatura, per quam nata est obedire Deo ad producendum scilicet cum Omnipotentia quicquid non implicat contradictionem: Quare non est aliquid distinctum ab ipsa creatura, sed est idem esse creaturæ, quod quia subiectum Deo est, natum est illi obedire. Disputant tamen Scholastici, Utrum qualibet creatura habeat hanc potentiam obedientialem, an vero sola creatura activa, quæ scilicet potest effectum aliquem naturalem producere, ita ut talis activitas adjuncta ab Omnipotentia possit elevari ad effectum supernaturalem. Probabilius censeo, cuilibet creaturæ, etiamsi nullam activitatem naturalem habeat, inesse tale inchoamentum virtutis, vi cuius possit cum consortio Omnipotentia elevari ad producendum quodlibet: Sic enim magis consentanea de creatura subiecta Deo sentimus, ita ut etiam in hoc Deo subijciatur, ut possit illi obedire. Quod si creatura careret tali potentia obedientiali congenita, adhuc possent Sacramenta per qualitatem inhærentem elevari ad effectum supernaturalem, ita ut effectus supernaturalis tribueretur Sacramentis, non quidem per accidens, ut calefactio per accidens tribuitur aquæ calidæ, sed per se: Ad eum enim modum, quo corpus beatum per se illuminatur, quia exigit lucem, qua illuminet; ita quia Sacramenta sunt actiones factæ

nomine Christi, ideoque continent meritum, & exigentiam talis qualitatis supernaturalis per se, & non per accidens effectum supernaturalem producerent. Et idem dicas, si omnipotentia non quomodocumque ex pacto assisteret, sed speciali modo in-existeret in Sacramentis, sicut Deus speciali modo inexistit Christo per unionem hypostaticam, & in Justo per gratiam, adeo ut si non esset immensus, adhuc in iis esse deberet: Sicut enim in Incarnatione Verbum descendit de Cœlis, & peculiari pariter il-lapsu Trinitas descendit in animam Iusti, juxta illud Christi Domini, *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; ita pariter Spiritus sanctus in Sacramentis specialiter illabitur, & manet, ut notat D. Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. 5. dicens: *Non sanat aqua, nisi Spiritus sanctus descenderit, & aquam consecraverit*: Et inferius dicit: *Spiritus sanctus manens in Sacramentis latenter operatur*. Sed hac de re fusius in Scholastica Theologia diximus agendo de Sacramentorum activitate

ARTICULUS VI.

De Secundario effectu Sacramentorum, qui est Character.

- I. Quid sit Character Sacramentalis?
- II. Quam connexionem inter se habeant Characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis?
- III. Quinque sunt Characteris hujus proprietates.
- IV. Congruum fuit, ut solum a tribus Sacramentis irreiterabilibus Character imprimeretur in anima indelebiter.
- V. Quid in Sacramentis nova legis dicatur esse, Res tantum, Sacramentum tantum, & Res simul, ac Sacramentum?

I. **C**haracter est vox graeca significans firmam figuram, aut signum, quo res aliqua ab alia discernatur; sicut ovis ferro candenti signata distinguitur a non signatis. In hoc sensu Patres accipiunt Characterem impressum in anima a tribus Sacramentis Baptismi, Confirmationis, & Ordinis: Nam per Characterem Baptismi Christianus, ac domesticus Christi a non Christiano discernitur; per Characterem Confirmationis discernitur miles fortis Christi a milite invalido; per Characterem ordinis discernitur Minister Christi a non Ministro, seu ordinatus a laico.

Quaeritur primo, quid sit iste Character, seu signum, & nota talis distinctionis?

Respondeo, esse qualitatem quandam specialem impressam, seu infusam a Deo in animam, qua homo redditur aptus ad Sacramenta recipienda, vel administranda, aut ad alia divini cultus opera. Ita communiter ex D. Th. 3. part. quaest. 63. art. 2. dicitur *Qualitas spiritualis*, & in hoc convenit cum aliis qualitatibus spiritualibus, sive talis qualitas reducat ad qualitatem, quae dicitur potentia, ut vult D. Thom. quia per Characterem homo fit aptus ad recipiendum, & ad operandum, &c; sive reducat ad habitum, & dispositionem sine ordine ad operationem, ut putat Suar.: Sicut enim pulchritudo, & sanitas est bona dispositio corporis, ita putant, quod Character sit veluti pulchritudo, & bona dispositio animae, quae habet rationem habitus, quia est difficile mobilis. Dicitur *impressa in anima*, ut denotetur, quod Angeli, qui Sacramenta non recipiunt, nullum habeant Characterem, & anima etiam separata characterem retineat. Christus Dominus characterem non habet; tum quia Sacramenta praeter Eucharistiam non recepit; tum

etiam quia character est signum servorum, Militum, ac Ministrorum; Christus autem dominus est, Pastor, Dux, & Dominus. At Beata Virgo, quia Sacramentum Baptismi, & Confirmationis recepit, utrumque habet characterem. Dicitur demum, *qua homo redditur aptus &c.*, ut ostendatur munus, & finis characteris; nam character Baptismi disponit hominem ad reliqua Sacramenta recipienda; & ideo dicitur janua Sacramentorum: Character Confirmationis disponit magis ad reliqua Sacramenta suscipienda, necnon ad eliciendos actus fidei: Character Ordinis disponit ad exercenda munera & opera cuiusque Ordinis propria. Hinc D. Th. loc. cit. characterem baptismalem vocat potentiam passivam, quia datur ad recipiendum; alios vocat potentias activas, quia praecipue dantur ad operandum.

II. Notandum praeterea, Characteres istos habere inter se quandam connexionem: Nam Characteres Confirmationis, & Ordinis necessario supponunt characterem baptismalem; & ideo si Confirmatio, aut Ordo conferantur non baptizato, invalide conferuntur: Character tamen Ordinis non habet necessariam connexionem cum characterem Confirmationis; unde non confirmatus valide ordinatur. Imo Henriq. lib. 10. cap. 17. putat, quod citra culpam mortalem hic ordinaretur. Demum characteres Ordinum nec habent inter se necessariam connexionem; unde ordinatio facta per saltum valida est, si scilicet quis ordinetur Sacerdos, praetermisso ordine Diaconatus.

III. Ex dictis inferitur, quinque esse proprietates characteris. Nam primo character consecrat animam Deo, tamquam templum quoddam: quare sicut in templo facilius exauditur oratio, excitatur devotio, daemones arcentur.

arcentur; ita in anima habente characterem. Secundo per illum transit homo in Jus Dei speciale; unde Apost. primæ ad Corinth. 6. ait: *Non estis vestri*, &c. Tertio per characterem assimilamur Christo, sumus ejus membra, & distinguimur ab aliis; Quarto est signum indelebile, quæ recipiatur in anima incorruptibili, quæ nullum habet contrarium; unde in æternum durabit, etiam in damnatis: Congruum autem fuit, quod per peccatum character non deperdatur, quia aliter deberet homo post peccatum iterum baptizari, ordinari &c. Demum per characterem disponimur ad alia Sacramenta vel recipienda, vel administranda, &c.

Dices; In Patria habitus fidei, & spei supernaturalis desinunt, manente sola charitate, juxta illud Apost. *Charitas nunquam excidit*: idque, quia fides, & spes in Patria non deserviunt, cum tales actus non exercentur: ergo pariter desinere debet character, cum cesset ejus finis.

Respondetur, omisso antecedente, nego consequentiam: quamvis enim post mortem non remaneat potestas suscipiendi, aut conferendi Sacramenta; non proinde cessat finis characteris, qui est obsignare animam tamquam scriptam ad Christi familiam, militiam, aut ministerium, in decus, & ornamentum Beatorum, & in dedecus, & confusionem damnatorum.

IV. Quæritur secundo; quænam Sacramenta imprimant characterem?

Respondeo, neque Sacramenta legis naturæ, neque Sacramenta legis scriptæ impressisse characterem ullum. Ita fere omnes Theologi. Scotus putavit, Circumcisionem impressisse characterem. Sed communiter rejicitur, quia nec auctoritas, nec ratio firma stant pro hac sententia. Sacramenta vero legis novæ solum tria enumerata Baptismi, Confirmationis, & Or-

dinis imprimunt characterem, & ideo sunt simpliciter irreiterabilia, ex Trid. sess. 7. cap. 9. cum non debeant iterum imprimere, quod semel impressum est indelebiter. Congruitas hujus institutionis fuit, quia per ista Sacramenta homines deputantur ad aliquem gradum, & officium particulare; moris quippe est, ut qui officia habent particularia, præsertim publica, habeant etiam peculiaris signa, quibus discernantur: Homo autem per Baptismum fit Christi domesticus, & de ejus familia; unde ab aliis per signum stabile discerni debuit: Per Confirmationem qui erat domesticus Christi, fit ejus miles, unde pariter a non militibus debuit discerni: Per Ordinem fit Minister Christi, qui est gradus peculiaris: unde pariter debuit habere suum distinctivum. Reliqua vero Sacramenta, quia non conferunt specialem gradum aut officium, non exigebant speciale discriminativum, ut notat Scotus in 4. dist. 6. quæst. 10.; Nam quod domesticus possit comedere, & bibere, quod possit recuperare gratiam sui domini, & in extremo agone specialiter muniri, quod possit generare, &c. non sunt officia particularia, quæ requirant specialem designationem.

V. Missis aliis, quæ de Characterem Sacramentali discutiuntur in Scholastica Theologia, illud hic notandum ex communi Doctorum; tria esse in Sacramentis novæ legis: videlicet datur in iis Res tantum, Sacramentum tantum, & Res simul, & Sacramentum. Dicitur *Sacramentum tantum* id, quod significat, & non significatur; & hujusmodi est in omnibus Sacramentis materia & forma. Dicitur *Res Sacramenti tantum*, quæ significatur, & non significat; & hoc est Gratia. Dicitur demum *Res simul, & Sacramentum*, quod significat, & significatur; & hujusmodi est character

in

in Sacramentis; a quibus impri-
mitur; quia simul ab iis significatur,
& simul significat potentiam expli-
catam suscipiendi & ministrandi Sa-
cramenta. In Eucharistia Corpus
Christi dicitur esse Res simul, & Sa-
cramentum; Sic etiam in Extrema un-
ctione dicitur Res simul, & Sacra-
mentum Sanitas corporalis, quia si-
gnificat sanitatem spiritualem, & si-
gnificatur a materia, & forma talis
Sacramenti. In Matrimonio vero vin-
culum Conjugum habet rationem rei
simul, & Sacramenti: Et in Sacra-
mento Pœnitentiæ contritio, ut docent
communis; quatenus enim per Con-
fessionem significatur, est res, & qua-
tenus per Confessionem significat re-
conciliationem cum Deo, & pecca-
torum remissionem, est Sacramen-
tum. Ubi tamen duo advertenda.
Primum est, nomine Sacramenti hic
non venire signum practicum gratiæ,
nec partem constitutivam Sacramenti,
sed solum venire signum pertinens
ad Sacramentum; Character enim ne-
que est signum practicum gratiæ, ne-
que Sacramentum constituit: Alterum
est, quod non sit necesse invenire in
omnibus Sacramentis id, quod sit res
simul, & sacramentum, quamvis Do-
ctores conentur illud adinvenire.

ARTICULUS VII.

De Suscipiente Sacramentum.

- I. *Non nisi Viatores sunt capaces Sacra-
mentorum.*
- II. *Fetus animatus probabiliter est ca-
pax Baptismi, quamvis nondum
sit egressus ex utero Matris, si
possit aliquantulum abluere.*
- III. *Quanam intentio requiratur in su-
scipiendis Sacramentis?*
- IV. *Intentio coacta sufficit, non tamen
relate ad Matrimonium.*
- V. *Quandonam requiratur intentio ex-*

*pressa, & formalis ad sacramen-
ta recipienda?*

- VI. *An possit Extrema Unctio sub con-
ditione conferri iis, qui videntur
in statu peccati mortalis decedere?*
- VII. *Nec intentio suscipiendi Sacramen-
ta, (Matrimonio excepto) sub con-
ditione de futuro, nec intentio in-
directa, nisi stet cum intentione ha-
bituali, sufficiunt ad valide ea su-
scipienda.*
- VIII. *Ad valide Sacramenta suscipien-
da (Pœnitentia excepta) nulla re-
quiritur dispositio in suscipiente præ-
ter intentionem consonam.*
- IX. *Ad fructum vero Sacramenti reci-
piendum requiritur sua animi dis-
positio.*
- X. *Quandonam liceat a Ministris indi-
gnis Sacramenta suscipere?*

I. **Q**Uæritur primo, quinam sit
capax suscipiendi Sacra-
menta?

Respondeo solos homines viatores
esse capaces. Ratio est, quia institu-
ta ea sunt solum in salutem, & re-
medium hominum, ideoque sunt si-
gna sensibilia; Proinde Angeli sunt
eorundem incapaces; tum quia sunt
spirituales; tum etiam, quia pecca-
tum eorum est irreparabile, cum non
habeant liberum arbitrium flexibile,
ut notat D. Th. part. 1. quæst. 65.
Ubi autem Psalm. 77. dicitur, *Panem
Angelorum manducavit homo*, fit sen-
sus, quod Angeli spiritualiter panem
manducant, non quia suscipiant Sa-
cramentum Eucharistiæ, sed quia Chri-
sto uniuntur, & fruuntur in æterna
beatitudine. Nec Beati sunt Sacra-
mentorum capaces, cum non possint
in gratia crescere. Animalia irratio-
nabilia possunt Eucharistiam come-
dere, non tamen dicuntur Sacramen-
tum suscipere, quia non recipiunt Eu-
charistiam spiritualiter, & sacramen-
taliter, sed solum materialiter. Imo
et;

etiam homo, si comedit Eucharistiam, nolens Sacramentum suscipere, susciperet illam per modum bruti materialiter; & non Sacramentaliter; unde non diceretur suscepisse Sacramentum, nec satisfaceret præcepto communionis annuæ. Sic etiam materialiter tantum potest Eucharistiam suscipere, qui caret Baptismo; hic enim prærequiritur, ut possint valide reliqua Sacramenta suscipi.

II. Præterea notandum, non omnes homines esse semper cuiusvis Sacramenti capaces: Omnes quidem sunt capaces Baptismi, non tamen antequam aliquatenus nati sint; dicente Domino, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.*, unde supponitur prima natiuitas. Probabile tamen est, (ut fufe diximus in Theologia Scholastica disp. 1. de Gratia quæst. 7.) sufficere, quod abluantur, dum sunt in utero Matris, si possit id fieri per aliquod instrumentum, aut dissecto latere Matris; cum etiam dicatur natus, qui est conceptus in utero, juxta illud Matth. primo, *Quod enim in ea natum est*, ubi fermo est de Christo Domino, qui in utero Beatissimæ Virginis erat conceptus. Et quia hæc opinio est valde probabilis, ut constat ex iis quæ luculenter, ac eruditissime congerit non semel in suis Opusculis, ac in tractatu Probabilitatis P. D. Gabriel Gualdo Clerico Regularis; & alii apud Dianam p. 2. tr. 15. ref. 43. & p. 5. tr. 3. ref. 12. idcirco si possit hoc pacto Baptismus conferri fœtui animato nondum egresso ex utero Matris, & periculum subsit, quod aliter sine Baptismo sit decessurus, datur obligatio conferendi illi hoc pacto sub conditione Baptismus; ne si sit capax, gloria æterna privetur. Pariter omnes homines capaces sunt Confirmationis, sed non nisi post Baptismus, sine

quo sicut Eucharistia non nisi materialiter suscipitur, ita reliqua Sacramenta omnino invalide. Matrimonium, & Pœnitentia requirunt certam ætatem: Extrema Unctio præsupponit periculum mortis, & quod potuerit peccare illam suscipiens. Ordo pariter requirit sexum virilem.

III. Quæres secundo: Qualis intentio requiritur in suscipiente, ut valide Sacramenta recipiat?

Respondeo, & dico primo, qui nunquam ratione usi sunt, ut infantes, & perpetuo amentes, possunt suscipere omnia Sacramenta, quorum sunt capaces, etiam si nunquam præcesserit formalis intentio ea recipiendi, adeoque cum sola intentione interpretativa; Certum quippe est inter catholicos esse pueros, & perpetuo amentes capaces Baptismi, necnon Confirmationis, ac etiam Eucharistia; cum olim infantibus utrumque hoc Sacramentum conferretur post Baptismum; Nunc tamen Eucharistia non est danda iis, qui nunquam usum rationis habuerunt, ut notat Becan., Conink., Tambur. saltem ex tacito Ecclesiæ præcepto: Et consultius est juxta Ecclesiæ usum, (tum ne iteretur, tum ut devotius sumatur) non dare Confirmationem ante rationis usum. Certum etiam est, esse eosdem incapaces Matrimonii, & Pœnitentiæ, cum utrumque hoc Sacramentum requirat actus liberos in suscipiente. Incapaces pariter sunt Extremæ Unctionis, quia hoc Sacramentum iis duntaxat conferri potest, qui potuerunt peccare; Quamvis ex Rituali dandum iis sit, quando dubitatur, an usum rationis habeant. Quod attinet ad Sacramentum Ordinis, D. Th. in supplemento quæst. 39. art. 2. cum communi docet, quod valide ab iisdem suscipiatur, (non secus ac Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia) Constat id ex Innoc. III. decreto lib. 5. de-

3. decret. tit. 29. ; ubi conceditur, quod promotus ad Ordines ante annos discretionis sine eorundem iteratione possit in iis ministrare, quia scilicet valide illos suscepit: Esto peccet graviter, qui pueris illos confert; & sic ordinatus non tenetur ad Castitatem vi voti, nisi illud postmodum ratificaverit: Et hæc est ratio, cur ad Ordines suscipiendos sufficiat in pueris intentio interpretativa, ut diximus art. 4. num. 7.; quia scilicet Ordo Sacer fert in illo solum favorem, non vero onera annexa, nisi velit post usum rationis in eo statu perseverare.

Dico secundo, adultus, qui invitus Sacramentum suscipit, invalide illud suscipit, si loquamur de Sacramento transeunte: Sicut etiam adultus, qui nunquam habuit voluntatem suscipiendi Sacramentum, & deinde incidit in amentiam, ut docet expresse Innoc. III. cap. *Majores* de Baptismo §. *Item queritur*: Et idem etiam communiter docent de adulto, qui nunquam Sacramentum expetiit, ne implicite quidem. Et ratio est ipsa Christi Domini institutio, quæ ex communi Doctorum, & Ecclesiæ sensu cognoscitur: Congruitas autem fuit, quia non decuit beneficia hæc maxima conferri adultis invitis, aut non expetentibus illa. Si tamen loquamur de Sacramento permanente, hoc est de Eucharistia, valide profecto ab iisdem suscipitur, ut patet; quia ante ejus usum Sacramentum est adæquate constitutum, sed suscipitur materialiter tantum, & sine fructu; non vero in quantum Sacramentum est: non secus ac si a bruto susciperetur (imo sacrilege suscipitur, quando invincibilis ignorantia non excusat) Et ratio ex Lugo disp. 1. de Euchar. num. 121. est, quia intentio accipiendi Sacramentum Eucharistiæ est quasi applicatio cibi spiritualis, sicut contactus

cibi corporalis est conditio ad hoc, ut cibus causet suum effectum: Quare qui Eucharistiam comedit solum ad explendam famem, aut qui hostiam recipit, nesciens eam esse consecratam, pariter sine fructu recipit Sacramentum, quia sine intentione illud recipiendi.

Dices: Valide, & cum fructu recipitur Extrema Unctio a destitutis ulu rationis propter voluntatem generalem, & interpretativam, quam habent suscipiendi Sacramenta, quoties possunt; Et ideo communiter docent apud Croix lib. 6. punct. 1. num. 172., quod lapsio in amentiam, qui antea peccare potuerit, conferri possit in articulo mortis Extrema Unctio, quamvis nihil de ea olim sciverit, propter generalem, & interpretativam voluntatem, quam habet suscipiendi suo tempore illud Sacramentum, ut diximus art. 4. num. 7. ergo etiam satis est talis voluntas interpretativa ad suscipiendam cum fructu Eucharistiam ab eo, qui comedit hostiam, quam nescit esse consecratam.

Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Ratio est, quia intentio generalis, & interpretativa, quam quilibet habet, non est nisi recipiendi Sacramenta necessaria ad salutem more, & ritu Christiano in articulo mortis; & ideo, si destitutus sensibus in articulo mortis conferatur Eucharistia, fructuose illam recipiet; nemo autem habet voluntatem generalem suscipiendi Eucharistiam, quando comedit more profano in mensa, ac vescitur cibis quotidianis; & ideo in casu nostro Eucharistia non suscipitur cum fructu. Eodem pacto licet infanti valide conferatur Ordo Sacer; cum non requiratur in illo intentio suscipiendi illum, nisi tantum interpretativa, ut in Baptismo: At, si Ordo conferatur adulto dormienti, vel

ei, qui post usum rationis incidit in amentiam, invalide confertur, cum non detur in illis intentio sufficiens ad Ordinem recipiendum: Nam quilibet solum habet intentionem generalem recipiendi Sacramenta communia, maxime in statu necessitatis, videlicet in periculo mortis; Ordo autem non est huiusmodi.

Dico tertio; ut valide Sacramenta suscipiantur ab adultis, satis est intentio suscipiendi illa mere habitualis, quæ scilicet aliquando fuerit, & non sit deinde retractata: Excepto tamen Matrimonio, in quo cum suscipientes Matrimonium sint etiam Ministri, habere debent saltem intentionem virtualem, quæ sit causa exprimendi hic, & nunc consensum, vel per ipsos conjuges, vel per procuratores, in quibus mandatum Principalis moraliter perseveret. Ratio est, quia intentio ex parte suscipientis non influit in Sacramentum efficienter, sicut intentio Ministri, sed solum se habet ut conditio necessaria ex parte subjecti, ut susceptio sit voluntaria; ad hoc autem satis est voluntas habitualis, seu præterita, non retractata. Et ratio a priori est, quia sicut in reliquis actionibus, ut aliquis dicatur humano modo operari, debet habere intentionem saltem virtualem; contra vero ut aliquis dicatur voluntarie recipere, satis est intentio habitualis; ita in Sacramentis ministrandis requiritur intentio saltem virtualis, in suscipiendis vero habitualis.

IV. Notandum tamen, intentionem hanc diversimode in diversis Sacramentis requiri. Nam primo ad valorem Matrimonii non satis est intentio coacta, ut communiter docent, sive id proveniat ex natura talis contractus, sive ex lege Ecclesiæ irritante matrimonia contracta per metum gravem injuste incussum ad illud extorquendum: Contra vero ad valorem

reliquorum Sacramentorum satis est tam in Ministro, quam in suscipiente intentio coacta; quia metus non tollit voluntarium simpliciter, ut patet; unde vere peccat, qui metu mortis incensat idolum. Hinc licet Ecclesiæ ad continentiam obliget, qui sponte vult sacros Ordines suscipere, & culpabiliter renuit emittere votum castitatis; nihilominus qui coactus Ordines Sacros vult suscipere, ita valide ordinatur, & Characterem suscipit, ut ad continentiam non teneatur, possitque secluso scandalo nubere, ut suo loco dicetur. Ratio est, quia, ut notat Conink disp. 20. dub. 14., Ecclesiæ non obligat ad continentiam illum, quem non potest obligare votum; in hoc autem casu votum castitatis, utpote gravi metu emissum, irritatur in cap. 1. & 6. *De his, quæ vi*; ubi non est solum sermo de voto religionis, sed probabiliter de quovis voto; Imo probabiliter ex Soto, Nau; Conink loc. cit. jure naturæ est irritum tale votum; ergo per metum gravem ordinatus nullatenus ad continentiam tenebitur.

Ubi notanda est disparitas ex Conink inter juramentum, & votum; nam juramentum metu extortum a promissario obligat; quia posita promissione facta homini, juramentum tali promissioni superadditum obligat ad illam implendam in reverentiam Numinis invocati. At votum metu extortum non obligat, vel quia Deus non acceptat promissionem non liberam, ac spontaneam; vel quia, quamvis jure naturæ votum simplex metu extortum validum sit, Ecclesiastico saltem jure irritatur, ut docet Sanch. lib. 4. disp. 14.

V. Secundo, ad valide suscipiendum Sacramentum Baptismi in adulto requiritur intentio expressa, & formalis (quamvis habitualis) recipiendi illud, quia, ut ait Suar., Baptismus

ptismus est janua, per quam in Ecclesiam intratur; & in ea fit prima professio fidei, & legis Christianæ. Verum Conink quæst. 64. num. 103. Dicast., & alii apud Croix lib. 6. punct. 1. num. 168. putant satis etiam esse implicitam petitionem Baptismi, qualis est in eo, qui habet veram saltem attritionem de peccatis, verbi gratia, propter pœnas aternas, quas mereretur; censetur enim implicite petere Baptismum, quamvis de eo nunquam audierit; quia talis dolor includit virtualiter propositum servandi omnia præcepta, inter quæ unum est præceptum suscipiendi Baptismum: Lugo tamen disp. 9. de Sacram. num. 130. negat hanc sufficere, ut possint infideles ignorantes invincibiliter veram fidem in phrenesi baptizari, ob voluntatem illam generalem servandi omnia præcepta divina, inter quæ est præceptum Baptismi: Et idem docet de Judæis servantibus legem Moysis cum ignorantia invincibili veræ legis, ac de iis, qui in phrenesim inciderunt, antequam eis prædicaretur Evangelium; quia in his non præsumitur voluntas suscipiendi Baptismum. Equidem tamen cum Croix, & aliis ab eo laudatis censeo non esse his in casu adducto denegandum Baptismum sub conditione.

Similiter ad valide suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ requiritur intentio explicita suscipiendi illud; quia, ut notat Suar. & Lugo apud Conink, ut possit Judex in foro Sacramentali proferre sententiam, requiritur, ut pœnitens confessionem peccatorum sensibilibiter ordinet ad absolutionem impetrandam: Contra vero ad Extremam Unctionem, & Eucharistiam valide, & cum fructu suscipiendam satis est voluntas implicita, & generalis, quam quilibet Christianus habet vivendi, & moriendi in Ecclesia catholico ritu, & cum Sacramentis pro mortis

articulo constitutis; & quia Ecclesia intentionem hanc præsumit de omnibus, quos non constat esse in statu peccati, ideo Extremam Unctionem cuilibet ægroto in mortis periculo dat, etiam sensibus destituto; necnon Eucharistiam etiam amentibus in articulo mortis, si non sit periculum irreverentiæ, & rationis usum aliquando habuerint; nam amentibus ab infantia non esse dandam, quia reputandi sunt ut infantes, docent communiter, ut supra diximus apud Tambur. Quamvis enim ex August. Ambros., Dionys. Areopag. apud Becan. cap. 23. de Sacram. in specie quæst. 2., olim consueverint dare infantibus Eucharistiam, & consuetudinem istam pro circumstantiis illius temporis approbarit Trident.; Nunc tamen non expedire ob reverentiam Sacramenti, certum est. Præterea Conink loc. cit. putat, cuilibet baptizato existenti in gratia, qui usum rationis habuit, valide conferri Confirmationem, quia hoc ipso, quod pie, & catholice vixit, censetur aliquo modo desiderasse sibi conferri ea Sacramenta, quæ omnibus Christianis sunt valde utilia, inter quæ est Confirmatio: Secus est de Ordine, quia, cum tantam status mutationem contineat, nemo potest censerri illum petere, si non habuerit aliquando expressam voluntatem illum suscipiendi.

VI. Rogabis: An Extrema unctio danda sit iis, qui in statu peccati mortalis statim sensibus destituti gravi morbo laborant?

Respondeo, dandam esse omnibus, nisi certo sciatur aliquem esse in mortali, & de eo non esse attritum; facile autem præsumi debet, quod quis sit attritus, nisi forte aliquando in ipso actu peccandi ita destituatur ratione, ut humanitus impossibile sit eum doluisse de peccatis, ut expresse docet August. lib. 1. de adulterinis conjugis

jugiis cap. i. ubi ait: *Ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium conjugii copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore in his permanentes non admittamus ad Baptismum; tamen si desperati, & antea se poenitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto.* Ubi notat Conink, D. August. loqui de iis, qui nulla signa poenitentiae dare possunt; aliter pro se respondere possent: dum autem dicit jacere poenitentes, ostendit, quid praesumendum sit, & quid necessarium sit ad fructum Baptismi recipiendum; ut constat ex iis, quae subdit, dicens: *Quis enim novit, utrum ante staturum perseverare in peccatis, donec essent baptizandi?* Et consequenter instante mortis periculo, & urgente necessitate Baptismi, praesumendum est, quod doluerint de peccatis. Hinc sequitur, quod probabiliter iisdem conferri possit absolutio Sacramentalis, saltem sub conditione; nam procul dubio conferenda est moribundo absolutio, si illam ante petierit; qui autem catholice, etiam in peccato, vixit, censetur implicite petiisse Sacramenta, quae conferri solent in articulo mortis; sicut qui conteritur, implicite petit Sacramentum Poenitentiae; cum velit observare omnia praecipua, inter quae est praecipuum confitendi: Quamvis autem ad absolutionem Sacramentalem praemitti debeat attritio, & confessio sensibilis peccatorum; at praesumendum facile, quod peccator instante mortis periculo deleat interius de peccatis; & anxietas illa praesumenda est, quod sit petitio sensibilis Sacramenti, & confessio sensibilis sufficiens, eo quod melior dari non possit: Nisi tamen aliquando, ut diximus, aliquis in ipso actu peccandi statim destituatur sensibus, ut impossibile humanitus sit eum dolere. Breviter dicendum, quod si possit huic

Pars V.

moribundo dari absolutio sub conditione, (ut fere semper ea dari sic potest) poterit pariter ei dari Extrema unctio pariter sub conditione, si scilicet sit dispositus: non enim irrogatur injuria Sacramento, si sub conditione conferatur, quando non est moraliter certum, quod non possit prodesset.

VII. Dico quarto. Intentio suscipiendi Sacramentum sub conditione de futuro non satis est ad valide Sacramentum suscipiendum. Ratio est, quia non potest effectus Sacramenti suspendi, posita ejus materia, & forma, ut supra ostendimus art. 4. num. 7. cum de Intentione Ministri; ubi diximus, excipiendum esse Sacramentum Matrimonii, in quo ejus effectus non suspenditur, supposita materia, & forma, seu contractu absoluto Conjugum, per hoc, quod habeatur intentio contrahendi sub conditione de futuro.

Dico quinto; Intentio indirecta, qua quis aliquid censetur velle in causa, secundum se non sufficit ad valide suscipiendum Sacramentum: Verbi gratia, si quis credens se ebrium baptizandum, sponte se inebriaret, invalide baptizaretur: Ratio est, quia cum hac voluntate se inebriandi in eo casu, in quo est baptizandus, stare potest expressa voluntas contraria non suscipiendi Baptismum: ergo illa sola intentio indirecta non sufficit, nisi cum ea stet simul expressa voluntas suscipiendi Baptismum in ebrietate; sic enim habetur intentio habitualis requisita.

Confirmatur, & explicatur; qui libere aliquid facit, ex quo praevidet aliquid per accidens sequiturum, non censetur velle hunc effectum, nisi teneatur illum vitare: Verbi gratia, mulier prodiens libere cum moderato ornatu, & praevidens ex suo aspectu aliquem in genere excitandum ad

D

pec-

peccatum, non censetur velle tale peccatum: tunc solum censetur velle huiusmodi peccatum, quando tenetur illud vitare, puta si absque ullo recto sine procaciter se ornat, praevidendo, quod sit ab aliquo turpiter concupiscenda: ergo in casu nostro, qui sponte inebriatur praevidens se baptizandum, non censetur velle Baptismum; cum non teneatur ab eo abstinere; atqui Baptismus invalide suscipitur ab adulto, nisi aliqua voluntas illius praecesserit: ergo si solum praecessit voluntas ista indirecta, invalide suscipitur: Secus vero si cum tali intentione indirecta habeatur etiam intentio habitualis suscipiendi Sacramentum, ut notavimus art. 4. laud. num. 8.

VIII. Quæritur tertio; Quænam alia dispositio, præter intentionem explicatam, requiratur ad valide Sacramenta suscipienda?

Respondeo, nullam aliam dispositionem requiri ad valorem Sacramenti, præterquam in Sacramento Pœnitentiæ, ad quod prærequiruntur actus fidei, spei, attritionis, &c. de quibus suo loco. Cæterum alia Sacramenta etiam ab hæreticis valide suscipi possunt, si habeant intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, aut quod instituit Christus Dominus, ut patet inductione; nam tria Sacramenta imprimentia characterem idcirco non sunt iteranda, si suscepta sint indigne, quia peccatum non obstat eorum valori; idemque dicas de Matrimonio, & Extrema Unctione, quæ iterari non possunt, durante eadem conjuge, & eodem morbo: Eucharistiam, quæ est Sacramentum permanens, valide suscipi etiam a peccatoribus manifestum est. Ratio autem a priori est, quia aliud est Sacramentum, aliud est effectus Sacramenti, videlicet gratia, quæ ad Sacramentum consequitur; peccatum autem licet opponatur gratiæ, non opponitur Sacramento; atque adeo qui

nullam habet dispositionem ad gratiam, potest valide Sacramentum suscipere; excepto Sacramento Pœnitentiæ, ad cuius valorem requiritur attritio, quæ impossibilis est cum peccato.

Quæritur quarto, quænam dispositio requiratur ad suscipiendum fructum Sacramenti?

IX. Respondeo, præter intentionem explicatam, requiri capacitatem ad valide suscipiendum Sacramentum; idque tum jure divino, tum Ecclesiastico: Unde sacrilege peccat femina suscipiens Ordines Sacros; vel Sacerdos, aut Professus, aut habens aliud impedimentum dirimens matrimonium, qui ducit uxorem; aut sanus, qui velit sumere Extremam Unctionem, aut accedens ad Sacramenta habens excommunicationem, &c. Secundo requiritur dispositio animi ad gratiam recipiendam, ita scilicet ut saltem habeatur attritio ab eo, qui accedit ad Baptismum, vel Pœnitentiam; & sit in gratia, qui accedit ad reliqua Sacramenta vivorum, ita ut magis peccet, qui suscipit Sacramentum indigne, quam qui ministrat indignis; quia major videtur irreverentia impedire, ne actio Sacramentalis, quæ est actio Christi Domini, habeat effectum suum primarium, videlicet gratiam, reddendo Sacramentum frustraneum, ac velut inutile, quam facere eandem actionem sine debita decentia, non auferendo ab ea, quantum est ex se, ejus effectum, & utilitatem. Demum non debent sumi Sacramenta a Ministris indignis, ut mox explicabimus.

X. Quæritur quinto, an liceat aliquando accipere Sacramenta ab indignis Ministris?

Respondeo, & dico primo: ab excommunicato vitando nullatenus licet accipere Sacramenta, cum cuilibet prohibitum sit communicare cum illo:

lo : unde, si in hac materia gravi quis communicaret cum tali excommunicato, peccaret graviter. Verum in extrema necessitate licitum est ab eo etiam Eucharistiam (ut putat Suar. contra Sayr.) accipere, necnon Extremam Unctionem, quia cessat talis prohibitio.

Dico secundo; ab excommunicatis toleratis, contritus licite peti possunt Sacramenta citra necessitatem; cum non prohibeatur nobis illa petere, nec illi prohibeantur dare, sed solum iis prohibetur se ingerere ad danda Sacramenta, quæ non petuntur, aut ad actus jurisdictionis exercendos. Cum enim Concilium Constantiense, permittendo nobis cum excommunicatis toleratis communicationem, permittat petere ab illis Sacramenta, indirecte concedit illis, ut præmissa contritione Sacramenta conferant: Quare potest etiam ab illis peti Sacramentum Pœnitentiæ, cum non priventur jurisdictione. Missam tamen ab iis petere non licet, quia non possunt Sacramenta suscipere citra culpam.

Dico tertio; A Ministro, (sive sit proprius Parochus, sive non) quem scio esse in statu peccati mortalis, tunc possum petere, aut recipere Sacramentum, quando adest necessitas, vel rationabilis utilitas: Verbi gratia, si urget impletio præcepti, aut si utile mihi est non multum differre usum Sacramentorum, dummodo non possum ea commode ab alio recipere. Ita D. Th. 3. part. quæst. 64. art. 8. Suar. disp. 18. sect. 2. Conink apud Trull. Ratio est, quia utimur jure nostro petendo Sacramentum, & Minister potest sancte illud ministrare præmittendo contritionem: unde sibi imputare debet, si indigne ministret: Quare sicut propter aliquod lucrum temporale licite possumus petere mutuum ab usurario, & juramentum ab eo, quem scimus per falsos Deos ju-

raturum; ita in casu nostro. Idque verum est sive ille sit paratus, sive non; quia, juxta existentem causam, eadem ratio est de utroque, ex Vasq. de Pœnit. quæst. 93. art. 1. dub. 2. Si tamen causa rationabilis non existat, aut si alius Sacerdos commode haberi possit, tenemur abstinere a petendo ab illo, quia ex charitate tenemur impedire peccatum proximi, nisi habeamus necessitatem, aut rationabilem causam non impediendi. Verum Valent., & Suar. disp. 18. sect. 2. contra Sauch., Navar., & Bonac. hic quæst. 4. punct. 5. putant, quod si Minister sit paratus in mortali ministrare, possit ab illo peti Sacramentum, etiamsi possimus facile ab alio recipere; quia ex una parte petitur res utilis, quam alter sine peccato, si velit, præstare potest: ex altera parte non videtur grave damnum spirituale permittere peccatum, ad quod alius est paratus; eo quod solum permittatur peccatum externum illius, quod non est nova culpa, non vero peccatum internum, quia habitualiter in eo perseverat.

ARTICULUS VIII.

De reliquis ad Sacramenta in genere spectantibus.

- I. Cur Sacramenta nova legis sint septem?
- II. Quinam sit ordo enumerationis, quinam dignitatis in Sacramentis?
- III. De ritu, ac ceremoniis in Sacramentis conficiendis.
- IV. Quid veniat nomine Ceremoniarum?
- V. Num effectus aliquis ex opere operato ab his Ceremoniis producat?
- VI. Quenam dicantur Sacramentalia?
- VII. Non remittuntur venialia a Sacramentalibus ex opere operato.

VIII. Quonam pacto vi Sacramentalium impetratur venialium remissio?

I. **Q**ueritur primo, cur septem fuerint Sacramenta novae legis a Christo Domino instituta?

Respondeo, congruam huius rei rationem assignari, ut supra diximus art. 1. ex D. Th. quaest. 65. art. 1., quia Sacramenta instituta sunt, tam ad privatam cuiusvis hominis, quam ad publicam totius populi Christiani perfectionem spiritualem: quare sicut in vita corporali requiruntur ex parte singulorum hominum tria per se, videlicet, generatio, augmentatio, & nutritio; duo vero per accidens, videlicet, remedia ad morbos (si homo aegrotet) & ad reliquias morbi, ut perfecte convalescat: ex parte vero Reipublicae duo requiruntur, videlicet, Principatus, & Magistratus, qui Republicam ordinent, & gubernent, & Parentes, qui propagent vitam corporalem hominis: Ita in vita spirituali haec omnia requiruntur, Regeneratio per Baptismum; Augmentatio per Confirmationem; Nutritio per Eucharistiam; Remedium ad morbos per Penitentiam; & ad reliquias peccatorum per Extremam Unctionem, per quam etiam armatur homo ad sui defensionem in extremo agone; Ordo, ut homines in spiritu regantur; & Matrimonium, quo ad cultum Dei deputati propagentur.

II. Queritur secundo; Quonam ordine procedant Sacramenta?

Respondeo, Ordinem alium esse Enumerationis, alium dignitatis: Ordo enumerationis est, ut diximus, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Penitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium; Et ratio est, quia primo ponenda sunt, quae pertinent ad singulos homines, deinde quae ad totam Communitatem; & inter ea,

quae ad singulos homines pertinent; prius ponenda quae pertinent per se, deinde quae per accidens; & omnia haec eundem ordinem servant, qui servatur in vita corporali; In hac enim praecedit tempore generatio Augmentationi, haec Nutritioni, & remedium ad morbos remedio ad reliquias morbi: Duo, quae pertinent ad multitudinem, videlicet, Ordo, & Matrimonium, servant ordinem, seu rationem dignitatis; dignior enim est Ordo, quam Matrimonium.

Circa ordinem dignitatis, Baptismus praecellit omnibus quoad vim remittendi peccata; cum remittat etiam originale, & poenam omnem peccatis debitam: Confirmatio excellit omnibus quoad effectum gratiae actualis ad bene operandum; ut patet, quia Apostoli post Baptismum, & Eucharistiam susceptam erant timidissimi, ita ut in passione Christi omnes fugerent; post Confirmationem vero fuerunt robustissimi: Eucharistia praecellit omnibus quoad substantiam Sacramenti, cum ipsum Dominum contineat: Penitentia excellit omnibus necessitate post Baptismum: Extrema unctio aliquatenus excellit Penitentiam, eo quod conferat gratiam copiosiorum: Ordo praecellit ceteris, eo quod constituit hominem in statu sublimiori, & ex domestico Christi facit Christi dispensatorem, & ministrum: Matrimonium praecellit reliquis significatione, quia significat unionem Christi cum Ecclesia; & ideo ab Apost. vocatur Ephes. 5. *Magnum Sacramentum*. Ceterum, simpliciter loquendo, Eucharistia excellit omnibus Sacramentis, tum quia, ut arguit D. Th. art. 3. continet substantialiter fontem ipsum Sanctitatis, & omnium Sacramentorum: tum etiam, quia omnia Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam, tamquam ad finem; Ordo ordinatur ad Eucharistiae conse-

cr-

crationem: Baptismus ad susceptionem; Confirmatio ad publicam frequentationem sine timore, & reverentia; Pœnitentia & Extrema unctio ad dignam susceptionem; Matrimonium ratione significationis ordinatur ad Eucharistiam, quia significat Christi cum Ecclesia conjunctionem, quam perficit Eucharistia.

III. Quæritur tertio, An valide administrantur Sacramenta sine ritu, & cæremoniis præscriptis.

Respondeo, duplicem requiri ritum in Sacramentis conficiendis; Alter dicitur essentialis, sive de necessitate Sacramenti, & consistit in materia, forma, & intentione Ministri, sine quibus valide non conficitur; Alter vero dicitur ritus accidentalis, seu de necessitate præcepti, & consistit in cæremoniis præscriptis, sine quibus valide, sed illicite Sacramentum administratur; Conveniens enim fuit cæremonias, seu ritus accidentales præscribere; tum ut fideles convenienter in modo colendi Deum, & in iis maxime quæ spectant ad ejus cultum; tum ut per cæremonias augeatur fidelium devotio, ut notat Suar.; tum etiam propter ornatum, & decorem, ut constat in vestibus sacerdotalibus; tum demum quia conferunt ad majorem quandam intelligentiam, & memoriam mysteriorum fidei: nam, verbi gratia, fere in omnibus Sacramentis adhibetur signum crucis, ut intelligatur ex passione Domini virtutem Sacramentorum provenire: In Baptismo præmittuntur insufflationes, & exorcismi, ut intelligatur infantem esse sub potestate Dæmonis per originale ante Baptismum. Quare Suar. disp. 16. sect. 2. Lessl., Azor., Valen., Reginal. apud Bonac. hic communiter docent, quod variare cæremonias ab Ecclesia institutas sit ex genere suo mortale; quamvis sæpe levitas materia excuset a mortali. Et ratio est,

Pars V.

quia hujusmodi peccatum est contra religionem, quod ex genere suo est mortale, posita gravitate materia.

IV. Notandum tamen, quod cæremonia, generatim loquendo, significat quemcumque externum actum religionis, quo Deum colimus; Quamvis enim actus religionis, alii sint a tali Virtute elicit, ut genuflexio, Sacrificium, &c.; Alii imperati, ut sunt actus cujuscumque virtutis a virtute religionis ordinati ad Dei gloriam, ut eleemosyna, jejunium &c. tamen actus isti a virtute religionis imperati non dicuntur proprie cæremonia, sed solum illi qui a virtute religionis eliciuntur, dummodo sint externi, internis correspondentes, & non mere interni. Istæ autem cæremonia proprie dictæ, tam in veteri, quam in nova lege sunt quadruplices, videlicet, Sacrificia, Sacramenta, Sacra, & Observantia. Per Sacrificia intelligebantur in veteri lege victimæ, seu hostiæ, immolationes, & libamenta; in nova lege est solum Missa, quæ est supremus cultus, quo excellentiam Dei profitemur: Per Sacramenta in veteri lege intelligebantur Circumcisio, Agnus paschalis, Sacerdotium legale, & variæ Expiationes: In nova lege sunt septem Sacramenta proxime instituta ad sanctificationem fidelium: Per Sacra tam in veteri, quam in nova lege intelliguntur instrumenta ad divinum cultum pertinentia, ut vasa, candelabra, altaria, vestimentum. Demum per Observantias intelliguntur festa, jejunia, genuflexiones, & cætera actiones cæremoniales: & in nova lege usus etiam signi crucis, aspersio aquæ lustralis, &c.

Notandum secundo, quod illæ dici soleant Cæremonia Sacramentales, quæ ex institutione Pontificum, & Ecclesiæ adhibentur in Sacramentis, & Sacrificio Missæ, nec sunt de essentia, seu substantia illorum, sed adhiben-

D 3 tur

tur ad decentiorem usum Sacramentorum: & propterea vocantur cæremoniæ Sacramentales, seu, ut Theologi loquuntur, Sacramentalia; ut sunt in Baptismo unctio, insufflationes, exorcismus, cruces, & alia huiusmodi: Verum quia istæ cæremoniæ ejusdem rationis sunt cum aliis ritibus, qui extra Sacramenta fiunt, & observantur, ut sunt prima tonsura, benedictiones, thurificationes, consecrationes Abbatum, & aliarum personarum, ideo vox Sacramentalium aliquando latius usurpatur, ita ut complectatur quemcumque religiosum ritum institutum ad pium aliquem usum.

Notandum tertio, quod istæ cæremoniæ Sacramentales, quamvis introductæ sint ad imitationem, seu exemplum Christi Domini; unde manavit elevatio oculorum ante consecrationem, benedictio materiæ consecrandæ, usus miscendi aquam cum vino, & consecratio in azymo in Ecclesia latina; non sunt tamen immediate a Christo Domino institutæ, sed ab Ecclesia. Christus enim dedit potestatem instituendi has cæremonias Apostolis, & eorum successoribus, ut colligitur ex prim. ad Cor. 4. ubi dicitur: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, & ex prim. ad Cor. 11., ubi dicit Apostolus: *Cætera autem, cum venero, disponam*; ubi loquitur de ritu servando in dispensatione Eucharistiæ. Institutæ autem sunt, ut diximus, Primo, ut Sacramenta cum debito honore tractentur; Secundo ad excitandam, & augendam fidelium devotionem; Tertio, ut fideles convenient in modo colendi Deum, & sic fidelis populus ab infideli distinguatur, & unitas Ecclesiæ magis elucescat; Quarto ad majorem expressionem, & memoriam mysteriorum fidei. Ex quibus sequitur, quod cum cæremoniæ istæ sacramentales

sint actus virtutis religionis, & religiosi cultus Dei, ideo aptæ sint ad merendum augmentum gratiæ, & ad satisfactionem, si debito modo observentur.

V. Dubium tamen est inter Theologos, An cæremoniæ istæ Sacramentales præter meritum, & satisfactionem, quam habent ex opere operantis, causent etiam, sicut Sacramenta, aliquem effectum, sive spirituales, sive corporalem ex opere operato, seu ex propria virtute, & efficacia, hoc est ex institutione Ecclesiæ per potestatem ipsi factam a Christo Domino? Suar. hic disp. 15. sect. 7. enumerat omnes effectus, qui sacramentalibus tribui possunt, videlicet gratiam habituales, gratiam actualem, remissionem venialium, remissionem pænæ temporalis, expulsionem dæmonis, & cohibitionem, ne lædat, ac demum sanitatem corporis; ostenditque nullum ex his effectibus a Sacramentalibus conferri ex opere operato; sed conferri aliquando, vel quia excitant pium aliquem motum, quo dolentes de peccatis eorum remissionem obtinemus; vel per modum impetrationis, obtinendo sanitatem, aut aliud commodum corporale propter adjunctas Ecclesiæ preces, & orationes; & consequenter fallibiliter, atque adeo non ex opere operato: quandoquidem effectus omnes, qui ex opere operato producuntur, infallibiliter producuntur; quamvis aliquando producantur infallibiliter non simpliciter, sed positis aliquibus requisitis Deo tantum notis; ut per Extremam Unctionem confertur ex opere operato sanitas corporis, si ad salutem animæ expedit, quod uni Deo notum est.

VI. Queritur ultimo, in quo differant Sacramenta a sacramentalibus, quæ illo celebri versu continentur:

Orans,

Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.

Respondeo, Theologos per Sacramentalia simpliciter, & absolute dicta intelligere hæc dicto versiculo enumerata, quæ speciale quoddam remedium contra venialia afferunt ex auctoritate SS. PP., & Scholasticorum, & ex sensu communi fidelium, videlicet, Oratio dominica, seu Pater noster, & Oratio in Ecclesia consecrata, Asperio aquæ benedictæ, & qualibet unctio Sacramentalis, verbi gratia, quæ fit in manibus Sacerdotis, quando ordinatur, & in capite Episcopi, Comestio panis benedicti, (qui ab Augustino dicitur panis Catechumenorum, quia illis pro Eucharistia dabatur) Confessio generalis, idest Confiteor, ad quam reducitur tunsio pectoris, Erogatio Eleemosynæ, & Benedictio Episcopi, seu Abbatibus consecrati, necnon Benedictio Sacrorum Cinerum, ac Benedictio facta cum hostia consecrata. Discrepant tamen Doctores in modo, quo venialia vi istorum Sacramentalium tollantur.

Prima opinio est Soto, Valen. Henr. apud Becan. cap. 32. de Sacramentis in specie quæst. 6. docentium ex institutione Ecclesiæ habere vim remittendi venialia, non quia excitant motum contritionis, vel attritionis, vel dilectionis Dei, sed ex opere operato; & ideo dici Sacramentalia, quia in hoc assimilantur Sacramentis. Ratio hujus opinionis est, quia hæc sacramentalia semper remittunt venialia, quin semper excitent in nobis pium motum, ut constat experientia; immo eodem modo excitatur pius motus ab aqua benedicta, ac ab aqua, quæ putatur benedicta. Secunda opinio docet, hæc sacramentalia remittere venialia per modum impetrationis propter fidem, & orationes Ecclesiæ; nam Ecclesia in benedictione aquæ,

verbi gratia, adhibet quasdam orationes, quibus petit, ut res benedicta conferat ad salutem mentis, & corporis. Tertia demum opinio communior est, hujusmodi sacramentalia habere vim remittendi venialia ex eo solum, quia excitant in nobis vel memoriam, & sic detestationem illorum, vel alium pium motum amoris Dei, &c. Ita D. Th. & alii apud Becan. loc. cit.

VII. Dico equidem primo, per sacramentalia non remitti venialia ex opere operato.

Probat ex Suar. tom. 4. in 3. par. disp. 12. sect. 2., quia neque hanc efficaciam habent ex institutione Christi, cum non sint instituta a Christo Domino, (excepta tamen Oratione dominica) neque ex institutione Ecclesiæ, quia non constat datam esse a Christo Domino Ecclesiæ potestatem instituendi sacramentalia, quæ ex opere operato effectum aliquem producant: Et dato, quod Ecclesia haberet hanc potestatem, non constat, quod hæc sacramentalia ad hunc effectum sint ab Ecclesia instituta: Imo oratio dominica, eleemosyna, & tunsio pectoris non sunt instituta ab Ecclesia.

Confirmatur. Tribus modis possunt Sacramentalia remittere venialia ex opere operato: Primo, conferendo gratiam habitualement, per quam tollantur; Secundo, conferendo gratiam actualem, qua excitemur ad contritionem de venialibus; Tertio immediate remittendo venialia; atqui nullo ex his modis remittunt venialia ex opere operato; ergo. Probat minor, non enim primo modo, quia sic non differrent Sacramentalia a Sacramentis; tum etiam quia, cum gratia non sit impossibilis cum venialibus, non sufficit infusio gratiæ ad ea remittenda: Nec secundo modo, aut tertio, quia solus Deus est gratiæ tam ha-

bitualis, quam actualis Auctor, & solus Deus potest remittere peccata: ergo solus Deus potest instituere signa sensibilia, quæ ex opere operato gratiam conferant, aut peccata remittant. Potest quidem id Ecclesia per potestatem sibi factam a Christo; sed de hac potestate, ut diximus, non constat.

VIII. Dico secundo; quædam Sacramentalia vim habent remittendi venialia per modum impetrationis; Verbi gratia, aqua lustralis, & omnia, quæ benedicuntur ab Ecclesia, adjunctis orationibus petentibus aliquem effectum, possunt remittere venialia per hoc, quod Ecclesia illis orationibus impetret nobis contritionem, aut amorem Dei, aut alium pium motum, quo venialia remittantur. Alia vero Sacramentalia, cum quibus non adjunguntur Ecclesie preces, ut Tonsio pectoris, Oratio dominica, Confessio generalis, &c. vim habent remittendi venialia ex eo solum, quod excitent in nobis memoriam, & consequenter detestationem venialium, unde per talem detestationem remittun-

tur. Præterquam quod recitando; verbi gratia, Orationem dominicam possumus a Deo impetrare detestationem venialium, & sic eorum remissionem. Notandum tamen, talem effectum non esse infallibilem, quia non fundatur in ulla promissione Dei, sed in communi lege, & efficacia orationis, quæ non semper habet effectum, nisi sub circumstantiis a Deo prædefinitis.

Neque dicas, quod si hoc esset verum, tam Oratio Dominica, quam, verbi gratia, Salutatio angelica esset sacramentale; utraque enim oratio excitat memoriam peccatorum, & sic detestationem; & utraque potest impetrare remissionem venialium.

Nam respondeo, magis id tribui Orationi Dominicæ, quia cum instituta sit a Christo Domino, in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ, & scientia Dei, ex natura sua facilius habet parere tales effectus; sic facilius tonsio pectoris, verbi gratia, quam genuflexio natura sua excitat memoriam, & dolorem peccatorum, ut constat experientia.

Q U Æ S T I O II.

De Baptismo.

AD Sacramenta in particulari descendimus: & Primo agimus de Baptismo, qui janua Sacramentorum est; quærentes primo, quid, & quotuplex sit? Secundo, quæ sit ejus necessitas, & quando fuerit institutus? Tertio quænam ejus materia? Quarto, quænam forma? Quinto, de Ministro: Sexto de subjecto: Septimo de Effectibus Baptismi, & ritibus in eo observandis.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Baptismus?

- I. Diversimode Baptismus appellatur, ac definitur.
- II. Baptismi Sacramentum est unicum,

licet triplex sit Baptismus.

III. Cur Baptismus sanguinis non sit Sacramentum?

IV. Num in adulto peccatore ad Martyrium prærequiratur Contritio, an sufficiat attritio ad deletionem culparum?

V.

V. Ad Baptismum fluminis in adulto requiritur intentio saltem habitualis, scelus vero ad Baptismum sanguinis.

VI. Martyrium probabiliter effectus suos ex opere operato confert, dum vulnus lethale recipitur.

I. **B**aptismus est vox græca, quæ significat ablutionem, seu immersionem in aquam: Id enim solebat fieri olim ad representandam Christi sepulchram, in qua nos resurreximus, juxta illud ad Colof. 1. *Consepulti ei per Baptismum*. Vocaturque apud Patres Lavacrum, & Regeneratio (per quam scilicet ex filio diaboli homo fit filius Dei) Circumcisio non manufacta, Donum, seu Gratia; quia in eo datur plenissime peccatorum, & poenarum remissio ex mera Dei gratia. Dicitur etiam illuminatio, quia in Baptismo infunditur habitus fidei, quo illuminamur: & antonomastice dicitur Signaculum ratione Characteris; quæ omnia spectant ad quid nominis.

Definitur autem Baptismus tam a D. Th. per materiam, & formam, quod sit *Corporis ablutio sub prescripta forma verborum*: quam a Catechismo Romano per genus, & differentiam, quod sit *Sacramentum regenerationis per lavacrum aque in verbo vite*. Potest autem per omnes causas defini, quod sit *Sacramentum emundativum, & configurativum Christi, consistens in ablutione aque, & certa forma verborum prolata ab ablente cum debita intentione*; Ubi explicatur causa finalis per *ly perfecte emundativum, & configurativum*: deinde explicatur causa materialis, ac formalis, ac demum efficiens.

II. Porro si loquamur de Baptismo proprie dicto, qui sit Sacramentum, non est nisi unicus, ut habetur ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma*. Verum minus pro-

prie sumptus est triplex, fluminis, fluminis, & sanguinis, juxta illud Jo: 5. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis*. Baptismus fluminis est Baptismus Sacramentalis factus in aqua naturali: Baptismus fluminis est perfecta ad Deum conversio includens in voto Baptismum fluminis, & illius vicem supplens, ex Trid. sess. 14. cap. 4 non tamen quoad omnes effectus, sed solum quoad remissionem culpæ; cum non imprimat characterem, nec tollat de se omnem reatum pœnæ, neque reddat hominem aliorum Sacramentorum capacem: Dicitur etiam Baptismus fluminis, quia fit per impulsum Spiritus sancti, qui flamen nuncupatur: Demum Baptismus Sanguinis est sanguinis effusio pro fide, seu mors pro Christi fide, ac pro vera virtute tolerata, de qua dixit Christus Dominus filiis Zebedæi Marci 11. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & Baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Hic baptismus vires etiam baptismi fluminis gerit, quippe qui reatum omnem culpæ simul, ac pœnæ delet, non tamen imprimat characterem; Et sicut baptismus fluminis prodest infantibus, ita etiam martyrium, ut patet in Sanctis Innocentibus, quos Ecclesia ut veros martyres colit: Martyr autem græce idem est, ac Testis, quia sua morte confirmat fidei veritatem.

III. Rogabis primo; cum martyrium ex opere operato remittat culpam, & pœnam, & sanctificet etiam infantes, cur non est appellandum Sacramentum?

Respondeo, quia Sacramentum debet esse signum consistens in actione aliqua facta nomine Christi: Unde quando Judas, verbi gratia, baptizat, Christus est, qui principaliter baptizat, & Judas venit ut Christi Minister; at martyrium non est signum

con-

consistens in actione facta a Ministro, sed ab inimico Christi, cum sit actio facta a Tyranno: Præterea Martyrium sanctificat, in quantum passio est, Sacramentum vero, in quantum est actio: Denique Sacramentum est cæremonia sacra instituta ad Dei cultum; martyrium est actio prava in Dei odium; quamvis ex parte martyris sit actus fortitudinis; & ideo martyrium non est Sacramentum. Sicuti nec fuit Sacramentum Baptismus Joannis, cum non fuerit cæremonia permanens, nec institutus ad sanctificandos homines, sed tantum ut præpararentur homines ad Christi adventum; nec erat in præcepto, sed solum in consilio tempore prædicationis Joannis. Pariter non erat irreiterabilis, nec gratiam conferebat ex opere operato, aut characterem.

IV. Gravis est difficultas, Utrum ad hoc, ut martyrium ex opere operato effectus suos in peccatore producat, prærequiratur contritio, vel dilectio Dei super omnia, an satis sit solum attritio, quæ est dispositio sufficiens ad Baptismum? Siquidem sine ulla retractatione peccatum actuale non remitti in præsentis ordine, certum est; cum doceat Trident. sess. 17. cap. 1. *Pœnitentiam omni tempore necessariam fuisse ad remissionem peccatorum: Equum enim est, ut is, qui propria voluntate se ad peccatum convertit, terga vertens Deo, propria etiam voluntate ad Deum se convertat.* Ex eo autem quod martyri promittatur vita æterna a Christo Domino dicente, *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo,* non sequitur, quod sine retractatione peccatum actuale Martyri remittatur; nam etiam Baptismo promittitur vita æterna, cum dicatur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:* & tamen non remittitur per baptismum peccatum actuale, nisi homo præpa-

ret se ad illum per attritionem. Ex quo sequitur, quod Deus vel non permittat, ut communiter docent, quod peccator aliquis mortem pro fide, vel vera virtute subeat, ubi peccata præterita non retractavit; vel si hoc permitteret, deberet martyr ob peccatum non retractatum damnari. Neque enim velle martyrium subire propter virtutem importat necessario dilectionem Dei super omnia: Nam potest aliquis velle potius mori, quam novum peccatum committere propter metum inferni, aut propter spem gloriæ, in quo casu non habetur dilectio Dei super omnia.

Ad gravem hanc difficultatem respondent quidam cum Vasq., prærequiri ad martyrium in peccatore contritionem, vel dilectionem Dei super omnia. Communius tamen docent satis esse attritionem; sicut satis est ad Sacramentum Baptismi; aliter salus non tribueretur martyrio, sed dilectioni Dei, nec martyrium bene diceretur supplere vices Baptismi; Quamvis enim deleteret omnem reatum peccati, sicut Baptismus, at non haberet præcipuum effectum Baptismi, qui est deletio culpæ: Necessarium tamen est, ut is conetur ad contritionem, & confessionem præmittat, si possit, cum non debeat exponere animam suam periculo æternæ damnationis, sequendo hanc opinionem probabilem, omissa tutiore.

Neque dicas, Apostolum 1. ad Corinth. 13. dicere: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* ergo martyrium sine charitate non sufficit ad vitam æternam.

Nam Apostolus non dicit, charitatem ante martyrium præhabendam esse: Satis enim est, si per martyrium, posita attritione, gratia, seu charitas conferatur: Si autem attritio non præcedat, tamquam dispositio tollens o-

bi-

bicem gratiæ; certe martyrium nihil prodest, ut diximus. Præterquamquod verba illa Apostoli possunt sumi, ut advertit Platelius, non negative, sed contrarie, ut sensus sit, quod effusio sanguinis pro Christo sine charitate, hoc est cum odio proximi, nihil prodest.

V. Rogabis secundo, An eadem intentio suscipiendi martyrium requiratur, quæ requiritur ad suscipiendum Baptismum?

Respondeo, infantes eodem modo esse capaces tam Baptismi, quam martyrii sine ullo actu positivo: at adulti, ut suscipere possint Baptismum, debent expresse illum aliquando voluisse suscipere actu positivo, & talem actum non retractasse; (in quo consistit habitualis intentio) Contra vero, ut sint capaces martyrii, non debent illud prius actu positivo desiderasse; quare qui nunquam cogitavit de martyrio, si dormiens occidatur a tyranno propter fidem, est vere martyr, cum vere perdat animam suam propter Christum; nec martyrium consistat in ulla actione, sed solum in passione. Ratio disparitatis est, quia Baptismus fluminis ideo requirit positivam acceptionem in adultis, quia inducit novum statum, novamque obligationem, quæ libere suscipi debet ab homine libero: At Baptismus sanguinis non inducit novum statum, aut obligationem, sed solum novum præmium, quod Deus liberalissime confert morienti propter ipsum; si enim tale præmium sine ullo prævio actu datur infantibus infectis culpa originali, a fortiori dari debet adultis existentibus in gratia, atque adeo habentibus majorem dignitatem ad præmium. Adde, quod adultus justus interpretative refert ad Deum quicquid mali sustinnerit, quæ intentio interpretativa videtur sufficientissima. Verum quidem est, quod si

dormiens sit in statu peccati mortalis, dum in odium fidei occiditur a Tyranno, gratiam, quæ causatur a baptismo sanguinis, non recipiat, sicut nec recipit gratiam, quæ causatur a baptismo fluminis, qui in statu peccati mortalis baptizatur. At communissime docent, Deum in præsentī providentia non permittere ut in odium fidei peccator occidatur, antequam peccatum retractet saltem per Attritionem supernaturalem.

VI. Rogabis tertio, quandonam martyrium producat effectus suos ex opere operato, in instanti ne mortis, an in instanti, quo recipitur vulnus lethale?

Respondeo, probabile esse, quod docet Suar. tom. 3. disp. 29. sect. 3. Bonac., Henr. contra Cajet., & Conink quæst. 65. num. 159., conferre, quando martyr suscipit lethalem cruciatum, non vero quando moritur; unde non privatur fructu martyrii, qui recepto tali cruciatu miraculose a Deo liberatur; sicut liberatus fuit D. Joannes in dolium ferventis olei immisus, necnon Beatissima Virgo stans juxta crucem, tanquam Martyrum Regina: Ratio doctrinæ est, quia qui subiens mortis cruciatus a morte miraculose liberatur, dicitur mortuus in causa: ergo par est, ut tunc recipiat effectum martyrii, videlicet uberriam gratiam, relaxationem totius pænæ, & laureolam, idest præmium quoddam accidentale, quod martyribus tribuitur, consistens in quibusdam insignibus, & decoribus cicatricum, & in quodam gaudio accidentali; ut videre est apud D. Th. 3. part. quæst. 90. art. 7. Utrum autem post acceptos fructus martyrii maneat confirmatus in gratia, ita ut infallibiliter non sit amplius peccaturus? Putant Suar., & Bonac. valde probabile esse, utpote valde consentaneum divinæ providentiæ, quod Deus illum confir-

firmet, ne gloriam sit amisurus. Probabile etiam est, ante adventum Christi Domini privilegium martyrij extitisse, cum Machabæi in numerum martyrum referantur.

ARTICULUS II.

De Institutione, & necessitate Baptismi.

- I. Baptismus probabiliter ante Christi passionem institutus fuit.
- II. Est necessarius, tum necessitate mediæ saltem in voto, tum etiam necessitate præcepti divini.
- III. Præceptum Baptismi non videtur obligasse ante mortem Christi Domini.
- IV. Ignorantes legem Baptismi post mortem Christi Domini, tenebantur ad Circumcisionem, sive ad legem naturæ; si ea nondum erat promulgata; post promulgationem vero talis legis, qui eam invincibiliter ignorant, si legem naturalem servant, illuminabuntur, ut baptizari possint, saltem Baptismo fluminis.

I. **Q**uæritur primo, quando nam fuerit Baptismus institutus a Christo Domino?

Respondeo, Alios velle cum D. Th. & Vasq; institutum fuisse quando Christus fuit in Jordane baptizatus: Alios vero cum D. Chrysostr., & Leone Papa apud Coninck, fuisse institutum post Christi passionem, quando dixit Dominus, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Probabilius autem est, ante Christi passionem institutum fuisse, tum quia Joannis 4. habetur, plures baptizandos venisse ad Christum, quam ad Joannem, qui dixerat se baptizare in aqua, Christum vero in spiritu Sancto; tum etiam quia Eucharistia, & Ordo insti-

tuta fuerunt in nocte ante passionem; ergo antecedenter institutus erat Baptismus, qui erat janua Sacramentorum: Sine fundamento enim dicitur Christum dispensasse tunc in hoc, quod reciperetur Ordo, & Eucharistia ante Baptismum.

II. Quæritur secundo, quam necessitate necessarius sit Baptismus?

Respondeo juxta dicta quaest. 1. art. 2. esse necessarium, tum necessitate mediæ sive in re, sive in voto propter connexionem, quam habet ex natura sua cum salute æterna, posita Christi institutione; tum necessitate præcepti propter connexionem, quam habet cum salute æterna, etiam ratione obligationis per præceptum inducæ de eo suscipiendo; quia quod est necessarium necessitate mediæ, est etiam necessarium necessitate præcepti, quamvis non e converso: Nec datur solum præceptum naturale Baptismi, utpote mediæ necessarii ad salutem; sed etiam positivum Christi Domini: quando enim Dominus dixit, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* præcepit Apostolis, ut inquit Hieronym., quod Gentes fidem docerent, eisque baptismum præciperent: Hoc autem præceptum obligavit eos, qui erant tempore, quo Christus Dominus hanc legem tulit, etiam Apostolos, & B. Virginem, qui erant iustificati, ut capaces fierent reliquorum Sacramentorum; Obligat etiam omnes infideles; obligatque adultos, ut quamprimum commode possunt, illum recipiant, vel saltem non multo tempore differant, ne se exponant periculo damnationis, & priventur maximis fructibus Baptismi: cum autem infantes ante usum rationis obligari non possint, obligantur eorum Parentes, aut Tutores, ut illis Baptismum procurent; idque non solum ex charitate, & pietate, sed etiam vi legis Baptismi. Unde peccant,

cant, si per longum tempus differant absque causa illorum Baptismum, verbi gratia, ex Soto per duodecim dies, & ex Ledesma per quindecim.

III. Quæritur tertio; quandonam cepit obligare lex Baptismi pro universo Orbe?

Respondeo, probabile esse, quod non obligarit ante Christi mortem; quia non est credibile, quod Christus voluerit homines ad utramque legem, veterem, & novam simul obligare: lex autem vetus obligavit usque ad mortem Christi, ut patet tum ex scissione veli templi, quæ facta fuit tempore passionis, & ex Augustino significavit cessationem veteris legis; tum ex illis verbis Christi Domini in cruce prolatis, *Consummatum est*, quæ ab omnibus Doctoribus intelliguntur de cessatione veteris legis, ut communiter norant apud Bonac. Quare lex Evangelii cepit obligare post mortem Christi eos, quibus sufficienter talis lex innotuerat: statim enim post legem veterem successit lex novi testamenti; Quia tamen talis lex non statim toti mundo promulgata fuit, ideo aliqui cum Bellarmino docent, hanc legem omnes obligasse die Pentecostes, quando Apostoli variis linguis novam legem publicarunt: Alii putant, universalem obligationem cepisse paulo post excidium Hierusalem, quod accidit anno Salutis 73: hoc est quadragesimo post Christi mortem, quo tempore Apostoli Evangelium toti mundo prædicaverant: Et utraque opinio videtur probabilis Bonacina.

IV. Rogabis, quonam remedio salvabantur ii, qui post mortem Christi ignorabant legem Baptismi nondum promulgatam? & quonam remedio salvantur ii, qui post promulgationem legis Baptismi invincibiliter illam ignorant?

Respondeo ad primum, quod illi tenebantur ad Circumcisionem, seu ad remedium naturæ, quia præceptum illius non fuit abrogatum usque ad promulgationem novæ legis, nec aliud remedium fuerat substitutum; aliter dicendum esset, quod homines illi tunc caruissent remedio ad salutem. Quare lex vetus cessavit in morte Christi solum relate ad eos, qui novam non ignorabant; sed relate ad omnes cessavit solum post promulgationem novæ legis factam toti mundo. Ad secundum, aliqui Doctores opinati sunt, quod isti damnentur, quia post generalem Evangelii promulgationem non restat aliud remedium tollens originale præter Baptismum aut in re, aut in voto. Sed Recentiores communiter cum D. Th. 2. 2. quæst. 10. art. 7. putant, quod si naturæ legem servent, Deus daturus illis sit lumen, & speciale auxilium supernaturale, quo se valeant ad illum convertere per fidem strictè dictam, sine qua nemo salvus esse potest in præsentī providentiā; necnon per spem, & charitatem, atque adeo per Baptismum in voto salvari: quod videtur conforme summæ pietati, & misericordiæ divinæ; ut fuisse expendi in Trutina Antiquesnelliana, exponendo thesim vigesimam nonam a Clemente XI. proscriptam; necnon in Cursu Theologico disp. p. de Gratia quæstione octava. Immo juxta doctrinam Vasquii verosimilius si quis ex Infidelibus naturæ legem servaret, Deus sua providentiā ita causas secundas combinaret, ut ibi præsto esset aliquis concinnator, qui illum mysteriis fidei instrueret ac baptizaret; non secus ac Actorum 8. misit Deus Philippum, qui Eunuchum Reginae Candacis edoceret, ut fide strictè dicta ad Baptismum disponeretur. Et Actorum 10. ad orationes Cornelii Centurionis misit Deus Petrum, qui Gentili-

tilibus mysteria fidei exponeret, ac
deinde illos baptizaret.

ARTICULUS III.

De Materia Baptismi.

I. Cur aqua naturalis sit materia re-
mota Baptismi?

II. Quanam dicatur aqua naturalis?

III. Materia Baptismi proxime est ab-
lutio, sive fiat per asperionem, si-
ve per infusionem, sive per unam,
aut trinam immersionem juxta
morem Ecclesiarum.

IV. Si ante tertiam immersionem infans
decedat, eritne baptizatus?

V. Quid si abluatur in solo digito? aut
si in puteum infans projiciatur ani-
mo illum baptizandi?

I. **C**UM Baptismi materia duplex
sit, altera remota, altera pro-
xima, Queritur primo, quanam sit
materia remota Baptismi?

Respondeo esse aquam naturalem,
ut definitur a Trident. sess. 5. can. 7.
& colligitur ex illo Christi Domini:
Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.
Quare autem ita Baptismum Christus
Dominus instituerit? congruentia fuit,
quia aquæ est facillimus usus, & com-
moditas facilis, & aptitudo magna ad
significandam internam munditiam,
perspicuitatem, & refrigerationem ar-
doris concupiscentiæ, quæ causantur
ab hoc Sacramento.

II. Hinc sequitur, quamlibet aquam
naturalem esse veram hujus Sacramen-
ti materiam, maris, fluminis, palu-
dis, pluvie, balnei, etiam sulphurei,
ut communiter docent apud Dian. 3.
part. tract. 7. resol. 5. non esse vero
materiam sale, nivem, grandinem,
gelu, & glaciem, quamdiu sunt con-
creta, quia non manet in iis usus a-
quæ aptus ad lavandum, ut Doctores
communiter cum Fill. tom. 1. tract.

1. cap. 2. docent; secus vero si sint
resoluta; quamvis Conink putet aquam
falis resolutam esse diversæ speciei ab
aqua maris, & ideo esse ineptam.
Quod si nix, glacies, &c. resolvantur
in manibus baptizantis ante ablutio-
nem, est materia sufficiens; si vero
in corpore baptizati, negat Vasq.,
quia baptizans non proprie abluit,
asfirmat Suar., quia Baptismus confi-
sit in ablutione passiva; & utraque
opinio est probabilis Dianæ part. 5.
tract. 3. resol. 3. quamvis opinio Suar.
sit solum speculative, non practice
probabilis, ut constat ex prima Thesi
ab Innoc. XI. proscripta. Porro non
est materia apta aqua artificialis, pu-
ta rosacea, ex herbis expressa, & di-
stillata, nec cervisia, vinum, lac, a-
qua ardens, sudor, lacrymæ, phleg-
ma, saliva, &c.; Nec aqua natura-
lis, quæ ita alterata est, & cum aliis
rebus mixta, ut non sit amplius apta
ad abluendum, ut jusculum, lutum,
lixivium, vinum aquæ immixtum;
quamvis ex Trull. videatur, specu-
lative loquendo, sufficiens lixivium,
quia per cineres aqua non corrup-
pitur.

Pariter aqua extracta ex brodio car-
nium, vel piscium videtur eidem Trull.
sufficiens; sicut extracta e luto; nec-
non ex Fernand. apud Dian. resol. 5.
aqua, quæ colligitur ex vaporibus
densatis ex olla emergentibus, qui in
testaceo tegmento reperiuntur, & quæ
hyemali tempore ex parietibus, lapi-
dibusque fluit; non tamen quæ fluit
ex vite, vel arboribus, quia non est
aqua, sed succus. Verum quia istæ
materiæ sunt dubiæ, in sola extrema
necessitate adhiberi possunt, sicut et-
iam Putean., & de la Crux docent,
posse etiam adhiberi sub conditione in
extrema necessitate aquam rosaceam,
& distillatam.

III. Quæres secundo, quæ sit ma-
teria Baptismi proxima?

Re-

Respondeo esse ablutionem, seu contactum, quo aqua per actionem Ministri successive tangit corpus baptizati; sive fiat per asperisionem, sive per infusionem, sive per unicam, aut per trinam immersionem, juxta morem Ecclesiarum. Quilibet autem sub mortali tenetur Ecclesiae suae ritum servare; Et quamvis Ecclesiae ut plurimum nunc utantur infusione; creduntur tamen Apostoli asperisione baptizasse, quando una die quinque milia hominum baptizarunt, ut notat Hurtad. de Bapt. apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 19.

Rogabis, si ante tertiam immersionem, sed post integram formam Baptismi puer moriatur, erit ne baptizatus?

IV. Respondent Trull., & Ochagav., quod si Minister habeat debitam intentionem faciendi, quod instituit Christus post primam ablutionem, ille est baptizatus; si tamen velit culpabiliter alligare baptismum ad trinam immersionem; ita ut non intendat baptizare ante omnes tres immersiones, certe non erit baptizatus, si ante moriatur, idque ex defectu intentionis, ut notat Bonac.: Palud. tamen apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 17. putat, quod si finita forma continuetur ablutio, non habebitur Sacramentum, nisi ablutione finita, quia cum Ministro incumbat determinare materiam, non censetur illam determinasse, nisi cum cessat abluere. Quicquid tamen sit de tali eventu, certe unusquisque debet habere intentionem ministrandi Sacramentum, non quando incipit, aut cessat ablutio, sed juxta intentionem Ecclesiae, & prout Christus Dominus instituit; quod pariter dicendum in questione illa celebri, Quandonam vinum in Calice convertatur in Christi Sanguinem? num post prolationem illorum verborum, *Hic est enim calix Sanguinis*

mei, an post prolationem reliquorum? cum disputent Doctores, an reliqua etiam sint essentialia; & D. Th. hic quaest. 78. art. 3., & alibi cum aliis Thomistis in partem affirmativam inclinet, ut suo loco dicemus.

V. Sequitur ex dictis primo, non baptizari Petrum, si existat in aqua, & Minister proferat formam Baptismi; quia non abluatur a Ministro. Secundo etiam guttulam, seu scintillam aquae sufficere ad baptismum, cum satis sit ad ablutionem; quare satis est, si baptizandus abluatur digito in aquammerso. Tertio, ad validitatem baptismi requiri, ut aliqua pars hominis principalis abluatur, ad hoc, ut sit verum dicere, quod homo abluatur: quare non satis est, quod aqua tangat capillos, ut tenet Bonac. contra Valq., Con., Sor.: At satis est, ut tangat brachium, pedem, digitum; quia sicut homo dicitur vulneratus, in quacumque parte vulneretur, ita dicitur ablutus, in quacumque parte abluatur. Verum ad tollendos scrupulos debet caput abluere; quod si in scapulis, pectore, humeris, manu, vel pede sit ablutus, existimat Fill. tom. 1. tract. 2. cap. 3. cum Navar., quod possit sub conditione rebaptizari; quamvis non sit necessarium, quia multi docent, esse tutam sententiam docentem esse baptizatum. Equidem tamen cenfeo esse sub conditione rebaptizandum, ne dubius sit, aut solum probabilis baptismus, sine quo nullum aliud Sacramentum suscipi valide potest.

Sequitur ultimo, quod si infans projiciatur in puteum animo illum baptizandi, probabiliter sit baptizatus, ut docent Suar., Valq., Con., & alii apud Trull. contra Henriq., & Sor.: Neque obstat, quod illa potius videtur suffocatio, quam ablutio; aut si esset ablutio, esset ordinata ad immersionem, & necem, non ad resurre-

rektionem. Nam vere esset ablutio ordinata ad resurrectionem animæ, quamvis ad necem corporis: Contra vero, si infans caderet in puteum, & alter formam proferret, non baptizaretur, quia non ablueretur a Ministro; Sicut nec baptizatur, si uno tenente puerum, & proferente formam, alter aquam infundat: At si aqua a tecto cadat, vel ab alio immittatur, & Titius puerum submitteret tali aquæ proferendo formam, illum baptizaret; quia vere diceretur illum abluere. In extrema tamen necessitate infans baptizari potest sub conditione, abluendo capillos, vel umbilicum, quia est etiam pars excrementitia præscindenda a corpore infantis, & ut putat Ochagav. etiam in pelle, quam Medici appellant secundinam, quia reputatur veluti pars pueri, & tamquam ejus cutis.

ARTICULUS IV.

De Forma Baptismi.

- I. *Legitima est ex Florentino tam forma Baptismi, qua utitur Ecclesia Græca, quam ea, qua utitur Ecclesia Latina.*
- II. *Quomodo debeat Trinitas Personarum exprimi?*
- III. *Quonam etiam pacto exprimenda est unitas essentia divina?*
- IV. *Non pertinent ad Formam essentiam particula illa, Ego, In, Amen, sed dubitatur de particula, Et.*
- V. *Num possit unus plures simul baptizare, & num plures unum?*
- VI. *Quanam variatio forma videatur accidentalis.*

I. **D**Uæ sunt Baptismi formæ usitatae, altera ab Ecclesia latina dicendo, *Ego te baptizo in nomine, &c.*; altera apud Græcos dicendo, *Baptizetur servus Christi in nomi-*

ne, &c.; Utraque legitima ex Florent. Nobis tamen non licet hac uti contra consuetudinem Ecclesiæ latinæ: nec illis licet uti nostra.

II. Quæritur nunc primo, an essentialiter ad formam Baptismi requiratur invocatio explicita Trium personarum secundum proprietates relativas?

Respondetur affirmative, ut constat ex illo Matth. ult., *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quare baptismus collatus in nomine Christi nullus est ex Florentino; sicut nec baptismus collatus in nomine Trinitatis, aut in nomine Dei, aut in virtute Sanctæ Crucis, aut in nomine Trium Personarum, aut in nomine primæ, secundæ, & tertiæ personæ; cum non explicentur tres personæ secundum proprietates relativas. Immo multi docent cum D. Th. & aliis contra Cajet. apud Trull., quod nec sufficiat in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, quia Christus instituit, quod sub illis vocibus relativis Patris, Filii, &c., quæ sunt communiores, & usitatiores, baptismus conferatur: Verius tamen dicitur, quod sit validus, quia sunt nomina Synonyma: Sufficit vero ex Trull., si dicatur, In nomine Patris, Verbi, & Spiritus Sancti; Quamvis autem ex Actibus Apost. cap. 14. constat, quod Apostoli baptizarent in nomine Christi, nihilominus vel id fuit ex speciali dispensatione, ut magis redderetur gloriosum nomen, quod tunc temporis erat apud Gentes contemptui: vel, ut communius docent, ibi baptismus factus in nomine Christi significatur Baptismus institutus a Christo, & qui per fidem in Christum, & per merita Christi operabatur, cum opponatur Baptismo Joannis. Vel demum sit sensus, quod in collatione baptismi nomen Christi adderetur dicendo, *Ego te baptizo in nomine*

mine Patris, Filii ejus Jesu Christi, & Spiritus Sancti.

III. Quæres secundo, An etiam essentialiter exprimi debeat unitas essentialitatis divinæ, dicendo, In nomine, &c.?

Respondeo etiam affirmative propter eandem rationem; inde invalidus est baptisus, si dicatur, In nominibus Patris, Filii, &c., vel si dicatur, Baptizo te cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto. Immo si dicatur, Baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii, & in nomine Spiritus Sancti, Conink, & alii apud Bonac. putant esse invalidum; Alii tamen probabilius putant esse validum, quia trina illa nominis repetitio non videtur multiplicare essentialitatem. Dubium etiam est, an sit validus baptisus, si loco illius verbi, *In nomine*, dicatur, *In virtute*? quia nomen videtur importare præter virtutem, etiam invocationem trium personarum? Dubitatur pariter, an sit validus, si dicatur, Te baptizo in Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto? Illud recolo, quod diximus quæst. super. quod si quis baptizaret, dicendo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatæ Virginis, invalide baptizaret, si illam invocaret effective, prout invocantur Tres personæ ad efficiendum Sacramentum; secus vero, si invocetur deprecatorie, intendendo auxilium Beatæ Virginis baptizato implorare, ut notat Dian. part. 1. tract. 15. resol. 48.

IV. Quæritur tertio, quam partem in forma Baptismi sint essentialis?

Respondeo, particulam, *Ego, In, Amen*, non esse de essentiali; unde validus est Baptisus, dicendo, Baptizo te nomine Patris, &c., quia idem sensus remanet illis omissis: idem enim est præcipere nomine regis, ac in nomine regis: illas tamen particulas omittens ex Henriq. peccat graviter: Communius tamen apud Dian.

Part. V.

part. 1. tract. 15. resol. 14. docent, quod peccet venialiter, si absit scandalum, cum non sint materia gravis: Et idem dicas, si quis vulgari idiomate baptizaret, nisi tamen id faceret, quia non bene callet idioma latinum. Qui vero omittit conjunctionem, *Et*, invalide baptizat ex Sylvest.; communius tamen docent, quod valide.

V. Quæritur ultimo, an possit unus plures simul baptizare, vel plures unum?

Respondeo ad primum, posse quidem unum baptizare plures, etiam unica asperione, ut notat Trull. (& quidem licite in necessitate,) dicendo, *Ego vos baptizo*: Sicut potest unus plures ordinare, vel absolvere, dicendo, *Ego vos absolvo* &c. *Accipite potestatem*, &c., dummodo abluat illos, dum formam profert, vel saltem moraliter conjungatur materia cum forma; sicut enim qui manibus poculum tenet ori applicatum, dicere moraliter potest, *Ego bibo*, ita si quis statim prolata forma abluat, dicitur moraliter tunc, cum formam profert, abluere. Non est tamen sequendus Heredia, qui apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 6. docet, satis esse, si intercedat inter abluionem, & formæ prolationem unum *Pater noster*.

Ad secundum respondeo, posse etiam plures baptizare unum, dummodo singuli seorsim ponant materiam, & formam, & intendant absolute, & totaliter baptizare; secus vero si vellent baptizare partialiter; aut, si Petrus dicat, *Ego baptizo te*, si Paulus nunc baptizans non te baptizat, & viceversa dicat similiter Paulus, *Ego baptizo te*, si Petrus nunc baptizans non te baptizat: istæ enim conditiones reddunt formam se falsificantem; imo, ut docent Logici in libris Perihermenias, istæ propositiones materialiter tantum proferri possunt: o-

E

mais

mnis enim actus intellectus, & voluntatis debet habere objectum a se distinctum; in hoc autem casu non haberent objectum distinctum a se, ut patet consideranti.

Notandum hic, quod quando duo, tamquam causæ totales simul baptizant eundem, ille solum baptizat, qui prius ponit materiam, & formam; alter vero non est irregularis ex reiteratione Baptismi, quia non habetur nova applicatio materiæ, & formæ post primum baptismum, ut requiritur ad peccandum, & incurrendam irregularitatem; sicut non peccant Sacerdotes, qui quando initiantur, proferunt simul cum Episcopo formam consecrationis, quamvis ille prius consecret, qui prius formam absoluit.

Notandum etiam cum Bonac. apud Trull., quod valide baptizet Episcopus, si dicat, *Nos baptizamus te pro Ego te baptizo*; quia *Nos* ponitur auctoritative pro *Ego*: Et probabile est, speculative loquendo, quod valide baptizet, si dicat, *Ego vos baptizo* pro *Ego te baptizo*, quia talis mutatio non est substantialis, & Italico sermone sæpe pluralis hic numerus pro singulari usurpatur. Valide etiam baptizat Latinus adhibendo sacrilege formam Græcorum, *Baptizetur servus Christi*, vel dicendo, *Baptizet te Christus*, ut communissime docent Doctores apud Conink contra quosdam Canonistas; sicut valide consecrat latinus in fermentato; quia materiæ, & formæ essentielles Sacramentorum sunt eadem pro tota Ecclesia; cum sint a Christo Domino institutæ; quamvis possit Ecclesia prohibere, ne quis aliqua forma contra consuetudinem utatur.

ARTICULUS V.

De Baptismi Ministro.

- I. *Etiam Turca, & Hæreticus, necnon Mulier potest hoc Sacramentum administrare.*
- II. *Num ierandus sit sub conditione Baptismus collatus ab Obstetricibus?*
- III. *Quinam possit baptizare solemniter?*
- IV. *In casu necessitatis quinam preferendus sit, qui baptizet?*
- V. *Quinam irregularitatem incurrant ex illicita Baptismi collatione?*

I. **Q**Uæritur primo, quinam sit Minister hujus Sacramenti?

Respondeo, esse quemcumque rationis compotem distinctum tamen ab ipso baptizando: unde in necessitate potest etiam Turca, & Paganus, & excommunicatus, etiam hæreticus, etiam mulier baptizare, dummodo habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; cum enim Sacramentum hoc sit maxime necessarium omnibus, congruum fuit, ut cuilibet talis potestas conferretur: Nemo tamen potest se ipsum baptizare, ut constat ex cap. *Debitum de Baptismo*, & colligitur ex verbis Domini, *Baptizantes eos*: Sicut enim nemo potest se ipsum generare corporaliter, sic nec regenerare spiritualiter.

II. Notandum hic, Sylvestrum docere apud Dian. part. 5. tract. 13. resol. 88., quod si quando obstetrix baptizet puerum, possit hic iterum sub conditione baptizari, quia dubium est, ne subito casu necessitatis turbata aliter fecerit, quam oportuit; quod aliqua Synodi decreverunt. Communius tamen docent apud Dian. quod universim in nostris regionibus non sit prudens ratio dubitandi de validitate Baptismi collati ab obstetricibus, quæ

solent esse instructa juxta obligationem, quam habent; unde solum in Ecclesia supplendæ sunt solemnitates omisæ: Quamvis Possiv. apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 6. putet, non esse mortale caremonias omisas non supplere in Ecclesia, secluso contemptu. Baptizandus est pariter sub conditione infans, qui in casu necessitatis baptizatus est in utero Matris per aquam eo immisam, juxta dicta quæst. 1. art. 7. quia licet probabilissimum sit, infantem nondum egressum ex utero matris capacem esse baptismi, non tamen est omnino certum apud Doctores.

III. Quæres secundo, Quinam sit Minister Baptismi ordinarius, seu ex vi suæ institutionis deputatus ad illum ministrandum solemniter?

Respondeo, esse Sacerdotem, ut constat ex Florent. in decreto Eugen. cap. *Firmiter*, & ex usu Ecclesiæ, & ratione D. Th.; quia scilicet Sacerdos vi suæ consecrationis recipit potestatem in corpus Christi verum: ergo etiam in corpus Christi mysticum, idest in homines: Sicut autem Sacerdos quilibet habet potestatem conferendi Sacramentum Pœnitentiæ, sed ut valide illud conferat, debet habere jurisdictionem ab Ecclesia; ita pariter, ut licite baptismum Sacerdos conferat solemniter, indiget facultate Episcopi, vel Parochi personæ baptizandæ, propter bonum Ecclesiæ regimen. Quare quando a Florentino dicitur, quod Sacerdos sit ordinarius Minister baptismi, non est sensus, quod Sacerdos habeat completum jus baptizandi, sed solum quod homo per Sacerdotium fiat idoneus, cui committatur ordinaria potestas baptizandi, sicut & absolvendi. Et ratio a priori est, quia ad solos Principes spectat ascribere aliquem in membrum Communicatis, & communicare privilegia; non sunt autem Principes

Ecclesiæ Sacerdotes, sed h. m. Principes sunt Episcopi, & Pastores animarum: Itaque solum Pastor proprius hominis baptizandi, videlicet Episcopus, vel Parochus in propria Diocesi, aut Parochia, possunt jure suo solemniter baptizare, & possunt facultatem hanc communicare cuilibet Sacerdoti: Imo ob justam causam in necessitate non extrema, sed notabili, ut putat Conink, (qualis esset, si non posset Sacerdos commode per se baptizare) possunt concedere facultatem baptizandi solemniter Diacono, ut communiter Doctores docent; & colligitur ex Catechif. Romano de Baptismo. Et ratio est, quia proprium Diaconi munus est inservire Sacerdoti: Aliis vero inferioribus Diacono solum Summus Pontifex potest facultatem concedere, ut solemniter baptizent, quia ritus baptizandi solemniter non est de jure divino, sed Ecclesiastico; unde potest Pontifex, qui supra totum jus Ecclesiasticum potestatem habet, dare cuilibet hanc facultatem.

IV. Quæres tertio, Quinam ordo servandus sit in collatione Baptismi in casu necessitatis, ut licite conferatur?

Respondeo, hunc ordinem servandum, ut femina non baptizet præsentem viro sciente baptizare, nec laicus præsentem clerico, nec Clericus præsentem Diacono, nec Diaconus præsentem Sacerdote, nec Sacerdos præsentem proprio Pastore: & cæteris paribus præponendus est baptizatus non baptizato, catholicus hæretico, non excommunicatus excommunicato. Est autem mortale, ut communiter docent contra Valent. apud Trull., si præsentem Sacerdote, qui possit commode baptizare, alius non Sacerdos baptizet; quia fit gravis injuria tum Sacramento, tum Ordini, & dignitati personæ, cujus jus usurpatur; quin possit ille huic juri cedere. Imo Vasq., Conink,

nink, & alii docent esse etiam mortale, si praesente Diacono inferior baptizet; quod tamen Suar., Sot., Granad. negant, quia Diaconus non est Minister Baptismi ex officio; unde non irrogaretur ejus dignitati gravis injuria, atque adeo solum venialiter peccaretur; Non secus ac si praesente clerico baptizaret laicus, aut praesente laico femina, aut praesente iusto non excommunicato, aut catholico baptizaret peccator, aut excommunicatus, aut haereticus, praeciso scandalo: Ratio est, quia talis ordinis inversio nullo jure positivo est prohibita; unde solum est mala ob quandam indecentiam, ut notat Granad. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 4., & part. 5. tract. 3. resol. 18.

Peccaret quidem graviter Pater, sicut etiam Mater, si in casu necessitatis filium baptizaret aliis praesentibus, qui baptizare puerum possent, ut notat Dian. part. 3. tract. 4. resol. 3., quamvis probabiliter ex Conink contra Villalob. apud eundem Dian. non privaretur jure petendi debitum; cum haec poena in nullo textu invenitur. Solum cognatio spiritualis intercedit inter baptizantem, & Parentes baptizati, quae impedit matrimonium, non tamen habetur obligatio non petendi debitum, si matrimonium jam sit contractum.

Non debet tamen esse multum scrupulosus in expectando magis idoneo is, qui baptizantem perquirat in casu necessitatis, ne forte, dum idoneus expectatur, infans decedat. Immo, si proles nondum tota extra uterum egressa baptizanda sit, debet ab obstetrice baptizari, cum non deceat alios advocare.

Quaeritur ultimo, Quanam poena imposita sit illicite baptizanti?

Respondeo, quod rebaptizans irregularitatem incurrit, sicut etiam adultus rebaptizatus: Si quis tamen cul-

pabiliter rebaptizat sub conditione; communiter docent contra Sayr., & Hered. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 9. quod irregularitatem non incurrat; quia rebaptizatio sub conditione non est simpliciter dicta Rebaptizatio, cui tantum imposita est in jure irregularitas. Deinde clericus non Sacerdos solemniter baptizans, sicut etiam Diaconus sic baptizans sine Sacerdotis delegatione, incurrit irregularitatem, ex cap. 1. de Clerico non ordinato administrante: probabiliter autem ex Nav. Fill. apud Trull. non fit irregularis laicus solemniter baptizans, quia talis poena videtur imposita clerico non ordinato, non laico. In cap. Placuit 16. quaest. 1. prohibetur Monachis, ne baptizent, nulla tamen iis imponitur poena; unde Granad. putat id non praecipere sub mortali; Immo Rodriq. apud Dian. part. 5. tract. 13. resol. 18. putat, iis prohiberi tantum, ne baptizent sine licentia Ordinarii: Nomine autem Monachi non venit quilibet regularis, sed solum illi, qui sub obedientia Abbatis vivunt.

ARTICULUS VI.

De Subiecto Baptismi.

- I. Num etiam infans nondum egressus ex utero matris possit sub conditione baptizari, quando per fistulam abluí potest?
- II. In vitis parentibus filii Infidelium baptizari possunt, si habentes usum rationis Baptismum postulent, & a Parentibus subtrahendi.
- III. Sicut etiam infantes Haereticorum, & Apostatarum; Necnon filii Infidelium Mancipiorum.
- IV. Non tamen filii Infidelium, qui aut nullatenus subiecti sunt Principibus Christianis; aut his subiecti sunt solum politice.

V. Di.

V. Diluuntur objecta.

VI. Si alter tantum ex parentibus Infidelibus consensiat, infantes baptizari possunt. Sicut etiam omnes in periculo mortis; aut si sint extra patriam potestatem; aut si perpetuo amentes.

VII. Quid de Mutis, ac Surdis a Nativitate, si sint adulti?

I. Quæritur primo, Quinam sit Baptismi capax?

Respondeo, omnes homines, etiam infantes, ex Trid. sess. 7. can. 12. non tamen Satyri, seu geniti ex femina, & bruto, cum non sint homines; sicut nec monstra ex femina, & viro genita, si non constet ea habere animam rationalem; si tamen dubitetur, eo quod habeant, verbi gratia, caput ferinum, & reliqua membra humana, baptizanda sunt sub conditione; sicut si dubitetur, an fetus constet duplici anima rationali; (quia, verbi gratia, habet duo capita cum uno pectore, vel duo pectora sub uno capite) duplex baptismus conferendus est; alter absolute in ea parte, in qua perfectius caput, vel perfectius pectus apparet, & alter conditionate in altera parte. Infans in utero matris juxta communem Antiquorum sententiam baptizari non potest, cum non possit nasci spiritualiter, qui non est natus corporaliter; si tamen in aliqua sui parte saltem per fistulam lavari possit, Suar. Conink, & alii apud Dian. part. 1. tract. 15. resol. 43. probabiliter putant contra Comit. Bonac., & alios, quod in casu necessitatis baptizari possit sub conditione; quia, ut quis renascatur spiritualiter, satis est, si illa præcedat nativitas, qua de non homine fit homo, dummodo lavari possit, ut diximus art. 7. quæstionis superioris; Ad eum modum, quo baptizari possunt, ac debent ii, qui tantum exerunt ma-

Pars V.

num, aut egrediuntur ex dissecato utero matris mortuæ; quamvis naturaliter non sint nati nativitate rigoroſe dicta; Deinde vero baptizandus est sub conditione, ut diximus articulo superiore, post totalem egressum, etiam qui in manu, pede, aut brachio, quod eduxit, baptizatus est; quia aliqui dubitant de validitate hujus Baptismi; Si vero postquam puer eduxit caput, in eo baptizatus sit, non est iterum baptizandus sub conditione.

II. Quæritur secundo, an liceat baptizare filios Infidelium, invitis eorum parentibus?

Respondeo, Infideles alios esse, qui nunquam baptismum susceperunt, alios vero, qui post baptismum ob hæresim, vel apostasiam defecerunt. Rursus qui nunquam susceperunt baptismum, alii sunt subiecti in Jurisdictione temporali Christianis Principibus, ut multi Indi subiecti sunt Regi Hispaniarum, ac Lusitanæ, & multi Judæi in Germania Imperatori: Alii nullatenus sunt subiecti, ut Turcæ. Aliqui demum sunt subiecti Christianis, non solum politice in jurisdictione temporali, sed etiam serviliter, ut mancipia. His positis

Dico primo, Filius cujuscumque Infidelis, si habeat usum rationis, & petat baptismum, baptizandus est, etiam parentibus invitis; & ab illis subtrahendus propter periculum subversionis. Ratio est, quia habet jus petendi necessaria ad salutem, nec tenetur obedire Patri in his, quæ Deo opponuntur: Quod si dubitetur, an habeat usum rationis; Aliqui docent cum Soto apud Bonac; quod possit baptizari, quia in dubio inclinandum est in favorem fidei; Alii quod non possit cum Henr, quia melior est conditio parentum possidentium: Alii demum cum Sâ, quod si complevit septimum annum, præsumi debeat it-

E 3 lum

lum habere usum rationis; secus quod non habeat.

III. Dico secundo, Infantes Hæreticorum, & Apostatarum baptizari possunt, invito parentibus. Ita communiter. Ratio est, quia Ecclesia habet jus in ipsos parentes, illosque potest ad fidem cogere, aut pœna mortis punire, si sint pertinaces: ergo potest etiam eos privare jure, ac potestate, quam habent in suos filios, atque adeo illos baptizare, & a parentibus subtrahere, si renuant.

Dico tertio, Infantes, qui filii sunt infidelium mancipiorum, possunt etiam invito parentibus baptizari. Ita Suar., & alii contra Thomistas apud Dian. part. 1. tract. 15. resol. 45. Ratio est, quia isti parvuli possunt a dominis suis, invito parentibus, vendi, seu donari, & deinde subtrahi a parentibus baptizari; (aliter non essent domini, si non possent vendere, aut donare: jure autem gentium hoc modo introducta est servitus) ergo possunt etiam baptizari, & deinde, antequam adolefcent, a parentibus subtrahi ad vitandum periculum subversionis: Quod aperte docet Vasq. in 3. part. disp. 153. cap. 4. num. 50. apud eundem Dian. Immo domini tenentur curare, ut baptizentur, quia hujusmodi servi sunt de familia Domini: ergo dominus tenetur illorum curam gerere, tam in temporalibus, quam in spiritualibus; *Qui enim suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*, ex 1. ad Timoth. 3.; non tamen ad id tenentur cum magno incommodo; quia charitas non obligat regulariter cum incommodo notabili, quando proximus non est in extrema necessitate; Unde facile excusantur, qui eos vendunt, aut in compensationem Christianorum captivorum dant servos, eorumque filios iisdem reddunt, si non reddendo, in iis a-

lendis, & educandis magnum incommodum subirent.

IV. Dico quarto, filii infidelium, qui solum politice subiecti sunt Christianis Principibus, non possunt invito parentibus baptizari. Ita communiter contra Scotum, & Gabrielem apud Becanum de Bapt. quest. 6. Ratio est, quia, vel isti parvuli subtrahuntur a parentibus, & fieret his injuria, cum non amiserint jus in filios; vel relinquerentur in eorum potestate, & fieret injuria Sacramento propter periculum apostasiæ, & sacrilegii: profanaretur enim, & contaminaretur baptismus, quod est sacrilegium. Et confirmatur, quia Princeps sæcularis solum habet potestatem puniendi peccata, quæ sunt contra politicam pacem, & gubernationem, adversus quam non peccant, qui nolunt filiis dare baptismum.

Dices: Principes sæculares possunt punire subditos Christianos nolentes filium suum baptizare, & peccantes contra divina præcepta: ergo etiam subditos hujusmodi infideles.

Respondetur, non posse subditos Christianos propria auctoritate puniri a principibus sæcularibus, nisi solum quando delinquant contra publicam pacem, & gubernationem; aut quando contra jus naturæ, & Dei honorem sacrilege peccarent; puta si velent pueros interficere ad sacrificandum Idolo. Quare solum ex concessione Magistratus Ecclesiastici possunt illos punire, si nolint filium baptizare, aut si peccent contra divina præcepta.

Neque replices, quod pariter possent ex eadem concessione punire subditos infideles, qui nolint baptismum conferri filiis suis. Nam dispar est ratio, cum infideles non sint subiecti potestati Ecclesiasticæ, sicut Christiani, dicente Apostolo, *Quid ad me de iis, qui foris sunt, judicare?*

Dico

Dico quinto: A fortiori baptizari non possunt, parentibus inuis, filii Infidelium, qui nullatenus subditi sunt Christianis, propter eandem rationem. Ita D. Th. 3. part. quæst. 68. art. 10.

V. Oppones primo: Ecclesia habet jus baptizandi infantes, tum ex concessione generali Christi Domini, *Baptizare omnes gentes*; tum ex concessione generali juris naturæ, quo licitum est innocentes defendere; si enim, quando parens vellet filium interficere, possemus illum eripere e manu parentis ad vitam temporalem conservandam, a fortiori possumus illum eripere ad dandam illi vitam spiritualem per baptismum.

Respondetur, Christum Dominum dedisse potestatem baptizandi, non invitos adultos, sed volentes, & infantes, consentientibus illis, in quorum potestate sunt. Jus autem naturæ concedit defensionem innocentium in iis rebus, ad quas habent jus: cum autem habeant jus ad vitam temporalem, non vero ad baptismum, nisi quando adulti illum petunt; hinc licitum est jure naturæ illos defendere, si vita temporalis adimatur; sicut etiam, si Pater cogat filium adultum ad sequendam falsam religionem, non vero si infanti deneget baptismum.

Oppones secundo; quoties parentes abutuntur potestate, quam habent in filios, possunt jure ea potestate privari; sed in casu nostro abutuntur; tum quia faciunt contra præceptum Christi de iis baptizandis; tum quia potestas parentum eo spectat, ut filios alant ad cultum Dei; quod non faciunt, qui impediunt baptismum filiorum.

Respondeo, quod licet potestate, quam habent in filios, abutuntur, non possunt tamen jure ea privari, nisi a superiore, qui habeat in illos jurisdictionem: Ecclesia autem nullam

habet jurisdictionem nec spiritualem, nec temporalem in illos, sicut habet in hæreticos, utpote baptizatos.

VI. Oppones tertio; Si isti parvuli sint in periculo mortis, possunt baptizari, quin ulla parentibus injuria irrogetur: ergo etiam extra mortis periculum: cum idem jus habeant in filios in utroque casu.

Respondeo cum Conink negando consequentiam; nam sicut in extrema necessitate temporali pauperis dives amittit jus, quod habet in sua bona; unde citra injuriam possunt ab eo tolli, ita in extrema necessitate spirituali infantis amittit Pater jus in puerum, & citra injuriam baptizatur; non enim natura dat jus diviti in bona, & parentibus in filios in tali casu: unde vel poterit tunc secreto baptizari ad vitanda sacrilegia, & blasphemias in Christianam fidem, vel poterit filius eripi sine scrupulo e manu parentum, & deinde baptizari.

Objicies quarto: Si alter parens consentiat, ut filius baptizetur, potest licite baptizari, etiam altero invito: ergo pariter utroque parente invito: nam si obstat injuria, quæ fieret utrique parenti, obstat etiam in primo casu injuria, quæ fieret alteri tantum parenti invito.

Respondetur, Concedendo antecedens, dummodo non relinquatur puer sub cura parentis invito cum periculo sacrilegii, & negando consequentiam: disparitas est, quia, quando alteruter parens dissentit, lis adjudicanda est in favorem innocentis, & fidei: ergo non fit ulla injuria alteri parenti invito.

VII. Ex dictis sequitur primo, quod possint hujusmodi infantes baptizari, si extra patriam potestatem sint absque spe restitutionis, puta, quia bello justo, vel injusto sunt capti, vel empti, &c. nam cessat ratio adducta

injuriae, & periculi apostasiae, & sacrilegii.

Sequitur secundo, quod possint pariter baptizari perpetuo amentes, etiam extra mortis articulum invitis parentibus, cum pariter in iis cesset periculum profanationis. Cum autem ad Baptismum suscipiendum in adultis tria requirantur, videlicet, Intentio, Fides supernaturalis, sine qua impossibile est placere Deo, & Attritio (si minus contritio) supernaturalis, sine qua peccata commissa non remittuntur, idcirco muti adulti baptizandi non sunt, nisi exterioribus signis ostendant, se intelligere talia remedia ad salutem animae ab uno Deo instituta esse, & ad fidem, ac attritionem supernaturalem excitentur. Qua in re ad Episcopum, vel Parochum recurrendum est, ut cum aliis viris doctis rem omnem conferat, inquirendo, num iis adsit debita intentio, necnon attritio supernaturalis de peccatis commissis, si forte in mortalia lapsi sint; & fides etiam supernaturalis Dei unius, & Remuneratoris; quae omnia non facile in mutis a nativitate, & furdis reperiuntur. Et facilius forte erit eos ad baptismum flaminis disponere, hoc est ad amorem Dei super omnia, qui pariter, ut sit supernaturalis, & ad gloriam perducere possit, necessario prodire debet a fide supernaturali; ut proinde etiam ad hanc fidem muti excitandi sint. Dixi, quod ad suscipiendum Sacramentum baptismi requiratur in mutis praeter dolorem supernaturalem, qui saltem sit attritio de peccatis commissis, etiam fides supernaturalis, non tamen habitualis infusa; sed actualis: quamvis enim Christus Dominus dixerit; *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*: non inde fit, quod ad baptismum praerequiratur fides habitualis infusa: valide enim recipit baptismum, qui fide supernaturali credit Deum

esse unicum, & Remuneratorem, esto culpabiliter negaret aliquem alium articulum fidei; dummodo in susceptione baptismi intendat suscipere Sacramentum a Christo Domino institutum; quo casu nec gratiam, nec fidem infusam cum baptismo reciperet propter peccatum infidelitatis; reciperet tamen Sacramentum, & characterem; aliter esset rebaptizandus, quod nemo dixerit.

ARTICULUS VII.

De Effectibus, & Ritibus Baptismi.

- I. *Primarii effectus Baptismi sunt quinque. Tres vero secundarii.*
- II. *Ceremonia ab Ecclesia instituta in collatione Baptismi sub mortali servanda sunt, nisi parvitas materia excuset.*
- III. *Num causent aliquem effectum supernaturalem ex opere operato.*
- IV. *Patrinus in Baptismo dumtaxat solemniter adhibendus est, quod si in privato adhiberetur, probabiliter cognationem spiritualem non induceret.*
- V. *Quid ferat post Tridentinum Cognatio spiritualis?*
- VI. *Quid requiritur ad cognationem spiritualem contrahendam?*

I **Q**Uaeritur primo, quinam sint primarii Effectus Baptismi? Respondeo, quinque a Doctoribus enumerari: primo deletionem omnis culpae, dummodo tunc non sit affectus ad culpam aliquam venialem; quae sane, dum committitur, non deletur; sicut nec remittitur culpa mortalis, nisi saltem per attritionem supernaturalem sit retractata: Culpas autem aliquas veniales etiam sine retractione relaxari in praesenti ordine docent communius in de Pœnitentia. Secundo, relaxationem omnis pœnæ pec-

catis, quæ remittuntur, debita, ex Trident. sess. 5. cap. 5. Tertio gratiam justificantem cum choro virtutum infusarum, non solum Theologicarum, quod declarat Tridentinum, sed etiam Moralium, quod omnes Doctores docent. Quarto, gratiam Sacramentalem, quam explicavimus quæst. 1. art. 5. consistentem in exigentia specialium auxiliorum, quibus homo excitetur ad superandum concupiscentiæ fomitem, & se disponat ad fidem conservandam, Christi præcepta servanda, & reliqua Sacramenta digne suscipienda. Quinto characterem.

Præter hos quinque primarios effectus, enumerantur tres alii secundarii. Primo quidem, quod aperiatur janua celestem, cum removeat omne impedimentum culpæ, & pænæ, ut notat D. Th. quæst. 63. art. 7. Secundo, quod subiciat hominem potestati, & jurisdictioni Ecclesiæ, & obliget illum ad servanda præcepta Ecclesiastica; cum per baptismum fiat Ecclesiæ membra, & ovis Christi Pastoris; Etenim Apost. 1. ad Cor. 5. dicit, *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, judicare?* Potestas autem ecclesiastica, cui baptizatus subicitur, triplex est; Prima ordinis; Secunda jurisdictionis interioris; Tertia exterioris: Prima refertur ad Sacramenta conficienda, & administranda; Secunda ad regendum populum Christianum in foro conscientiæ, quod fit absolvendo, & ligando; Tertia ad eundem populum Christianum regendum in foro exteriori, quod fit leges ferendo, excommunicando, & alias pœnas, aut præmia, vel indulgentias constituendo, & omnibus his potestatibus homo per baptismum subicitur.

Tertio, Baptismus tollit irregularitatem contractam ex delicto, puta ex homicidio culpabili; quamvis, ut notat Bonac. de Irregularitate, cum an-

te baptismum nulla pœna Ecclesiastica, atque adeo nulla irregularitas incurri possit, re vera, & proprie loquendo per baptismum non tollitur ulla irregularitas, sed potius dicendum, quod homo non afficiatur ulla irregularitate ob delictum commissum ante baptismum; quia homo per baptismum regeneratur, & quasi fit homo novus: Quando tamen defectus, propter quem inducta est irregularitas, perseverat post baptismum, verbi gratia, si perseveret cæcitas, illegitimitas, manet homo post baptismum irregularis; sicut etiam manet irregularis propter bigamiam antecedentem, non consurgentem ex delicto, ut jure sancitum est: At irregularitas ex defectu lenitatis contracta propter homicidium justum, ut Judicis, & Militis juste pugnantis, non manet in baptizato post baptismum, ex Sylv. & Nav. cap. 27. num. 209. apud Trull. Quando autem baptismus fictus, seu cum peccato susceptus, recedente fictione, producat effectum suum, & quomodo talis fictio tollatur, diximus quæst. 1. cum de Sacramentis in genere, art. 5. ubi etiam art. 3. diximus de dispositione requisita ad recipiendum Sacramentum, & fructum sacramenti; & art. 8. multa de ritu, & cæremoniis servandis in administratione sacramentorum.

II. Quæritur hic secundo, Quinam ritus, seu cæremoniæ servandæ in collatione baptismi?

Respondeo, & dico primo, servandas esse cæremonias, seu ritus etiam accidentales ab Ecclesia approbatos in collatione hujus Sacramenti; ita ut mortale sit illos omittere, nisi parvitas materiæ excuset, ut diximus loco laudato: Verbi gratia, mortale est solemniter baptizare in aqua non benedicta, vel in Chrismate alterius anni sine necessitate, ut notat Bonac. num. 20.; hujusmodi enim cæremoniæ ad-

adhibentur ab Ecclesia non solum ad instructionem populi, & ad reverentiam Sacramenti, sed etiam ad efficaciam, cum operentur effectum aliquem supernaturalem, ex D. Th. qu. 51. art. 2., & 3. Conink, Filliuc. apud Trull.

Dico secundo, ex caeremoniis alia precedunt baptismum, ut Catechismus, exorcismus, Dæmonis adjuratio, olei unctio, &c.; alia subsequuntur, ut Chrismatis unctio, & alia, quæ in rituali continentur. Præcedit Catechismus, quia Christus Dominus præcepit, ut baptismum doctrina christiana præcederet: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Alia caeremonia operantur effectum aliquem supernaturalem, puta expulsionem dæmonis, & alios.

III. Utrum autem effectus hos supernaturales caeremonia ista causent ex opere operantis, an ex opere operato? lis est inter Doctores. Suar. disp. 15. sect. 4. putat, quod ex opere operantis, ut diximus cum de Sacramentis in genere loquentes de Sacramentalibus: Henr. vero putat lib. 2. cap. 13. num. 8., quod Christus ad illarum præsentiam hos effectus causet, cum non sint instituta a Christo, sed ab Ecclesia. At D. Th. qu. 51. art. 3. Scot., Ledef. apud Trull. censent, quod causent illos ex opere operato ad modum Sacramenti, quia ab Ecclesia auctoritate Christi sunt instituta.

IV. Quæritur tertio, an semper in baptismo Patrinus, sive susceptor adhibendus sit?

Respondeo, solum in baptismo solemniter adhibendum esse, ex Trident. sess. 24. cap. 2., etiam si baptizandus sit adultus: Etenim baptizatus, ut notat D. Th. 3. part. quæst. 67. art. 7. est velut parvulus, qui indiget Pedagogo, ut instruatur. Munus autem susceptoris, seu sponsoris est, baptizatum in rebus fidei instruere, si in-

digeat, hoc est si habeat parentes infideles, aut negligentes. Quando vero in necessitate privatim aliquis baptizatur, nullum extat præceptum, quod in eo Patrinus adhibeatur; ut communiter docent contra Zambra-num apud Dian. part. 3. tract. 4. re. fol. 18.. Immo si adhiberetur, & infantem ex proposito velut patrinus teneret, cognationem spirituales non contraheret, ut notat Dian. loc. laud. cum Sanch., Sot., & aliis contra Conink, Suar., Sà, quia susceptio prolis solum introducta est ad solemnitatem baptismi; atque adeo ubi baptismus non est solemniter, non parit effectum hunc cognationis spiritualis; quamvis pariat obligationem instruendi puerum, quia ad id susceptor se obligat.

V. Ubi notandum primo, quod cognatio spiritualis nihil aliud sit, quam impedimentum dirimens matrimonium inter susceptorem, & baptizatum, ejusque patrem, & matrem; necnon inter baptizantem, & baptizatum, ejusque patrem, & matrem, non tamen inter baptizatum, & filios susceptoris, (quæ erat ante Tridentinum confraternitas spiritualis) nec inter susceptorem, & susceptricem, aut inter alios. Quare post Tridentinum solum remanet Paternitas spiritualis inter susceptorem, & susceptum, & compaternitas spiritualis inter susceptorem, & baptizatum, & parentes suscepti.

VI. Notandum secundo, quod ad cognationem spirituales contrahendam plura requirantur; videlicet, quod sint baptizati illi, inter quos contrahitur; quod susceptor sit a parentibus, vel a paroco ad id designatus; quod teneat baptizandum, vel illum immediate e manibus baptizantis suscipiat; & alia, quæ notat Conink disp. 32. dub. 2. & dicuntur cum de Matrimonio; ubi quæritur,

An

An is, qui per procuratorem alium suscipit, hanc cognationem contrahat? & an si plures, quam unus, & una sint susceptores, omnes cognationem contrahant? (nam ex Trident. loc. citat. unus tantum, aut una, aut ad summum unus, & una debent esse

susceptores) Quæritur etiam, An contrahatur cognatio, si susceptor erret in persona, quam suscipit? An possit conjux petere debitum, si suscipiat communem prolem? & alia hujusmodi.

Q U Æ S T I O III.

De Confirmatione.

Confirmatio est Unctio Chrysmatis signo crucis facta ab Episcopo in fronte baptizati sub præscripta forma verborum, qua ex Christi institutione gratia augmentum accipitur, & robur ad resistendum hostibus fidei. Dari hoc Sacramentum est de fide ex Trident. sess. 7. can. 1. contra hæreticos, qui illud negabant, eo quod in Scripturis illius mentio non fiat; quod tamen falsum est: Nam Actorum 8. de Apostolis dicitur: *tunc imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* & cap. 19. *Cum Paulus imposuisset illis manus, venit Spiritus Sanctus super eos;* quæ, & alia loca ex consensu Conciliorum, & Patrum intelligenda sunt de hoc Sacramento, quod ab Antiquis manuum impositio dicebatur ex modo, quo confertur. Quamvis autem nulli de eo fieret mentio in Scripturis, non idcirco negari posset: multa enim credenda sunt, quæ non Scriptura, sed traditio docet. Unde Apost. 2. ad Thesal. 2. dicit: *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam.* Institutum est hoc Sacramentum probabiliter in nocte cœnæ, ut communiter Doctores docent cum Suar. Fill., Trull., quando Christus Dominus multoties promisit Apostolis Spiritum Sanctum, & Chryisma consecravit; quod est hujus Sacramenti materia; ut habetur in Epistola secunda Fabiani Papæ; ubi dicit cap. 2. *In illa die Dominus Jesus postquam cœnavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut a Sanctis Apostolis Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chryisma conficere docuit.* Hujus tamen Sacramenti usus non incipit ante festum Pentecostes, quia non erat conveniens, quod plenitudo Spiritus Sancti ante perfectam Christi glorificationem, quæ in Ascensione est completa, cuique tribueretur. Congruentia hujus institutionis fuit, ex Melchiade Papa apud Trull., quia ad Imperatorem spectat non solum signare militem, quod fit per baptismum, sed etiam armis intruere, quod fit per Confirmationem: Et quia sicut Parens providet pupillo de tutore, ita Deus voluit regeneratis per baptismum dare in Confirmatione Paracletum, qui sit Tutor, Consolator, & Custos.

Demum appellatur hoc Sacramentum *Confirmatio* ab ejus effectu, quia dat robur spirituale ad fidem confirmandam: Dicitur etiam *Chryisma* ab ejus materia: Chryisma enim græce idem est, ac Unguentum, quod in eo adhibetur: Demum dicitur *Impositio manuum* a modo, quo confertur. Examinaimus nunc primo ejus materiam, & formam: Secundo Ministrum, & subiectum, & obligationem ad illud suscipiendum: Tertio effectus, ac ritus in eo servandos.

A R.

ARTICULUS I.

De Materia, & Forma Confirmationis.

- I. Tam oleum, quam Chrisma ab Episcopo benedictum est materia remota hujus Sacramenti.
- II. Ex dispensatione Pontificis potest simplex Sacerdos conferre Confirmationem; quin tamen possit Chrisma nisi a solo Episcopo benedici, ut valide Sacramentum conferatur.
- III. Materia proxima est Unctio Chrismaticis in fronte confirmandi, facta cum pollice a Ministro in forma crucis. Sed quid si fiat cum indice?
- IV. Quid si unctio fiat tempore pestis cum pennicillo, prout tempore pestis conferri potest Extrema unctio cum virga oblonga?
- V. Invocatio explicita Trium divinarum Personarum essentialiter spectat ad formam Confirmationis, ut ad formam Baptismi.
- VI. Gracis non licet uti hac formula, Confirmetur servus Christi, quamvis hujusmodi formula non irritet Sacramentum.
- VII. Apostoli non solius manus impositione, sed etiam unctioe Chrismaticis hoc Sacramentum conferebant.

I. **Q**uæritur primo, quænam sit materia remota hujus Sacramenti?

Respondeo, esse Chrisma, seu unguentum ex oleo, & balsamo, ut definitur a Florentino; in quo dicitur Materia Confirmationis esse *Chrisma confectum ex oleo, (quod nitorem significat conscientia) & balsamo, (quod odorem significat bona fama) per Episcopum benedictum.* Dubitatur solum apud Doctores, Num de essentia hujus Chrismaticis sit oleum simul, & balsamum,

an vero possit valide conferri cum solo oleo? Cajet., Valent., & alii apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 23. putant solum oleum esse de essentia; quia Innoc. III. in cap. *Pastoralis* interrogatus, an deberet iterari hoc Sacramentum in eo, qui per errorem solo oleo erat unctus? Respondit, Non esse iterandum, sed caute supplendum, quod erat prætermisum. Communior tamen sententia docet oppositum; quia Florentinum, ut diximus, docet materiam hujus Sacramenti esse *Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientia, & balsamo, quod odorem significat bona fama per Episcopum benedictum.* Unde utrumque videtur principaliter, & essentialiter requiri: Aliter Concilium diversimode de utroque loquutum fuisset; sicut cum loquitur de materia Calicis dicit esse vinum, cui admiscenda est modicissima aqua; quibus verbis exprimit solum vinum esse de necessitate Sacramenti, aquam vero solum de necessitate præcepti. Quod si quis dicat sufficere solum oleum, quare non posset etiam dici, sufficere solum balsamum? Ad rationem in contrarium respondet Conink, Innocentium III. de duobus fuisse rogatum, An diaconus sine manus impositione ordinatus permittendus sit ministrare? & An deberet iterari Confirmatio in eo, qui solo oleo erat delinitus? Et utrique quaestioni unica responsione satisfacit dicendo, Nihil esse iterandum ex iis, quæ licite facta fuerant; Ex quibus verbis non sequitur non esse eidem dandum Sacramentum Confirmationis; nam (ut bene Glossa ibidem) non dicitur iterari, quod prius factum non fuit. Quare cum re vera non receperit Sacramentum Confirmationis, qui solo oleo fuit unctus, ideo debuit illi tale Sacramentum conferri, quin deberent iterari caeremoniæ Confirmationis, videlicet, *infi-*

unctio alapæ, adhibitio Patrini, &c., quæ jam factæ fuerant. Quod autem solum oleum non sit materia Confirmationis, constat ex hoc ipso textu, in quo distinguitur oleum a Chrismate, cum dicatur quidam fuisse delinitus non Chrismate, sed oleo: quare per Innoc. III. oleum non est Chrisma: ergo cum per Florentinum materia hujus Sacramenti sit Chrisma, bene sequitur, quod oleum, quod non est Chrisma, non sit materia hujus Sacramenti.

Notandum tamen, non requiri, ut singulæ partes olei sint admixtæ Chrismate, sed satis esse, quod tantum balsami admisceatur oleo, ut toti oleo qualitates balsami, præsertim odor, communicentur. Præterea non requiritur, quod balsamum sit perfectissimum, quale est Palæstinum, sed sufficit balsamum Indicum, ut declararunt Paulus III., & Pius IV. apud eundem Coniack: Et falsum est, quod aliqui putant istos Pontifices cum Indis dispensasse, quod Indico balsamo Chrisma conficerent; cum non possit Pontifex in materia Sacramentorum a Christo Domino instituta dispensare.

H. Notandum præterea, quod Chrisma debeat essentialiter ab Episcopo benedici, ut docet Florentinum citatum: An autem possit ex dispensatione Pontificis a simplici sacerdote benedici? Affirmat Valent. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 23. Sed communius negant. Nam Florentinum docens Episcopum esse Ministrum ordinarium hujus Sacramenti addit, *Legitur tamen aliquando per Apostolica sedis dispensationem ex rationabili, & urgenti admodum causa simplicem sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Quibus verbis docet, ex dispensatione Pontificis posse hoc Sacramentum a simplici sacerdote administrari; sed Chrisma a solo Episco-

po debere benedici.

Neque dicas: Potest simplici sacerdoti Pontifex committere collationem hujus Sacramenti, quæ est quid majus: ergo a fortiori benedictionem Chrismatis, quæ est quid minus. Nam in iis, quæ pendent a libera voluntate alterius, & ab institutione Christi Domini, non tenet argumentum hoc a majori ad minus. Sic potest Sacerdos, ut Minister ordinarius, conficere corpus Christi, & ministrare Eucharistiam, quod est quid majus, non potest tamen, ut Minister ordinarius, conferre Confirmationem, & benedicere Chrisma, quod est quid minus.

III. Quæritur secundo, Quanam sit Sacramenti hujus materia proxima?

Respondeo, esse unctionem Chrismatis in formam Crucis factam in fronte confirmandi cum pollice Ministri. Ita communiter; & colligitur ex usu Ecclesiæ. Verum, si unctio fiat non pollice, sed indice verbi gratia, non irritatur Sacramentum. Immo Nungus, & Dian. part. 3. tract. 4. resol. 22. contra Zambran. & Laym. docent, quod nec peccaret mortaliter Episcopus, si indice unxerit aliquem, quia videtur parva mutatio.

IV. Majus dubium est, An unctio essentialiter fieri debeat immediate manu Episcopi, ita ut sit irritum Sacramentum, si tempore pestis fiat, verbi gratia, baculo, pennicillo, &c. ? Heredia de Confirm. diff. 5. punct. 5. cum Dian. loc. cit. resol. 28. docet esse validum Sacramentum Confirmationis sic collatum, Sicut valide sic confertur extrema unctio: Et ratio est, quia quamvis Confirmatio dari debeat per manus impositionem, unctio tamen facta per pennicillum dicitur moraliter facta esse per manus impositionem; Sicuti si quis clericum percutit baculo, dicitur illi violentas manus injicere; Et unctio, quæ fieri solet solo pollice Episcopi, adhuc di-

ci.

citur manus impositio. Verum communiter cum Laym. lib. 5. tract. 3. cap. 2. Suar., Coninch docent, esse irritum; quia impositio manuum facta per penicillum non est vera, & proprie dicta manuum impositio; usus autem Ecclesiae pro conjectura esse debet, quod requiratur vera, & propria manuum impositio; cum neque auctoritas, neque ratio ulla suadeat posse valide fieri per manus impositionem improprie dictam: Contra vero usus Ecclesiae ostendit unctionem factam per solum pollicem dici vere manus impositionem, prout requiritur ad hoc Sacramentum; & sensus communis Doctorum docet, esse, veram manuum injectionem in clericum, si quis illum percutiat baculo, vel lapide.

V. Quæres tertio, quænam sit forma hujus Sacramenti.

Respondeo, ex Florentino esse istam, *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*: ita ut non solum invocatio explicita Trinitatis per nomina relativa sit de essentia, ut in baptismo, cujus est complementum Confirmatio, ut docent communiter cum D. Th., Suar., & aliis; sed etiam omnia verba enumerata; ut proinde invalide conferatur, si omitteretur aut *ly salutis*, aut *ly signo Crucis*, aut si non geminetur *ly signo, & confirmo*: Quamvis valide conferatur per verba synonyma, verbi gratia, *consigno signaculo Crucis, & corrobore te unguento, vel oleo Sanctificationis*.

VI. Græcis concessum est, ut baptizent illa formula, *Baptizetur servus Christi*, non tamen est concessum, ut confirmet hac formula, *Confirmetur servus Christi*, ut communiter docent apud Dian. loco citat. resol. 27., & Bonac.; proinde ea est illicita. Suar. tamen sect. 5., Henr. lib. 3. cap. 5., Reginald., & alii apud Bonac. pu-

tant, valide hoc Sacramentum conferri non solum sub illa formula, *Confirmetur servus Christi*, sed etiam hac, *Confirmet te Deus*: sicut valide, quamvis illicite, latinus baptizaret sub hac formula, *Baptizetur servus Christi, seu baptizet te Christus*, ut est communis sententia Doctorum contra quosdam Canonistas apud Coninch quaest. 66. num. 35., quia materia, & forma essentialia sacramentorum sunt eadem per totam Ecclesiam; quæ licet possit prohibere, ne quis aliqua forma utatur, non potest tamen efficere, ut invalide ea utatur; unde peccat tantum mortaliter latinus, qui baptizat forma Græcorum, non tamen invalide baptizat; sicut peccat latinus, qui consecrat in fermentato, sed valide consecrat. Formula, qua Græci utuntur ad conferendum hoc Sacramentum, ut notat Arcudius lib. 2. cap. 6. apud Platel. sunt hæc tantum verba: *Signaculum donationis Spiritus Sancti*. Quod autem re vera talis sit forma Græcorum, & proinde quod ea non sit invalida, (utpote a Pontificibus, & Conciliis non reprobata, ut refert idem Platel., & Amic. disp. 13. num. 76.) mihi valde dubium est: Si enim id verum esset, non esset de necessitate Sacramenti, sed solum esset de necessitate præcepti invocatio explicita Trinitatis. Quamvis enim diversis materiis, ac diversis formis utantur Ecclesia Latina, & Græca in collatione Sacramentorum; conveniunt tamen in iis omnibus, quæ sunt de necessitate Sacramenti. Quod si verum haberet, eam esse formam apud Græcos a Pontificibus approbatam, dicendum esset cum eodem Platel. contra communiorum sententiam, quod non spectet ad validitatem Sacramenti Trinitatis invocatio; sicut ea non spectat ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, licet spectet ad valorem Baptismi.

VII. Quæritur quarto, An Apostoli hoc

hoc Sacramentum contulerint per solam manuum impositionem sine ulla unctioe?

Respondeo, aliquos asserere, quod fecerint id Apostoli ex speciali dispensatione; quia nunquam in Scriptura fit mentio unctiois, sed solius manuum impositionis. At verius cum Suar. disp. 33. lib. 4. negandum, quia hoc vocabulum *Manus impositio* idem sonat, ac totum Sacramentum confirmationis, quod fit per unctioem, & verba; sicut nomen *Baptismus* significat totum Sacramentum, quod fit non per solam ablutionem, quæ de se emundationem significat, sed etiam per verba; sæpe enim nomen desumitur a parte, licet significet totum: Superius autem diximus ex Fabiano Papa, quod Christus Dominus in ultima cæna docuerit Apostolos consecrationem Chrismatis: ergo dicendum, quod unctioe Chrismatis hoc Sacramentum contulerint.

Dices: In Florentino habetur, quod in Ecclesia loco manus impositionis, quam adhibebant Apostoli, successerit Confirmatio, hoc est Chrismatis unctio: ergo Apostoli non per Chrisma, sed per manus impositionem hoc Sacramentum conferebant ex speciali dispensatione.

Respondet tamen Suar. loco cit., per ea verba Concilii non significati diversos ritus substantiales, aut diversa Sacramenta, sed solum, quod nunc significetur nomine Confirmationis id, quod prius significabatur nomine Impositionis manus: Sicut dicimus, in Ecclesia loco Apostolorum successisse Episcopos, cum eadem scilicet potestate Ordinis, quamvis Apostoli in iurisdictione, & aliis gratiis miraculorum fuerint longe superiores Episcopis: ita manuum impositioni successit Confirmatio cum eadem excellentia, & ritu essentiali, quamvis in quibusdam effectibus, &

gratiis majorem excellentiam haberit manuum impositio facta ab Apostolis, per quam sæpe solebat visibiliter etiam Spiritus Sanctus descendere in Confirmatos: Quare dici bene potest, quod unum alteri successerit, non solum propter nominis diversitatem, sed etiam propter diversitatem accidentalem explicatam.

ARTICULUS II.

De Ministro, & Subjecto Confirmationis.

- I. *Episcopus Minister ordinarius huius Sacramenti nequit simplici Sacerdoti facultatem tribuere, ut illud administret; sicut potest solus Pontifex ex plenitudine potestatis.*
- II. *Nequit Episcopus licite alienos subditos sine ratihabitione proprii Episcopi confirmare; Nec in aliena diœcesi confirmare subditos suos, cum nequeat Pontificalia exercere sine licentia proprii Episcopi sub pena suspensionis.*
- III. *Potest tamen primam Tonsuram conferre, dare benedictionem solemnem, & Missam Pontificalem canere; cum hæc non veniant nomine Pontificalium.*
- IV. *Omnes Baptizati sunt capaces huius Sacramenti; sed non expedit illud conferre pueris ante usum rationis.*
- V. *Perpetuo amentibus conferendum est; dummodo non constet in amentiam illos incidisse in statu peccati mortalis.*
- VI. *Num peccet mortaliter, qui negligit hoc Sacramentum recipere?*

I. **Q**Uæritur primo, Quinam sit Minister Confirmationis?
Respondeo, solum Episcopum consecratum, seu habentem characterem epi-

episcopalem esse ministrum ordinarium hujus Sacramenti, ut est de fide ex Trident. sess. 7. simplicem vero Sacerdotem posse illud ministrare ex dispensatione solius Pontificis: Florent. enim aperte testatur, facultatem hanc aliquando simplici Sacerdoti concessam; Unde invalide ab alio ministraretur, quia contra institutionem Christi Domini.

Rogabis: An possit etiam ab Episcopo hæc facultas simplici Sacerdoti communicari; cum videatur Episcopus posse in sua diœcesi, quod potest Pontifex pro toto orbe?

Respondeo cum D. Th. quæst. 72. art. 1., & aliis fere communiter negative; quia in Sacramentis id solum affirmari potest, quod habetur ex Scripturis, Conciliis, Traditione, aut usu: Ex his autem non habetur, quod possit Episcopus hanc facultatem alteri communicare; sicut habetur, quod possit Pontifex; idque ex plenitudine potestatis, quam habet in Ecclesia: Falsum autem est, quod possit Episcopus in sua diœcesi, quod potest Pontifex pro toto orbe; quis enim dixerit, quod possit Episcopus Indulgentias impertiri, censuras instituire, &c. quas Pontifex potest?

II. Rogabis secundo, an possit Episcopus alienos subditos confirmare in sua diœcesi?

Respondeo negative, sicut nec potest Parochus baptizare pueros alterius parœciæ: Quamvis enim valide conferatur talis confirmatio, sicut etiam Sacramentum Ordinis, & Baptismus; (ad quæ non requiritur essentialiter jurisdictio, sicut requiritur in Sacramento Pœnitentiæ) At peccaret Episcopus mortaliter, & esset suspensus, si alienum subditum confirmaret sine licentia proprii Episcopi, ut Ledes., & Bonac. docent. Notat tamen Dian. part. 1., tract. 17. resol. 17., quod ordinariæ præsumatur id ratum,

& gratum fore proprio Episcopo, & ideo nullatenus peccaret; esset tamen mortale, seclusa tali ratihabitione, de qua multi apud Bonac. dicunt non constare: Qui tamen habet literas dimissoriales proprii Episcopi, ut ab alio ordinetur, implicite habet, ut ab illo Episcopo etiam confirmetur. Nec potest Episcopus licite subditos suos in aliena diœcesi confirmare sine licentia proprii Episcopi, ex Trident. sess. 6. cap. 5., Ubi cavetur, sub pœna suspensionis ipso facto, ne Episcopus pontificalia exerceat in aliena diœcesi, absque expressa Ordinarii licentia, & in personas alteri Ordinario subjectas; Confirmatio autem conferri non potest sine pontificalibus.

III. Advertit tamen Bonac. apud Henr., quod possit Episcopus in aliena diœcesi conferre proprio subdito primam Tonsuram, dare benedictionem solemnem, & canere missam pontificalem absque Ordinarii licentia; quia prima tonsura conferri potest domi sine pontificalibus, & benedictio, ac missa solemnis non videntur comprehendi nomine pontificalium, de quibus est sermo in Trident. sess. 6. cap. 5.: ibi enim sermo videtur esse de usu pontificalium cum aliquo exercitio episcopali, puta chrismandi, ordinandi, &c., ut notat Tambur. de Jure Abbat. tom. 1. disp. 15. qu. 14. Verum Gavantus negat, posse Episcopum in aliena diœcesi in pontificalibus celebrare absque licentia Ordinarii loci; quia hæc est ubique consuetudo, quæ legem Tridentini videtur interpretata fuisse. Pariter Dian. part. 4. tract. 4. resol. 143. adhæret opinioni Gavanti; sed pro priori sententia laudat Laym. Alzeb., & alios permittentes Episcopis, quod cum Baculo & Mitra celebrent Missam Pontificalem in aliena diœcesi, absque proprii Ordinarii facultate. Demum Nungus

gnus putat esse mortale confirmare extra Ecclesiam; sicut est mortale solemniter extra Ecclesiam baptizare; cum fiat contra Ecclesiam universalem consuetudinem in re gravi: Conink tamen, & alii apud Dian. part. 1. tract. 17. resol. 17. negant esse mortale, quia talis consuetudo non videtur cum tanto onere esse recepta.

IV. Quæritur secundo, cuinam conferri possit, aut debeat hoc Sacramentum?

Respondeo, omnem, & solum baptizatum esse hujus Sacramenti capacem; non expedit tamen confirmare pueros ante usum rationis, ut habetur in Catechismo Romano part. 2. cap. 3., tum ut dignius illud recipiant; tum ut recordentur se illud recepisse, ne iterum recipiant; (propter quod iis alapa impingitur a confirmante; sicut etiam ut intelligant debere se injurias pati pro fide constanda) tum demum quia sic usu receptum est; Et quamvis in principio Ecclesie ante usum rationis hoc Sacramentum conferretur, sicut etiam Sacramentum Eucharistie, ut docet D. Dionysius cap. 2. de Ecclesiastica Hierarch. talis tamen consuetudo tunc temporis fuit laudanda, tum propter persecutiones Ecclesie, in quibus etiam pueris pugnandum erat; tum propter paucitatem Episcoporum, qui non semper habebantur in promptu, ut hoc Sacramentum conferrent: Nunc vero id non expedit, nisi forte infans esset in periculo mortis. Notat tamen Dian. part. 3. tract. 4. resol. 19. non esse mortale confirmare infantem sine iusta causa ante septennium, seu ante usum rationis; Ecclesie enim consuetudo hac in re non videtur sub mortali obligare: tum quia omnes Doctores solum dicunt id esse indecens; tum quia ad hoc Sacramentum nulla præcedere debet dispositio necessaria. Immo Suar. disp.

Pars V.

38. sect. 1. Con. quæst. 72. art. 8. apud Trull. contra nonnullos docet, nec esse mortale contra consuetudinem Ecclesie primam Tonsuram, vel Ordines ante Confirmationem recipere; neque ex verbis Trident. sess. 15. cap. 4. hanc obligationem gravem colligi. Nec est mortale a non jejuno suscipi; quamvis in Pontificali dicatur, ut conferatur jejunis. Immo nec veniale id erit, ubi consuetudo est conferendi hoc Sacramentum a prandio publice.

V. Ex dictis sequitur, perpetuo amentes esse confirmandos, ut communiter docent contra Valent. & Sotum apud Dian. part. 3. tract. 7. resol. 20., & a fortiori eos, qui post usum rationis inciderunt in amentiam, dummodo non constet in amentiam incidisse, dum erant in statu peccati mortalis. Ratio est, quia licet amentes non sint apti ad pugnam, sunt tamen apti, ut armentur ad pugnam, & ut consignentur per characterem in milites Christi, & gratiam habitualementem recipiant, ratione cujus habeant parata auxilia pro tempore ad pugnam opportuno. Quamvis autem qui post usum rationis in amentiam inciderunt, non sint baptizandi, nisi aliquo modo baptismum petierint: si tamen sint baptizati, sunt confirmandi, licet non petierint confirmationem. Ratio disparitatis est, quia ad hoc Sacramentum recipiendum sufficit interpretativa voluntas, quam quilibet habet circa beneficia suæ salutis, ut notat Dian. loc. citat. Contra vero, ut quis novum statum per baptismum recipiat, debet expresse illud petiisse, & voluntatem non retractasse.

VI. Quæres tertio, quanta sit obligatio suscipiendi hoc Sacramentum.

Respondeo cum communi apud Dian. loc. cit. resol. 25. non esse mortale illud nolle suscipere, præciso con-

F *tem.*

temptu, & scandalo. Immo ex Trull.; & Henr. contra Nav. apud Conink, ne veniale quidem, cum nullibi extet præceptum de illo suscipiendo: Si enim tale præceptum extaret, Ecclesia cogeret omnes ad illud suscipiendum; sicut cogit ad confessionem, & communionem annuam; & sicut punit parentes, qui diu baptismum pueri differunt. Putant tamen Tolet., Sylv., Bonac., Palud., & alii apud eundem Dian. quod notabilis negligentia in hac re censeatur contemptus. Sed Nav., Victor., Laym. id negant; multa enim facere intermitimus animæ nostræ admodum salubria, quia putamus illa non esse necessaria ad salutem, quin proinde ea contemnamus: Verbi gratia, sine contemptu omittimus in magna solemnitate communionem, vel lucrari multas indulgentias ex notabili negligentia, & tædio, quas commode possemus. Peccaret tamen mortaliter Episcopus, si negligens esset in conferendo Confirmationem, quia hoc illi competit ex officio; sicut competit Parocho alia Sacramenta administrare. Denique Durand. apud Con. putat, teneri sub mortali Confirmationem recipere, qui fidem coram tyranno confessurus sit, ne se exponat periculo proximo negandi fidem. Sed communius etiam id negant, quia cum hoc Sacramentum detur ad plenitudinem, non ad necessitatem gratiæ, sine illo non habetur periculum proximum negandi fidem.

ARTICULUS ULTIMUS

De Effectibus, & Ritibus hujus Sacramenti.

I. Præter characterem, qui est effectus secundarius, confertur primario gratia augmentum, & quidem major, quam in Baptismo, cum jure ad divina auxilia.

II. Inter ritus, & caremonias servandas est Alape inflicio, Patrinus, qui sit confirmatus, & sub mortali adhibendus; & quod vitæ ligetur caput Confirmati.

I. Quæritur primo, quinam sint hujus Sacramenti effectus?

Respondeo ex Trident. sess. 7. can. 2., primarium effectum esse gratiæ habitualis augmentum, cum jure ad divina auxilia, quibus Confirmatus intrepide, audacter, & constanter fidem profiteatur. Dubium tamen est, an per confirmationem major gratia conferatur, quam per baptismum. Communius cum D. Th. quæst. 65. art. 3. affirmant, tum quia Confirmatio est perfectius Sacramentum, in quo datur plenitudo gratiæ, quamvis baptismus sit magis necessarius; tum etiam quia baptismus est Sacramentum infantium, & eorum, qui regenerantur; Confirmatio est adultorum, seu eorum, qui crescunt, & qui ducuntur ad perfectam ætatem; generatio autem dat minorem quantitatem infanti, quam augmentatio, qua quis ad perfectam ætatem perducitur. Unde fit, per hoc Sacramentum non conferri primam gratiam, sed esse Sacramentum vivorum; cum datum sit ad augmentum, & consummationem spiritualis vitæ; proinde qui illud suscipit, debet esse in gratia. Probabiliter potest per accidens aliquando primam gratiam causare, si scilicet peccator accedat ad illud cum attritione, bona fide credens se esse contritum; quo casu non ponit obiectionem præmittere, qui est in statu peccati mortalis, quin teneatur sub mortali præmittere confessionem; cum hoc in solo Eucharistiæ Sacramento prærequiratur: Quamvis autem in cap. de consecr. dist. 5. dicatur, quod hoc Sacramentum jejunis, præmissa con-

feffione, conferatur; id tamen non est præceptum, ut communiter docent. Adverte demum circa remissionem pœnæ, quod per baptismum totaliter ea remittatur, quia per illum homo renascitur; non tamen per confirmationem.

Secundus effectus minus principalis Confirmationis est Character: proinde hoc Sacramentum est irreiterabile. Tertius effectus est Cognatio spiritualis, seu affinitas inter confirmatum, & patrinum eo modo, quo diximus de Bapt.

II. Quæritur ultimo, quinam sint ritus servandi in administratione hujus Sacramenti?

Respondeo esse eos, qui habentur in Manuali Episcoporum: Præcipuæ tamen cæremoniæ sunt; Primo, alapa, quæ impingitur, tum ut ille recorderetur se esse confirmatum, tum ut intelligat debere injurias sustinere pro fide confitenda: omissio tamen alapæ non est mortale, quia non videtur res gravis: Secundo, Patrinus, cujus omissio est mortalis, cum sit res gravis: est enim cæremonia antiquissima ad significandum tyronem il-

lum esse in spirituali militia, & indigere alterius consilio; quamvis Patrinus confirmationis non teneatur instruere, quem suscepit; cum nullo jure id præcipiatur, sed adhibetur ad ornatum. Solum in necessitate potest esse idem Patrinus in Confirmatione, qui fuit in baptismo; & frater fratrem suscipere, ut notat Sà, & Trull. in cap. *In catechismo* de consecr. dist. 4. Debet Patrinus Confirmationis esse confirmatus; aliter cognationem spirituales non contraheret, ut multi docent contra Sà, Rodr., & alios apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 26.: Unde peccaret graviter, si non confirmatus exerceret munus Patrini, eo quod irritam redderet hanc cæremoniam solemnem. Tertio, quod caput confirmati vitta ligetur; tum ob reverentiam Chrismatis, ne statim deturatur, & aliis rebus misceatur; tum ut significetur, gratiam Confirmationis esse conservandam: ferenda autem est vitta, quamdiu habet consuetudo in singulis locis. Demum nullus certus locus administrationi Confirmationis assignatur; omnino tamen convenit, ut id in Ecclesia fiat.

QUÆSTIO IV.

De Eucharistia ut Sacramento.

INnumeri Auctores fusissime, sed nunquam satis de præstantissimo hoc Sacramento disserunt. Nos, missis iis, quæ in Scholastica Theologia disputavimus, paucis hic expediemus, quæ ad praxim spectant. Cum autem Eucharistia & sit Sacramentum, quatenus corpus Christi Domini in ea contentum est cibus spiritualis animæ ordinatus ad ejus refectionem, & nutritionem; & simul sit Sacrificium, quatenus idem corpus Christi sub speciebus panis, & vini offertur Deo omnipotenti in remissionem peccatorum, & remedium humanæ infirmitatis, de Eucharistia in quantum est Sacrificium agemus quæstione insequenti; Hic solum de Eucharistia agimus, prout est Sacramentum, quod a D. Dionys. dicitur *Consummatio omnium Sacramentorum*, tum quia vitam gratiæ in baptismo, & confirmatione receptam munit, & consummat; tum quia fontem ipsum gratiæ in se continet. Primo autem quære-

F 2 mus

mus ejus Essentiam, Unitatem, & Institutionem: Secundo necessitatem, & obligationem illud sumendi: Tertio materiam: Quarto formam: Quinto effectus: Sexto subjectum: Septimo dispositionem ex parte animi requisitam: Octavo dispositionem ex parte corporis: Nono de tempore, loco, & aliis ad Eucharistiam spectantibus: Ultimo de Ministro.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit, & quando institutum Eucharistiæ Sacramentum?

- I. Variis nominibus a SS. Patribus hoc Sacramentum appellatur
- II. Variisque figuris in lege veteri fuit adumbratum.
- III. Ex hujus Sacramenti definitione sequitur, quod constituatur ex corpore, & sanguine Christi Domini, ex speciebus Sacramentalibus, atque etiam ex verbis consecratoris.
- IV. Non tamen ex sumptione, seu usu.
- V. Eucharistia dumtaxat est Sacramentum permanens, quatenus ejus materia proxima permanet physice, & verba moraliter.
- VI. Non est multiplex hoc Sacramentum, sed unum specie atoma.
- VII. Multiplicitas numerica hujus Sacramenti unde desumatur? Et an a pluribus particulis simul sumptis gratia uberior causetur?
- VIII. Quando, & quomodo Christus hoc Sacramentum instituerit?
- IX. Et quem ad finem?

I. **U**T præstantiam tanti Sacramenti explicarent Patres, & Doctores, innumeris illud nominibus appellarunt: Dicitur enim Primo *Eucharistia* græce, quod latine sonat Bona gratia, tum quia continet Christum plenum gratiæ, & veritatis; tum etiam quia in gratiarum actionem consecratur; tum demum quia uberrimam gratiam confert: Se-

cundo dicitur *Sacra Synaxis*, hoc est Collecta societas; quia fideles per hoc Sacramentum, tamquam unius corporis membra cum Christo capite uniuntur. Dicitur *Sacrum Viaticum infirmorum*, quia viam parat ad gloriam, juxta illud Psal. 49. *Sacrificium laudis* (hoc est Eucharistia) *honorificabit me, & illic ier, quo ostendam illi salutare Dei*: Appellatur *Sacramentum corporis, & sanguinis Domini, Primum, & Sacrosanctum mysterium, Consummatio Sacramentorum, Panis vita, Esca spiritualis, Cæna Domini, Pharmacum immortalitatis, Gloria Dei, & aliis nominibus apud Suar. part. 3. quæst. 73. art. 4., & Filiuc. unde merito nuncupari solet Sanctissimum, Augustissimum, Venerabile Sacramentum.*

II. Fuit etiam variis figuris in lege veteri adumbratum: Primo per Agnum paschalem, qui Christum, ut hostiam, & ut cibum significabat: Secundo per Panes propositionis, & præsertim per oblationem panis, & vini factam a Melchisedech: Tertio per Sacrificia, expiationes, & holocausta illius legis: Quarto per Manna, quod pluit de Cælo peregrinantibus in deserto, quod omne delectamentum in se habebat: Quinto per Panem Eliæ, qui tantum robur dedit comedenti: Sexto per Panem hordeaceum, qui evertit castra Madian, ut videre est apud eundem Suar., & D. Th. quæst. 73. art. 6.

III. Quæritur nunc primo, quid sit Eucharistia, & in quibus consistat?

Respondeo, esse Sacramentum, quod sub speciebus panis, & vini vi consecrationis continet corpus, & sangu-

guinem Christi Domini ad nutritionem vitæ spiritualis datæ per baptismum. Hæc definitio colligitur ex Trident. sess. 13. cap. 2., & est adæquata per genus, & differentiam; nam genus est ratio Sacramenti, quæ est communis omnibus; differentia vero sunt ea, quæ sequuntur, per quæ a reliquis Sacramentis differt.

Ex quibus sequitur primo ex D. Th., Con., Bonac., Trull., Corpus Christi Domini constituere Eucharistiam. Probat: hoc Sacramentum est cibus animæ, non ratione specierum, sed ratione corporis Christi, ut habetur Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est: Caro mea vere est cibus*, &c.; & ideo Trident. sess. 13. cap. 5. docet, huic Sacramento deberi cultum latriæ.

Neque dicas, Corpus Christi significari a speciebus: ergo non constituit hoc Sacramentum: sicut ablutio interna, seu emundatio ab originali, quæ significatur in baptismo, non constituit baptismum. Nam potest aliquid significari, & simul constituere Sacramentum, ut dolor in Sacramento Pœnitentiæ, qui significatur a Confessione. Cæterum sicut in aliis Sacramentis datur Sacramentum tantum, res tantum, & Sacramentum simul, & res, prout explicavimus quæst. 1. art. 6. num. 5.: ita in hoc Sacramento species panis dicuntur Sacramentum tantum, quatenus solum significant Christum sub iis contentum per modum cibi, & non significantur; Gratia dicitur res tantum hujus Sacramenti, quia solum significatur, non significat; Corpus Christi dicitur res simul reſectiva animæ, & Sacramentum, quia significat gratiam reſectivam, & significatur a speciebus.

Sequitur secundo, Eucharistiam constitui etiam a speciebus panis, & vini. Probat: quia Sacramentum debet esse signum sensibile; solæ autem

Pars V.

species sunt sensibiles in hoc Sacramento: ergo debet constitui etiam a speciebus. Adde, Corpus Christi contineri in hoc Sacramento ex Trident.; nihil autem in se ipso continetur: ergo species sunt Sacramentum, in quo Christus continetur sensibiliter, & demonstrabiliter; atque adeo species constituunt Sacramentum.

Sequitur tertio contra Sot., & Con. Verba consecratoria esse partem essentiali hujus Sacramenti, & non merum requisitum, aut causam extrinsecam. Ratio est, quia quodlibet Sacramentum constat rebus & verbis, quæ significant effectum spirituale ab iis causatum: ergo etiam Eucharistia. Adde, Eucharistiam in fieri constare ex verbis consecrationis, ut patet; (quia non minus verba, quam species panis, & vini significant Christum Dominum, ut cibum nutritivum animæ) ergo etiam in facto esse: nam eadem sunt constitutiva Sacramenti in fieri, & in facto esse; aliter non esset idem Sacramentum, quod fit, & quod perseverat.

Neque dicas, transactis verbis perseverare integrum Sacramentum: ergo non constituitur verbis in facto esse. Nam verba perseverant moraliter, quoties Sacramentum perseverat; sicut quando confertur absolutio, perseverat moraliter confessio, quæ constituit Sacramentum Pœnitentiæ; & consensus unius conjugis sæpe perseverat tantum moraliter, quando per adventum alterius consensus constituitur Sacramentum Matrimonii. Dicuntur autem moraliter perseverare verba consecratoria, quatenus adhuc perseverat eorum significatio, & exigentia corporis Christi sub illis speciebus ad nutriendam animam; sicut etiam quatenus illæ causant moraliter gratiam in suscipiente Eucharistiam.

IV. Sequitur quarto, sumptionem, seu usum, non constituere hoc Sacra-

F 3

men-

mentum, ut communiter docent contra Aureol. Probatur; quia ex Tridentina consecratione habetur in hoc Sacramento Christus Dominus: ergo ex Tridentina ante susceptionem habetur constitutum Sacramentum; atque adeo sumptio est solum requisitum, seu applicatio virtutis activæ, ut hoc Sacramentum gratiam causet: Aliter ante sumptionem non deberet adorari.

Dices: Sacramentum consistit in eo, quod Christus Dominus instituit, & fieri præcepit: atqui non solum instituit, & fieri præcepit consecrationem, sed etiam susceptionem: ergo consistit etiam in susceptione.

Confirmatur, quia Sacramentum est signum sensibile significans practice gratiam ex promissione Christi: atqui non solum consecratio, sed etiam sumptio est huiusmodi: Christus enim Dominus promisit gratiam manducanti: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: ergo sumptio constituit Sacramentum. Quamvis autem ante sumptionem habeatur constitutum Sacramentum, poterit saltem dici, quod sumptio sit pars integralis; sicut est satisfactio in Sacramento Pœnitentiæ.

Respondeo, nego majorem: non enim omnia, quæ Christus præcepit fieri relate ad Eucharistiam, sunt partes Sacramenti: Sicut enim in baptismo dixit: *Euntes docete omnes, baptizantes eos*: & tamen doctrina non est pars Sacramenti: ita quamvis dixerit: *Accipite, & manducate*, non per hoc usus Eucharistiæ erit pars Sacramenti.

Ad confirmationem nego sumptionem esse signum practicum gratiæ, seu habere vim causativam gratiæ, cum id non habeatur neque ex Scripturis, neque ex Conciliis, neque ex Patribus. Verum quidem est, quod posita sumptione causetur gratia, sed falsum est, quod vis causativa gratiæ sit in ipsa sumptione: hæc

enim solum est applicatio virtutis activæ, quæ est in ipso Sacramento. Quare quando dicitur, *Qui manducat meam carnem habet vitam æternam, ly manducare* ponitur ut conditio, non ut vis vivificandis; sicut cum dicitur, *Qui accedit ad ignem, calefit*, accessus ponitur ut conditio, non ut vis calefactiva, quæ est in solo igne: Neque potest dici, quod manducatio sit solum pars integralis; Primo, quia in hac re nihil affirmandum sine autoritate; cum totum pendeat unice ab Institutione Christi Domini, quæ nobis solum per Scripturas, Concilia, & sensum Ecclesiæ innotescit: Secundo, quia si esset pars Sacramenti, esset pars essentialis, & non integralis; Siquidem essentialiter requiritur manducatio, ut Eucharistiæ causet gratiam; Contra vero, ut causetur gratia in Sacramento Pœnitentiæ, non requiritur satisfactio; & ideo satisfactio potest esse pars tantum integralis, non essentialis.

V. Sequitur ultimo, distingui hoc Sacramentum a reliquis, non solum quia habet constitutiva, & effectus diversos, sed etiam quia materia proxima hujus Sacramenti est quid permanens; sicut etiam ipsa forma permanet moraliter, quousque permanet Christi corpus sub speciebus ab ipsa forma causatum: non secus ac moraliter permanet electio Pontificis, verbi gratia, vivente Pontifice: Et ideo dicitur esse Sacramentum permanens, quia ante usum est perfectum; reliqua vero Sacramenta consistunt in solo usu, & solum dum fiunt, recipiuntur: Præterea materia reliquorum Sacramentorum est solum quid sensibile; hujus vero Sacramenti materia est, præter species panis sensibiles, etiam corpus Christi Domini, quod per species panis fit demonstrabile, dicendo, *Hoc est corpus Christi*.

VI. Quæ:

VI. Queritur secundo, Utrum hoc Sacramentum debeat dici unum, an multiplex specie?

Respondeo, debere dici unum specie atoma, seu infima; nam licet panis, & vinum specie differant; quia tamen in hoc Sacramento utrumque ordinatur ad eundem finem specificum, videlicet ad refectioem animæ per modum convivii, quod ex pane, & vino integratur, ideo est unum specie: Non secus ac Sacramentum Ordinis dicitur unum, quamvis a Subdiaconatu, Diaconatu, Presbyteratu integretur; quia omnia ad eundem finem ordinantur. Illud tamen est discrimen inter Sacramentum Ordinis, & Eucharistiæ, quod qui recipit, verbi gratia, diaconatum, non recipit gratiam illam, quæ est propria Presbyteratus: Contra vero qui solas species panis manducat, eandem specie gratiam recipit, ac qui manducat simul, & bibit, etiamsi verum esset, quod majorem extensive gratiam recipiat, qui sub utraque specie communicat; sicuti eandem specie gratiam recipit, qui semel communicat, ac qui bis, quamvis majorem extensive gratiam recipiat, qui communicat bis: Nam per species solius panis solum representatio convivii est partialis, & inadequata; gratia tamen refectiva ex institutione Christi Domini est omnino ejusdem rationis, quæ confertur a solis speciebus panis & quæ a solis speciebus vini, & consequenter quæ ab utrisque: Quicquid sit, utrum gratia Sacramentalis, seu auxilia, quæ conferuntur manducantibus hostiam, differant a gratia Sacramentali, seu ab auxiliis, quæ conferuntur bibentibus calicem, juxta illud Psal. 103. *Vinum letificat cor hominis, & panis cor hominis confirmat*; Quod Scholastici discutunt, & nos in Cursu Theologico disp. 4. qu. 8. de Eucharistia agentes partem affirmantem probabiliter

sustinuimus: & in calce articuli quinti hujus quæstionis fusius id prosequemur.

VII. Queritur tertio, Undenam desumatur multiplicitas numerica hujus Sacramenti?

Respondeo, desumi a multiplicitate specierum, non physica, sed morali; Quare plures hostiæ in eadem pyxide dicuntur esse unum Sacramentum; & sacerdos, qui sumit in missa hostiam in tres partes divisam, non dicitur sumere tria Sacramenta, sed unum; quia illæ tres partes, licet sint physice divisæ, sunt tamen moraliter unum, eo quod faciunt unum cibum; & e converso, si eadem hostia divisæ in tres partes a tribus manducatur, dicuntur esse tria Sacramenta, quia per triplicem illam manducationem fit moraliter triplex, hoc est triplex cibus. Ex quo sequitur, quod non majorem gratiam recipiat, qui recipit simul plures particulas, quam qui unam tantum; nam moraliter est unus cibus, tam si una, quam si centum particula simul sumantur; Quamvis per hoc, quod Christus Dominus magis sit in stomacho illius, qui recipit plures particulas, possit majorem successive gratiam causare ex opere operato, si vera est illa opinio Suar. disp. 63. sect. 4. & 5. Con. quæst. 79. ar. 1. dub. 2. & Bonac. disp. 4. quæst. 4. punct. 2. quod Christus Dominus in stomacho existens tamdiu gratiam causet ex opere operato, quamdiu ad illam se disponit per actus meritorios, qui communicavit. Sicut autem non recipit majorem gratiam, qui plures particulas simul sumit, vel majorem hostiam; ita juxta sententiam D. Th. quæst. 80. art. 12. ad 3. contra Palaum, Vasq. Lugo disp. 12. sect. 3. & alios, nec majorem gratiam sumit, qui sub utraque specie communicat, ac qui sub una tantum; quia uterque

unum Sacramentum recipit per hoc, quod semel reficiatur.

Illud tamen est discrimen inter duas particulas simul sumptas, & inter species panis, & vini sumptas in eadem Missa; quod duæ illæ particulae dicuntur ita esse unum Sacramentum, ut non dicantur esse duo Sacramenta partialia. Contra vero species panis, & vini in eadem missa sumptæ dicuntur esse unum Sacramentum compositum ex duobus Sacramentis partialibus; quia cum diversimode significant refectionem spiritualem species panis, & species vini, (illæ scilicet per modum cibi, istæ per modum potus) ideo habent non solum distinctionem physicam, sicut habent duæ particulae, sed etiam quandam diversitatem moralem, qua possint dici duo Sacramenta non quidem totalia, (cum per modum unius sumantur, ac in eodem convivio) sed partialia.

Sequitur demum ex dictis, quod qui sub una tantum specie communicat, integram sumit refectionem, quamvis non integre representatam: & in hoc sensu dici potest, quod non sumat integrum Sacramentum, quatenus non sumit species omnes hoc Sacramentum integrantes, quæ representant refectionem animæ per modum Convivi, quod ex cibo; & potu integratur; esto integrum sacramentum sumat relate ad refectionem animæ, seu gratiam ab hoc Sacramento causatam.

VIII. Quæritur quarto, quando, & quomodo fuerit Eucharistia instituta?

Respondeo, de fide esse, quod instituta fuerit a Christo Domino, in qua nocte tradebatur, hoc est decima quarta die Lunæ vicinioris æquinoctio verno die Jovis, quando juxta legem Moysis comedendus erat agnus paschalis. Tunc enim, ut notat Henr. lib. 8. cap. 58., & fuse Con-

disp. 74. art. 4. post cenam legalem agni (ut figura præmitteretur veritati) lavit pedes discipulorum, & cænantibus illis, (hoc est Apostolis, ut habet Scriptura, videlicet cæna usuali, & communi, in qua intinxit Judas manum in paropside cum Christo) instituit hoc Sacramentum, & Sacrificium incruentum, celebrando primam missam cum duodecim Apostolis, etiam cum Juda proditore, quos omnes sua manu communicavit. Unde clare colligitur, Christum Dominum celebrasse in azymo, ut tenet Ecclesia latina, non in fermentato, ut tenet Ecclesia græca; quia cum instituerit hoc Sacramentum prima die Azymorum, quando scilicet vetitum erat comedere fermentatum, & cum panem usualem consecraverit, sequitur, quod non nisi azymum consecravit; Aliter deberet dici Christus prævaricator relate ad illam legem, si fermentato usus fuisset. Ex quibus sequitur, ut advertit Becanus ex Maldonato, quod primo fuerit cæna legalis, secundo cæna communis, tertio lotio pedum, quarto cæna eucharistica, quinto discessio Judæ, sexto concio Domini; quamvis Suar. disp. 41. velit, quod cæna communis fuerit post Eucharistiam.

IX. Quæritur quinto, ad quem finem Christus Dominus hoc Sacramentum instituerit.

Respondeo, primum finem fuisse, ut passionis recordaremur; dixit enim: *Hoc facite in meam commemorationem.* Secundo, ut suam corporalem præsentiam nobis relinqueret, juxta illud, *Eccce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi:* Tertio propter realem, & moralem unionem membrorum cum suo capite, & inter se, hoc est fidelium cum Christo, & inter se ipsos: Realis unio explicatur per realem propinquitatem, & contactum inter corpus

pus nostrum, & Christi mediis speciebus; Moralis, seu affectiva unio per vinculum charitatis, quo & cum Christo jungimur, & inter nos propter Christum; juxta illud Apost. *Unum corpus sumus, quia de uno pane, & de uno calice participamus*: Ad hanc autem unionem significandam apte legitur pro materia consecrationis remota panem, qui fit ex pluribus granis, & vinum, quod ex pluribus uvis simul unitis.

ARTICULUS II.

De necessitate Eucharistia, & obligatione illam sumendi.

- I. Eucharistia sumptio non est necessaria necessitate medii ad salutem.
- II. Neque ad perseverandum in gratia.
- III. Etiam adulti obligantur praecepto divino sumendi, Baptismo prius suscepto, Eucharistiam.
- IV. Praeceptum divinum procul dubio obligat ad sumendam Eucharistiam in mortis articulo.
- V. Quid si quis mane communicarit, & vespere incidat in articulum mortis?
- VI. Num possit Ecclesia privare reum aliquem Sacro Viatico ad alios periterrefaciendos?
- VII. Sapienter etiam in vita ex divino praecepto tenemur Eucharistiam sumere.
- VIII. Praeceptum Ecclesiasticum quos, & pro quando obliget ad communionem?
- IX. Pueris, & amenibus ab infantia ne in articulo quidem mortis Eucharistia administratur. Quid de pueris post usum rationis, ac de semisatis?
- X. Impediti ne tempore Paschali communicent, ad quid teneantur,

I. **D**Uplex, ut diximus, cum de Sacramentis in genere, dari potest necessitas in re praesenti, altera medii, altera praecepti: Videndum nunc, An Eucharistia sit necessaria necessitate medii? Et pro quando sit necessaria necessitate praecepti divini, pro quando Ecclesiastici? Certum enim est apud omnes, non solum Ecclesiam obligare fideles ad communionem paschalem, sed etiam independentem a praecepto Ecclesiastico dari praeceptum divinum de communione sumenda; cum Christus Dominus post institutionem Sacramenti dixerit Lucae 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* & Joanne 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

Quaritur itaque primo, An Eucharistia sit necessaria necessitate medii ad salutem?

Respondeo cum communi apud A-mic. negative: Illud enim Sacramentum dicitur necessarium necessitate medii, quod non ratione obligationis per praeceptum inducta, sed ex natura sua, posita institutione Christi Domini, connexionem habet cum salute, atque adeo sine quo etiam invincibiliter ignorato finis obtineri non potest; sed Eucharistia non est hujusmodi: nam parvuli etiam sine Eucharistia post baptismum salvantur, ut definit Trident. sess. 22. can. 4. ubi habet: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiam, anathema sit.*

Confirmatur, quia Eucharistia non potest esse necessaria, nisi illis, qui possunt illam manducare spiritualiter, videlicet per actus fidei, charitatis, poenitentiae, &c.; sed parvuli non possunt sic illam manducare spiritualiter; ergo illis nullatenus est necessaria. Neque est necessaria adultis necessitate medii in re suscepta. Nam propter eandem rationem deberet esse neces-

faria parvulis: Neque suscepta in voto, ut est baptismus, vel poenitentia, &c., ut communiter docent contra Henr., & Nugn. apud Bonac., qui putant Eucharistiam esse necessariam necessitate medii susceptam in voto, quatenus in susceptione baptismi, vel poenitentiae requiritur propositum saltem implicitum suscipiendi Eucharistiam suo tempore: Ratio est, quia in hoc sensu etiam restitutio, & quodcumque aliud est necessarium necessitate praeccepti, diceretur esse necessarium necessitate medii; quia eodem modo in susceptione baptismi, vel poenitentiae requiritur propositum servandi omnia praeccepta. Preterquamquod qui in articulo mortis post susceptam Eucharistiam peccaret mortaliter, posset confiteri sine animo sumendi amplius Eucharistiam, & salvari, (ut communiter docent apud Bonac. contra Tabien., & Armill., docentes) & tamen in tali casu in susceptione poenitentiae nullum haberetur votum implicitum sumendi Eucharistiam: ergo Eucharistia neque in re, neque in voto potest dici necessaria necessitate medii.

Dices; eodem modo Scriptura loquitur de baptismo, cum dicit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* necnon de Poenitentia dicens: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*, ac de Eucharistia iis verbis, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*: ergo eodem modo sunt omnia necessaria necessitate medii; praesertim quia de Eucharistia dicitur, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum*, ubi significatur Eucharistiam esse medium necessarium ad salutem.

Respondetur, verba illa Scripturae significare eandem necessitatem praeccepti esse in baptismo, & in Eucha-

ristia, non vero eandem necessitatem medii, ut communiter docent Doctores; & patet ex Trident. docente, non esse necessariam parvulis Eucharistiam ad salutem. Adde, quod necessarium necessitate medii debeat de se inducere primam gratiam, saltem in voto susceptum: at Eucharistia, cum sit instituta ad nutritionem, de se supponit primam gratiam: ergo non potest dici necessaria necessitate medii: Illa vero verba, *Si quis manducaverit*, &c. efficaciam Eucharistiae significant, non necessitatem.

II. Quaeritur secundo: An Eucharistia, quae est cibus spiritualis animae, sit necessaria necessitate medii ad perseverandum in gratia; sicut cibus corporalis necessarius est ad vitandam mortem corporalem?

Respondeo cum D. Th. quaest. 66. art. 4, & communi Theologorum negative contra Trull., qui putat neminem in gratia perseverare, nisi per Eucharistiam aut in re, aut in voto susceptam, quamvis non omnis, qui Eucharistiam sumit, in gratia perseveret: Sicut vita corporalis conservatur per cibum, quamvis non omnis, qui cibum sumit, vitam conservat. Verum, quamvis utilissima sit Eucharistia ad perseverandum in gratia, ut docet Trident. sess. 13. cap. 2., non est tamen simpliciter necessaria: Ratio est quia Concilia, dum agunt de necessitate Sacramentorum, solum dicunt Baptismum, & Poenitentiam esse simpliciter necessaria necessitate medii: Si autem Eucharistia esset necessaria necessitate medii ad perseverandum in gratia, illud Concilia explicassent.

Confirmatur, quia pueri, qui post baptismum moriuntur, & adulti, qui post susceptam Eucharistiam peccat mortaliter, & constitutur sine voluntate iterum communicandi, & deinde moritur, perseverant in gratia sine Eucharistia, etiam in voto suscepta:

ergo neque in voto suscepta est necessaria Eucharistia necessitate medii ad perseverandum in gratia. Adde, ex D. Th., quod multi captivi inter Barbaros, apud quos est impossibilis sacra communio, perseverant in gratia: ergo Eucharistia non est cibus simpliciter necessarius ad perseverandum in gratia. Quare non eodem modo est necessarius animæ hic cibus spiritualis, sicut corpori cibus corporalis: Nam in tantum cibus corporalis est simpliciter necessarius, quia non alio modo possunt reparari vires, quæ continuo atteruntur vi caloris naturalis: At auxilia ad perseverandum in gratia, quæ conservatur per Eucharistiam, possunt etiam conferri aliis mediis, videlicet per alia Sacramenta, per orationes, jejunia, elemosynas, &c.: ergo non est eodem modo necessaria, sicut cibus corporalis; In voto autem suscepta eodem modo est necessaria, ac quodcumque aliud, quod præcipitur, videlicet restitutio, jejunia, &c., quæ idcirco non dicuntur esse necessaria necessitate medii, saltem in voto, quia non sunt medium præcisè necessarium, per quod conferatur gratia, qua salutem consequamur: Cum autem neque sumptio Eucharistia sit hujusmodi, ut ostendimus, ideo non est necessaria necessitate medii aut ad salutem, aut ad perseverandum in gratia, neque in re, neque in voto. Est tamen in re suscepta Eucharistia valde utilis, & ut Coninch docet, valde necessaria propter specialia, & uberrima auxilia, quæ confert ad perseverandum in gratia; cum nonnisi ægerime aliis viis specialia hæc auxilia comparari possint.

III. Quæritur tertio, An etiam adulti infideles obligentur præcepto divino ad communicandum illis verbis, *Nisi manducaveritis carnem* &c., ita ut non solum peccent non suscipiendo baptismum, sed etiam non susci-

piendo Eucharistiam; quam tamen debeant post baptismum suscipere.

Respondeo duplicem esse sententiam: Prima est Sor., Sanch., & aliorum apud Bonac. hic, putantium solos fideles adultos hoc præcepto divino obligari: Ratio istorum est, quia ante susceptum baptismum nemo potest communicare: ergo nec potest ad id obligari; sicut de facto nullus infidelis obligatur ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ. Secunda, quam sustineo, est Suarii disp. 89. sect. 2. Con. quæst. 80. num. 93. Vasq., & aliorum docentium, etiam infideles hoc præcepto obligari. Ratio est, quia præcepta divina generatim prolata omnes obligant, qui eorum sunt capaces; sed infideles adulti sunt capaces hujus præcepti: ergo obligantur, non quidem ad sumendam Eucharistiam ante baptismum, sed post baptismum: Sicut enim hoc præceptum obligat baptizatos, qui sunt in peccato mortali, ad communicandum, non quidem ante, sed post Sacramentum Pœnitentiæ; ita obligat infideles ad communicandum, non ante, sed post baptismum. Verum quidem est, quod adulti infideles non obligentur ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ: Et ratio est, quia præceptum de suscipiendo hoc Sacramento non obligat nisi eos, qui post baptismum lapsi sunt in mortale; nec potest obligare infideles, ut sumant baptismum, & peccent ad hoc, ut Sacramentum Pœnitentiæ suscipiant: Contra vero præceptum de sumenda Eucharistia potest obligare infideles, ut baptizentur, & illam suscipiant: ergo dicendum, quod de facto illos obligat.

IV. Quæritur quarto, Quandonam fideles obligentur ex præcepto divino ad communicandum?

Respondeo, & dico primo, hoc præceptum obligat sub mortali in articulo mortis. Ita communiter contra

re viaticum, quod nemo dixerit.

VI. Dices, si ex præcepto divino teneretur quilibet in articulo mortis communicare, non posset Ecclesia privare aliquem communionem in articulo mortis ad aliorum exemplum, & correctionem; quod tamen facit, ut patet ex Concilio Eliberitano, & Sardicensi apud Bonac., Regin., & Suar. disp. 69. de Euch. sect. 3.

Respondeo, nego sequelam; sicut enim quilibet jure naturæ tenetur comedere; nihilominus Judex potest reum privare cibo in pœnam: ita poterit Ecclesia privare aliquem in pœnam, & ad aliorum exemplum, & terrorem pane celesti, quem quilibet in eo articulo tenetur manducare jure divino. Propterea, ut notat Suar. disp. 4. de Euch. sect. 8., cum obligatio sumendi sacrum viaticum oriatur a præcepto positivo, quod non pro semper obligat, excusatur tam ægrotus a sumendo viatico, quam minister a ministrando propter occurrentes circumstantias; unde neuter violat divinum præceptum. Notandum tamen, id non esse amplius in usu in Ecclesia; immo contrarium debet servari, si reus dedit sufficientia doloris testimonia, ex cap. *Tanta*, & ex motu Pii V. apud Bonac. Nec excusantur a peccato Judices, ut docent communiter contra Navar., Clarum, & alios apud Henriqu., qui non concedunt Reo tempus sumendæ Eucharistiæ post confessionem ratione consuetudinibus in aliquibus locis receptæ. Nam ex jure naturæ tenetur Judex consulere bono privato Rei, quantum recta ratio dicat; Et jus divinum, quod obligat Reum ad communicandum in articulo mortis, videtur etiam obligare Judicem ad non impediendam, & ad dandam opportunitatem. Nec potest consuetudo contra jus naturæ, aut divinum introduci: Quare per se loquendo tenetur Judex talem op-

portunitatem concedere, etiamsi aliquod periculum sit, quod hoc tempore concessio eripiat, & aliqui scandalum patiantur, ut notat Bonac. Immo si reus nolit intra consuetum tempus se præparare ad confessionem, & communionem, tenetur concedere aliquam dilationem, verbi gratia, duorum, vel trium dierum, si speret profectum, ne sit periculum damni, aut scandali ex hac dilatione; Non tenetur tamen amplius differre, ne alii hac spe nolint se ad mortem præparare.

Ex dictis sequitur, præceptum hoc obligare non solum in periculo mortis ex morbo aliquo; sed etiam instante morte violenta, & periculo talis mortis; ut quando periculosum prælium est committendum, periculosa navigatio subeunda, in puerperio, præsertim primo, quod solet esse periculosum.

VII. Dico secundo: Ex præcepto divino non solum tenemur Eucharistiam sumere in articulo mortis, sed etiam sæpe in vita. Ita communiter cum Suar., Valent., & aliis. Conclusio pariter constat ex iisdem rationibus, quibus falsitatis vincuntur Theses proscriptæ, quas num. 5. retulimus. Nonnulli tamen apud Conputarunt, quod obligemur solum singulis trienniis, vel quadrienniis. Alii, quoties urget gravis aliqua necessitas. Alii tamen verius docent, quod juxta opportunitatem, ita ut obligentur ad sæpius communicandum, qui sunt in Civitate fidelium, quam alii; & qui sunt magis instructi, & qui sunt minus impediti, &c. ut solet communiter dici de actibus fidei, spei, amoris, qui pariter præcepto divino præcipiuntur nullo præfixo tempore. Illud certum est, quod cum Ecclesia præcipiat singulis annis communionem, non sit contra divinum præceptum ad annum illam differre, saltem.

rem per se loquendo, & relate ad communem hominum.

VIII. Quæritur quinto, Quando, & quos obliget præceptum Ecclesiasticum de sumenda Eucharistia?

Respondeo, in cap. *Omnis utriusque sexus* obligari omnes, postquam ad annos discretionis pervenerint, ut semel saltem in anno confiteantur, & reverenter recipiant ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum; nisi quis forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum; *Alioquin & vivens ab Ecclesia ingressu arceatur, & moriens careat Ecclesiastica sepultura.* Quare quilibet tenetur aut in Cathedrali Ecclesia communionem paschalem sumere, aut in sua Parochia a Pastore suo; nisi ex hujus licentia saltem præsumpta, vel privilegio, aut consuetudine eximatur; Sicut eximitur Sacerdos, qui satisfacit ubivis celebrando; Et peregrini, qui a sua Parochia absunt. Nomine autem Paschæ significantur quindecim dies a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, ut communiter Doctores docent; nisi forte alicubi consuetudo sit vel extendendi id tempus ad totam quadragesimam, ut ex Con. fit Mediolani, & Conimbricæ; vel extendendi usque ad diem Ascensionis, ut fit Neapoli, vel contrahendi ad solam hebdomadam majorem, vel paschalem: consuetudini enim standum est.

IX. Porro certum est, ex tacito præcepto Ecclesiæ, (ut notat Tambur.) fundato in consuetudine, quæ videtur approbata in Rituali Romano, non esse dandam Eucharistiam pueris ante usum rationis, & consequenter nec stultis, qui nunquam usum rationis habuerunt, ne in articulo quidem mortis; quia reputantur, ut pueri: At post usum rationis dandam

illis esse in articulo mortis communiter docent: Immo etiam si dubitetur, an usum rationis habeant; cum consuetudo Ecclesiæ non debeat in tanto rigore sumi non dandi Eucharistiam carentibus usu rationis ex Lug. disp. 13. num. 44: Nam si ex Rituali Romano dari debet iis, qui post usum rationis in amentiam inciderunt extrema Unctio, quare non etiam Eucharistia, dummodo irreverentia declinetur?

Dubium tamen est; an pueri statim post usum rationis obligentur ad communionem Paschalem? Affirmant Joan: Sanc., Palud., D. Anton., & Palaus apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 70.; quia non minor, imo major, videtur requiri discursus ad confessionem, quam ad communionem: ergo si ad illam obligantur quotannis pueri doli capaces, etiam ad communionem. Sed communior sententia apud eundem Dian. docet cum Vasqu., Salas, Con., quæst. 80. num. 102. consuetudinem Ecclesiæ esse fundatam in Lateranensi, quod pueri non admittantur ad Communionem statim post usum rationis, sed solum quando sufficienter circa hoc mysterium sint instructi, ita ut possint communicare reverenter, prout præcipitur: atque ita contingere potest, ut aliqui anno decimo, & ante; aliqui vix decimo quarto, ad communionem admittendi sint; Unde Dian. putat, hoc præceptum non obligare universim ante decennium, quia hoc præceptum ita Doctores cum Granad. universim intellexerunt; Probabilem tamen existimat esse opinionem oppositam, quod teneantur ad illam post usum rationis, atque adeo quod possint sine scrupulo ante decennium ad illam admitti. Quamvis autem communiter doceant, pueros post usum rationis statim obligari legibus Ecclesiasticis, contra Sor. in 4. dist. 12. quæst. 2. art.

art. 11. putantem usque ad duodecimum annum non obligari; nihilominus ante annos pubertatis censuris, aut pœnis Ecclesiasticis non astringuntur; unde non incurrunt censuras latas contra non communicantes in Paschate, ut docent Sà, Fagund. apud Tambur. in Meth. communionis cap. 4. §. 2.; quia adest decisio clara cap. 1. & 2. de delictis puerorum; ubi ante decimum quartum annum a pœnis simpliciter exemptuntur; Quicquid in contrarium dicant Azor., Vasqu., Sor. putantes ante pubertatem non astringi censuris, & pœnis ab homine latis; astringi vero a latis in jure communi. Immo Tambur. loc. laud. contra utrumque Sanch., & Pal. putat, quod nec incurrant excommunicationem latam contra percussorem Clerici: Et quamvis in cap. Pueri dicatur, quod possint ab Episcopo absolvi; non negatur tamen, quod possint etiam absolvi ab aliis.

Dubium est, An semifatuis danda sit quotannis Eucharistia?

Respondeo, in mortis articulo fatuis, qui nunquam habuerunt usum rationis, communionem non esse dandam; sicut nec pueris ante usum rationis, ut diximus ex tacito Ecclesiæ præcepto: phreneticis vero, & iis, qui in amentiam inciderunt post usum rationis, & semifatuis, mutis, & surdis, ac stolidis danda est in articulo mortis, nisi constet in amentiam eos incidisse, dum erant in statu peccati mortalis, ut notant Doctores apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 79: dummodo tamen possint sine irreverentia communicare, dando videlicet illis ad experimentum antecedenter particulam non consecratam: iisdem etiam dandam esse Eucharistiam in Paschate docent Villal., Henr., & Sanch. apud Dian. loc. cit. resol. 79. contra Zambran.

Immo aliquoties etiam in anno posse iisdem dari putat Villal. apud Tamb., & Sanch. apud Dian. loc. cit., & part. 5. tract. 6. resol. 5.

Notandum hic primo, per communionem sacrilegam non satisfieri præcepto Ecclesiastico: Quicquid enim olim plures Doctores primæ notæ docuerint existimantes Ecclesiam non præcipere, nisi actum externum, hæc tamen opinio damnata est ab Innoc. XI. in propos. 55. quæ habet: *Præcepto communionis annuæ satisficit per sacrilegam Domini manducationem.* In cujus expositione ostendimus in Trutina, idcirco non satisfieri huic præcepto, quia præceptum Ecclesiasticum de communionem Paschali est modificativum præcepti divini injungentis aliquando in vita, & in articulo mortis communionem: Cum autem præceptum divinum sit de sumenda communionem non mortifera, sed salutifera, & vivifica, dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis;* idcirco per sacrilegam communionem sicut non satisficit præcepto divino, ita nec Ecclesiastico.

X. Notandum secundo, quod qui videt se impediendum, ne in Paschate communicet ob navigationem, verbi gratia, vel aliud caput, tenetur prævenire, ut docent Fagund., Vasqu., & alii contra Azor. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 42. quia Ecclesia intendit principaliter præcipere communionem singulis annis, & secundo circumstantiam temporis Paschalis. Ex quo patet disparitas, quare qui non potest die Dominico audire missam, vel tempore debito jejunare, non teneatur prævenire? hæc enim præcepta principaliter etiam temporis circumstantiam præcipiunt; unde non videntur ejusdem rationis cum præcepto communionis, ut putat Azor., & Pitigian.

No-

Notandum tertio, quod qui non communicavit in Paschate, teneatur deinde statim ac commode potest communicare. Ita Nugn., Suar., Navar. apud Con. & Dian. loc. cit. resol. 41. contra Sylvestr., Valent., Tabien., & alios. Ratio est, quia terminus annuus non assignatur ad finiendam obligationem; sicut in Missa audienda assignatur dies festus, & in officio recitando, in jejunio, &c.; sed assignatur, ut adimpletio, seu executio non possit amplius differri. Ad eum modum, quo in contractibus non cessat obligari ad solvendum, qui statuto tempore non solvit; multa enim præcepta assignant tempus ut terminum obligationis; multa vero ut terminum solius executionis: præceptum autem communionis non videtur assignare tempus paschale, ut terminum obligationis, cum velit nos quotannis communicare, idest non multum differre communionem ad satisfaciendum præcepto divino.

Notandum quarto cum Laym. apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 88., quod excommunicatus ex hoc præcepto obligetur ad quærendam absolutionem, & sic ad communicandum; quare si absolutionem negligeret, contra hoc præceptum peccaret graviter: Contra vero qui in carcere detinentur, aut sunt infirmi, non obligantur ad tollendum carcerem, aut infirmitatem, ut possint communicare in Paschate. Ratio ex Suar., Lug. disp. 10. sect. 2. apud Tambur. in Meth. Communionis cap. 4. §. 7. est, quia præceptum confessionis, & communionis rigide obligat ad tollenda mala spiritualia, quæ ipsis obstant, videlicet excommunicationem; non vero ad tollenda mala temporalia, puta carcerem, infirmitatem: & ideo qui sunt timoratae conscientia de hoc non sunt solliciti.

Dices; excommunicatus non tene-

tur procurare absolutionem, ut possit audire missam die festo: ergo neque ut possit communicare in Paschate.

Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas ex Suar., & Con. apud eundem Tambur. est, quia Confessio, & Communio sunt majoris momenti, quam auditio missæ; & ideo rigidius obligant præcepta Confessionis, & Communionis, quam præceptum de Missa audienda.

ARTICULUS III.

De Eucharistiæ Materia.

- I. *Quinam dicatur panis usualis, & vinum usuale?*
- II. *Panis fermentatus valide, sed illicitè a latinis consecratur, exceptis nonnullis casibus.*
- III. *Aqua vino miscenda probabilis immediate in Christi sanguinem convertitur.*
- IV. *Consecratio fieri debet sub utraque specie ex præcepto divino.*
- V. *Num possit aliquando Pontifex in divinis, positivis, & in naturalibus præceptis dispensare?*
- VI. *Nec potest consecrari quantitas, que non sit sine miraculo sensibilis, nec remanet consecrata, si ab Hostia dividatur.*
- VII. *Materia consecrabilis debet esse moraliter præsens, ita ut possit per pronomen, Hic, demonstrari.*
- VIII. *Quid de materia clausa in vase, aut magna nimis, ac nimis distante?*
- IX. *Materia consecranda debet esse determinata, & quomodo?*
- X. *Quid de guttis vini intra Calicem? Aut de particulis in Pyxide, si sint extra corporale, aut extra Aram?*
- XI. *Num possit aliquando, deficiente Hostia majori, consecrari particula, ne Sacrificium desit?*

I. **D**E fide est, materiam Eucharistiae esse panem triticeum, & vinum ex vite. Pater ex Florentino. Et ratio est, quia solus panis triticeus dicitur absolute Panis, & solum vinum ex vite dicitur absolute Vinum. In pane autem, & vino absolute dictis Christus Dominus consecravit: voluitque in hac materia Sacramentum instituire, quia usualissima est in convivii; & quia maxime expressiva effectus hujus Sacramenti, qui est animam reficere spiritualiter. Nomine autem panis triticei venit etiam felica, seu segala, quia ex D. Th. quaest. 73. art. 3. & aliis apud Bonac. contra Vivald., & alios, vere est triticum; licet aliquanto inferius ordinario; Quia tamen est materia dubia, graviter peccaret, qui in ea consecraret, etiam in casu necessitatis, ut notat Fagund. apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 95., quia hoc Sacramentum non est simpliciter necessarium necessitate medii, nec debet dari, nisi quando reverenter haberi potest.

Debet autem panis esse confectus aqua usuali, & coctus, ita ut possit absolute denominari Panis; Quare panis dulcarius confectus cum lacte, vel melle non est materia apta, nec massa cruda, quae dici solet vulgo Pasta, seu Lagana, quia saltem moraliter differt a pane, etiamsi non differret specie physica. Quod si aquae naturali admisceretur aqua rosacea, vinum, butyrum, ita ut aequet, vel superet aquam naturalem, neque erit materia apta; secus vero si modica quantitas misceatur; (etsi nullatenus admiscenda sit) quia magna pars trahit ad se minorem: Et eadem est ratio, si farinae tritici admisceretur farina alterius frumenti, videlicet hordei, millii, avenae, seu speltae, panicis, lolii, farris, &c. Neque est materia apta Calicis vinum, cui aequalis quantitas aquae admiscetur; nec vi-

Pars V.

num mixtum, quod Hispani vocant Hypocrasso, si tanta sit mixtio, ut non possit amplius absolute dici Vinum, aut talis sit coctio, ut vinum corrumpatur. Hostiae autem rubrae, quibus literae obsignantur, non possunt valide consecrari, ex Lug. apud Dian. part. 7. tract. 12. resol. 8. quia ratione cinabarii admixti non videntur, nec sunt Panis usualis. Quod si cinabrium admixtum esset in modica quantitate, putat Perez apud Dian. part. 7. tract. 12. resol. 8., quod valida esset, quamvis illicita, consecratio.

Ex dictis sequitur, mustum esse materiam aptam Calicis, quia ex cap. *Cum Ordine de Consecratione dist. 2.*, vere Vinum est, licet fecibus admixtum. Peccaret tamen, qui in eo consecraret extra necessitatem; qualis esset secundum quosdam ad devotionem populi, deficiente vino; dummodo non esset seculentum, & impurum, quia id esset contra reverentiam Sacramento debitam: Sicut graviter peccat, ut habetur in Rubricis Missalis, qui consecrat vinum acidum, quamvis nondum corruptum; exponit quippe periculo nullitatis consecrationem; cum difficile sit discernere, num factum sit acidum usque ad corruptionem: Est etiam materia apta vinum congelatum, ut docent communiter contra Nugn. quia est aptum potari, si liquefiat. Nec Sacramentum hoc consistit in usu, sive in potatione, sicut baptismus consistit in ablutione; unde aqua baptismi apta non debet esse congelata. Quia tamen vinum congelatum est materia dubia, ideo peccaret, qui in eo consecraret, ut putat Con. apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 100. Acetum autem non est materia apta, quia est vinum corruptum; sicut nec Aquavita, quae dicitur Aqua ardens, cum non sit vinum usuale; Neque uva; quia potius co-

G me.

medi, quam potari consuevit: Neque vinum ex malogranatis, aut moris; Neque cervisia, sicera, &c., cum non sint vinum de genimine vitis, quale fuit, quod Christus Dominus consecravit: Agresta, seu omphacium, quod est succus expressus ex uvis immaturis, neque est vinum; sicut malfa cruda panis non est panis. Neque Vinum coctum, hoc est sapa, seu defrutum, quod est mustum ad dimidiam, vel tertiam partem coctum, cum potius sit cibus; Nec Lora, seu aqua expressis acinis superfusa: Succus tamen ex uvis passis expressus reputatur vinum ab Amico apud Dian. part. 7. tract. 12. resol. 8., est tamen materia dubia. Aegyptios in hoc succo ex uvis passis expresso consecrare fama est, ut refert idem Amicus, si quidem viri fide digni testantur (apud eundem Dian.) quod ex his uvis optimum eliciatur vinum, quamvis uvæ passæ intra modicum aquæ apponantur. Quia tamen talis succus solet esse densus, & habet magis rationem cibi, quam potus usualis, ideo est materia dubia, ut advertit Bonac. Utrum autem licita sit talis succi consecratio in casu necessitatis, verbi gratia, ad dandum Viaticum aegroto; aut in iis regionibus, ubi vinum usuale haberi non potest? Dicendum, quod si materia isthæc sit dubia, nullatenus liceat illam consecrare; quia hoc Sacramentum non est necessarium necessitate mediæ, ut est Baptismus, & Pœnitentia, quæ in casu necessitatis conferri possunt cum materia dubia, conferendo scilicet illa sub conditione. Quod si aliquando succus ex uvis passis non multum siccis sit probabiliter vinum, videtur, quod in casu necessitatis, & in regionibus, ubi haberi non potest vinum usuale, possit licite consecrari. Etenim omnia Sacramenta licite conferri possunt cum materia probabili, si deficiat certa;

ut constat ex iis, quæ dicuntur in expositione primæ Thesæ confixæ ab Innoc. XI. Sic etiam videtur Sacramentum Confirmationis, & Extremæ unctionis conferri posse cum materia probabili, quoties materia certa haberi non potest. Verum hac in re consulenda videtur S. Congregatio, prout sepe in similibus casibus consultata fuit; & ab ea in re tanti momenti iudicium expectandum.

II. Quæritur nunc primo, An valide consecratur panis fermentatus etiam a Sacerdote Latino? Et quando nam licite id facere possit?

Respondeo, valide consecrari, tam fermentatum a Latino, quam azymum a Græco, quamvis illicite. Quod valide consecratur, patet, quia uterque est panis absolute dictus, & quia materia Sacramentorum est instituta a Christo Domino, & eadem est pro toto orbe: Quare si Latinus invalide consecraret in fermentato, etiam Græcus invalide in eo consecraret: & vice versa: Debent tamen Græci, & Latini antiquam Ecclesiæ suæ consuetudinem servare sub mortali, quia est usus rationabilis publicus, & in re gravissima. Et Pius V. revocavit licentiam Græcorum celebrandi more latino, & Latinorum celebrandi more græco. Notandum tamen primo ex Con. quæst. 74. art. 2. num. 117., & Fill. apud eundem Dian., quod Græcus in Ecclesiis, quæ habentur apud Latinos ipsis Græcis destinata, non possit uti more Latinorum; nec latinus more Græcorum in Ecclesiis, quæ habentur apud Græcos Latinis adiectæ. Quod si Latinus iter agat per Græciam, & Græcus per Occidentem, poterit uterque suum morem servare, seculo scandalo; quamvis si se conformaret Ecclesiæ, in qua versatur, non esset damnandus. Verum si mutavit omnino domicilium, animo ibi perpetuo permanendi, debet
in

in ritu Ecclesiæ, ubi sedem fixit, celebrare. Non potest tamen Latinus ex Suar. disp. 44. sect. 3. in Ecclesiis, quas Græci habent apud Latinos, consecrare, nec communicare in fermentato; quia illud est veluti privilegium Græcorum personale, non locale. Ex quibus rejicitur Ledesma, qui putat Græcum transeuntem per Latinos teneri in azymo consecrare.

Notandum secundo ex Tamb. in Meth. Commun. cap. 2. sect. 9., quod quamvis Græcus in Ecclesia latina ex antiquissima consuetudine deberet communicare in fermentato, si habeat Ecclesias Græcis destinatas; (& idem dicas de Latino in Græcia) nihilominus ex consuetudine recentiore, quæ in Sicilia extat, potest Græcus communicare in Ecclesiis Latinorum in azymo, verbi gratia, ad lucrandam indulgentiam, quamvis habeat ibi Ecclesias Græcorum, ubi potest communicare in fermentato.

Notandum tertio ex Suar. apud Tamb. loc. citat., quod in extrema necessitate, si moribundus non potuisset Sacramentum Pœnitentiæ, aut Extremæ Unctionis recipere, posset potius Græcus Sacerdos consecrare in azymo ad dandum illi viaticum, quam Latinus in fermentato: Ratio est, quia ille conformatur Ecclesiæ Latinæ, quæ est Caput, hic vero Ecclesiæ Græcæ, quæ est membrum.

III. Quæritur secundo, An vino consecrando necessario admiscenda sit aqua?

Respondeo admiscendum esse modicum aquæ elementaris, non quidem necessitate Sacramenti; immo neque necessitate præcepti divini, ut communiter docent contra Henriq. lib. 8. cap. 12. & Valent. apud Bonac., sed Ecclesiastici; Quare qui illam omitteret, valide consecraret, sed peccaret mortaliter; eo quod modica ista aquæ quantitas relate ad significatio-

nem est magna: Significat enim unionem Christi cum Ecclesia; nam in Apocalypsi populi dicuntur Aquæ; Significat etiam unionem naturæ divinæ cum humana in Incarnatione; Significat demum, quod exierit e latere Christi sanguis, & aqua. Ex Florentino miscenda est aqua modicissima: Notat tamen Laym. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 49., Sacerdotem non debere esse minus sollicitum ut unam tantum guttam effundat, ne sensu deluso, nihil omnino effundat: Quare plures guttas effundere poterit, imo octavam, vel decimam partem; & ex Lugo disp. 4. sect. 2., quintam, vel sextam. Immo Concilium Triburiense can. 9. apud Conink, (quod fuit provinciale, non tamen approbatum) concedebat tertiam partem aquæ. Verum in praxi non est sequendum, cum Florentinum dicat debere esse modicissimam.

Dubium est, Utrum aqua immediate in sanguinem Christi convertatur, an vero prius debeat converti in vinum, ita ut si non sit conversa in vinum tempore consecrationis, nec convertatur in sanguinem Christi Domini, sed ibi remaneat non consecrata; sicuti frustulum, verbi gratia, quod esset inimixtum vino? Thomistæ putant, immediate in Christi sanguinem non posse converti; quia solum vinum est materia, quæ potest converti in sanguinem Christi. Communius tamen oppositum docent. Ratio est primo, quia multi putant nunquam aquam posse converti in vinum; Siquidem facilius corrumpitur vinum expositum aeri ambienti, quam aqua; & tamen ex Aristotele primo de Generat. 37., vinum non potest in aquam converti: ergo nec contra; Sicut nec potest converti aqua in sanguinem, si sanguini emissio e venis misceatur: Deinde transmissio, quod possit converti, certe non potest propter brevitatem

temporis converti in vinum, quando immediate, postquam miscetur aqua, debet consecrari; ut accidit si Sacerdos dum sumit Calicem, deprehendit ibi esse acetum, vel aquam; Debet enim tunc iterum apponere vinum, & aquam, consecrare, & sumere, ut putat Sotus, & Navar. apud Tamb. de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 8. §. 5. juxta Rubricas Missalis Clem. VIII., vel ut putat D. Th. juxta Rubricas Missalis Pii V. debet iterum novam Hostiam una cum Calice consecrare, incipiendo a *Qui pridie quam patere-* *tur*, & proseguendo, perinde ac si nullam antea materiam consecrasset, vel suscepisset; Quia tamen Clemens VIII. est posterior Pio V. illius Rubricæ sunt sequendæ. Quare in his casibus non debet dici, quod aqua remaneat in calice nullatenus conversa in Sanguinem Christi; Nam Christus Dominus, ut constat ex Patribus, & Traditione, consecravit vinum dilutum aqua, cum consecravit vinum usuale, & totum contentum in calice consecravit; Etenim illa verba, *Hic est calix*, &c. supponunt pro toto contento in calice. Præterea negare, quod rotus ille liquor in sanguinem Christi convertatur, est contra communem sensum Theologorum; nec potest sine gravi fundamento oppositum asseri; quia Trident. sess. 13. can. 2. declarat, in hoc Sacramento remanere dumtaxat species panis, & vini, atque adeo non remanet aqua ex Trident.

Neque dicas, aquam non remanere, quia convertitur prius in vinum; Nam hoc est valde dubium, & aliquando, ut diximus, propter brevitatem temporis fieri non potest.

Neque replicas, hinc sequi, etiam aquam posse consecrari; ubi Concilia docent solum vinum esse materiam calicis. Nam communiter respondent, aquam absolute sumptam consecrari

nullatenus posse; aquam vero vino immixtam, ita ut conflet vinum dilutum usuale, & totum aliquod, quod absolute dicitur Vinum, consecrari posse; unde fit, quod si ex vino diluto consecrato extraherentur solæ species aquæ, ibi sanguis Christi non remaneret; non secus ac si vinum corrumperetur.

IV. Quæritur tertio, an debeat necessario Sacerdos sub utraque specie consecrare?

Respondeo affirmative; id tamen non est necessarium necessitate Sacramenti: nam ante consecrationem calicis habetur in sola Hostia Sacramentum; neque necessitate Sacrificii, ut dicemus quæst. sequ. art. 2., sed necessitate præcepti; non quidem Ecclesiastici, ut putant Navar., Tabien., & alii apud Bonac., sed divini, ut communiter docent; & colligitur ex Trident. sess. 21. can. 1. Hoc autem divinum præceptum non est negativum, quod obliget in quocumque casu, sed affirmativum, quod aliquando non obligat: Verbi gratia, si Sacerdos, consecrata Hostia, deprehendat non esse vinum in calice, nec possit vinum habere citra vitæ periculum; aut si post consecrationem Hostiæ immineat Sacerdoti periculum vitæ, si proseguatur, potest desistere a Sacrificio, & fugere: Sicut enim præceptum divinum affirmativum de Confectione materialiter integra non obligat cum gravi incommodo, ita nec obligat hoc præceptum cum periculo vitæ. Non potest tamen Sacerdos ad dandum Viaticum infirmo consecrare unam tantum speciem; sicut nec sine vestibus sacris celebrare missam, &c., quia præcepto divino de sumendo viatico, quod non est simpliciter necessarium ad salutem, prævalet reverentia debita Sacrificio jure naturali.

V. Dubium est, An possit Pontifex in hoc præcepto dispensare?

Affit-

Affirmant Eusebius, & alii cum Henriq. lib. 8. cap. 13., tum quia Volaterranus refert, Innocentium VIII. anno 1490. dispensasse cum Norvegis, ut sine vino consecrarent, eo quod difficile posset apud eos vinum conservari; quod pariter alii graves Auctores referunt apud eundem Henriq.; Tum etiam, quia Pontifex sæpe dispensare potest in multis, quæ sunt de jure divino, ut in voto, juramento, Matrimonio rato, &c., Et de facto de jure divino est, ut consecrans sumat utramque speciem, & tamen in ordinatione Sacerdotum Ecclesia vult, ut solus principalis celebrans communicet sub utraque specie, licet omnes ad consecrationem concurrant: ergo saltem in casu nostro poterit, si minus dispensare proprie, & in rigore, saltem interpretari, & declarare jus divinum, quod scilicet in tali casu non obliget, ut putat Filliuc. tom. 1. tract. 4. cap. 3. num. 66., & Trull. lib. 3. cap. 7. disp. 2.: Communiter tamen negant; Aliter posset etiam dispensare, quod solum vinum consecratur; possetq. dispensare, quod in casu necessitatis conferatur baptismus per quemlibet liquorem, & sic in omnibus Sacramentis dispensare posset in casu necessitatis. Quare dicendum, quod in materia, & forma Sacramentorum a Christo Domino instituta non possit Ecclesia dispensare, ut colligitur ex Trident. sess. 21. cap. 2. ubi habetur, in Ecclesia residere potestatem statuendi, & variandi ea, quæ spectant ad Sacramenta, *salva tamen eorum substantia.*

Ad id, quod objicitur, dico, Suarez. sect. 4. ostendere, falsum esse, quod refert Volaterran., & nunquam Pontifices in hoc dispensasse: Præterea in Matrimonio rato dispensare potest, quia noluit Christus Dominus illud esse insolubile, sed posse tum per professionem religiosam dissolvi, tum

Pars V.

etiam per dispensationem Pontificis, ut ostendit Suar. disp. 43. de Eucharistia. sect. 4., & alii apud Perez de Matrim. disp. 20. sect. 3.: Eodem modo vota, & juramenta, quæ sæpissime accidunt, debere posse a potestate visibili dispensari ad vitandos conscientie laqueos innumeros; quod non accidit in casu nostro. Demum citra ullam dispensationem in jure divino solus principalis consecrans communicat in utraque specie in ordinatione Sacerdotum; Et ratio est, ut advertit idem Suar. loc. citat., quia omnes illi Sacerdotes veluti unum Ministrum unius tantum Sacrificii integrant, & ideo satis est, quod ab hoc Ministro in una tantum persona utraque species sumatur.

VI. Quæritur quarto; An quælibet quantitas panis, & vini consecrari possit?

Respondeo, quamlibet quantitatem consecrari posse, dummodo sit sensibilis; cum Sacramentum essentialiter sit signum sensibile: Quare si quantitas panis adeo sit parva, ut amplius non possit percipi sensibus, non est consecrabilis; Et si hujusmodi pars dividatur ab Hostia consecrata, non remanet in ea amplius Christi Domini corpus, etiamsi divinitus posset sensibus percipi, ut communius docent contra Suar. lib. 8., & Bonac.; quia Sacramentum est signum sensibile datum hominibus, atque adeo humano modo debet esse sensibile, & demonstrabile per pronomen *Hic*. Præterea quælibet etiam magna quantitas potest consecrari, dummodo sit præsens moraliter, & demonstrari possit per particulam *Hic*.

VII. Quæritur quinto, quænam præsentia requiratur in materia consecranda, ut valide possit consecrari?

Respondeo, Sacerdoti debere esse præsentem moraliter, ita ut secundum communem loquendi modum possit

G 3 VC

vere & proprie designari, & per pronomen *Hic* demonstrari. Et ratio est, quia formæ Sacramentorum debent verificari secundum communem, & propriam verborum significationem; Unde sequitur primo, quod non possit consecrari panis, qui longe distat a Sacerdote, quamvis a Sacerdote videatur. Ratio est, quia si longe distet, non potest de eo proprie dici, *Hic panis*, sed *Ille panis*. Prudentis autem iudicium requiritur, ut discerni possit in quanta distantia possit demonstrari per pronomen, *Hic*, secundum communem modum loquendi, & in quanta distantia designari soleat per pronomen, *Ille*. Henr. apud Trull. putat, quod per viginti passus possit demonstrari per pronomen, *Hic*, quamvis etiam possit Insula verbi gratia aliqua distans per decem milliaria demonstrari, intendendo in illam digitum, dicendo, *Hæc Insula*; At si digitus in illam non intendatur, non solet dici, *Hæc Insula*: Materia autem consecranda debet esse præsens, ita ut possit secundum communem usum loquendi demonstrari per pronomen, *Hic*, independenter ab aliis circumstantiis.

VIII. Sequitur secundo cum Bonac., & Trull., valide consecrari vinum contentum aut in calice coperto, aut in dolio: necnon hostias clausas in Pyxide, aut latentes sub aliis. Ratio est, quia solemus dicere de vino contento in dolio, vel amphora, *Hoc vinum est optimum, Accipe metretam huius vini, &c.* Docet etiam Bonac. cum aliis, quod si particula lateant sub mappa, vel in Missali, possint etiam consecrari, si præsentibus sint Sacerdoti: Equidem tamen cum Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 2., & Con. existimo consecrari non posse, etiam si lateant in Corporali, vel in tabernaculo. Ratio est, quia quamvis non requiratur ad rigorosam præsentiam,

ut hostia consecranda videatur a Sacerdote; unde potest etiam in tenebris, vel a cæco consecrari; nec requiratur, ut videri possit, cum particula in pyxide clausa possint consecrari; requiritur tamen, ut materia consecranda sit saltem in eo vase, qui ex communi usu soleat destinari ad huiusmodi res continendas, ita ut eo viso in talibus circumstantiis facile concipi possit tale quid contineri: Hinc ostendendo bursam plenam solemus dicere, *Hoc est aurum*: At si detur Statua concava plena auro, non solemus dicere, *Hoc est aurum*, sed, *In hac statua est aurum*. Quare cum in pyxide soleant ex communi usu contineri particula, non tamen in Corporali, aut in Missali, hinc bene consecrari possunt, & demonstrari per pronomen, *Hic*, particula clausa in pyxide, non vero in Corporali, aut Missali. Mustum autem, quod in uva includitur, nisi exprimitur, ut habeat secundum se rationem vini recentis, non solum illicite, sed etiam invalide consecratur.

Sequitur tertio, non posse consecrari hostiam post parietem, vel a tergo Sacerdotis positam: Si tamen hostiam a tergo positam Sacerdos manibus teneat, poterit illam consecrare, ex Bonac., Suar., Con.; quia sic tenendo potest illam demonstrare.

Sequitur quarto, non posse consecrari omnem panem in vasto loco, verbi gratia, in foro, positum in diversis locis, quia panis, qui longe distat, vel est a tergo, non potest demonstrari absolute per pronomen, *Hic*; Et quamvis possit demonstrari digito intento in illum panem, tamen significatum verborum tunc completeretur a gestu illo, sine quo verba non haberent perfectum sensum; formæ autem Sacramentorum debent habere ex se sensum perfectum inde-

independenter a gestu, aut alia circumstantia, ut diximus.

Sequitur quinto, nec posse consecrari ab uno Sacerdote ingentem panis cumulum, aut vini lacum. Ratio ex Con. est, quia panis, & vinum longe distans non potest demonstrari absolute per pronomen, Hic. Quod ex eo probatur, quia si pars cumuli vicina Sacerdoti esset panis, & pars distans essent lapides, adhuc vere diceretur, Hic est panis, quamvis non diceretur vere, Hic cumulus est panis: ergo cumulus panis, cuius pars longe distat a Sacerdote, consecrari non potest: Sicut nec consecrari potest materia indeterminata, ut mox dicemus. Quod si Sacerdos in casu nostro consecrare intenderet omnem materiam sibi moraliter presentem, putat Henricus, quod non consecraret totum cumulum, sed solum illam partem presentem, verbi gratia, ad viginti passus ab ipso distantem: Hanc tamen sententiam nimis laxam putat Bonac., quia non solemus consecrare nisi materiam coram nobis in altari positam; unde exponeret saltem se periculo non valide consecrandi, qui materiam per viginti passus distantem vellet consecrare.

IX. Quæritur sexto, an materia consecranda debeat esse determinata in individuo, & definita in mente Sacerdotis?

Respondeo affirmative: Ratio est, tum quia id requiritur a pronomine, Hic, tum etiam quia actiones sunt circa singularia, quæ debent esse certa & determinata.

Hinc sequitur primo, invalide consecrare, aut baptizare, qui vult consecrare aliquam hostiam ex presentibus, vel aliquem hominem, nullum designando; aut qui vellet consecrare mediam partem hostiæ, non designando hanc potius medietatem, quam

illam; vel qui vellet consecrare illas partes hostiæ, quas Deus elegerit, aut illas, quæ, fracta hostia, sunt mansuræ in continuo, non vero quæ excident: etenim materia ista non esset definita, & certa in mente Sacerdotis. Ubi notat Suar. apud Con., quod si Sacerdos ex decem hostiis presentibus velit quinque consecrare, quas Titius elegerit, & Titius eligat quinque, non tamen illas manifestet Sacerdoti, ad hoc ut illas intendat consecrare, nullam consecrabit, quia in mente Sacerdotis materia consecranda non esset determinata.

Oppones; valide applicatur Sacrificium pro anima purgatorii, quam Deus elegerit; ergo etiam valide consecratur una ex multis hostiis presentibus, quam Deus elegerit.

Respondeo, antecedens admitti a Bonac. hic punct. 5., & dat disparitatem, quia scilicet ad Deum spectat immediate remittere penas purgatorii: Contra vero immediate consecratur Sacerdos. Sed verius antecedens negandum cum Tamb. de Sacrific. Missæ lib. 2., quia Sacerdos, non Deus, debet immediate applicare fructus Sacrificii; potest tamen applicare illi, quem Deus novit magis indigere, vel illi, quem Titius decrevit, quia ad donationem fructus Sacrificii non est necesse, quod cognoscatur a Sacerdote, is cui donatur: At materia consecranda debet esse certa, & Sacerdoti cognita, quia debet demonstrari per pronomen, Hic.

Sequitur secundo ex Con., non consecrari hostiam in Corporali positam incerto Sacerdote, sejunctam a cumulo, quem intendit consecrare, ut communiter docent contra Dianam part. 2. tract. 1. resol. 19.; qui putat ferri intentionem Sacerdotis in omnem materiam presentem. Ratio communis doctrinæ est, quia in mente Sacerdotis non est determinata talis ho-

stia, & voluntas non fertur in incognitum: Contra vero, si Sacerdos habeat præ manibus duas hostias credens esse unam, utramque consecrat; quia intentio illius est consecrandi totam materiam præsentem; sicuti si plures hostias Sacerdos attulerit ad altare, vel viderit allatas, omnes consecrat, etiamsi dum actu consecrat, non recordetur nisi illius tantum, quam præ manibus habet; quia illa intentio præcedens consecrandi omnes virtualiter perseverat: Et eodem modo, si Sacerdos posuerit unam hostiam, & Sacrista vice illius ponat aliam, inscio Sacerdote, aut etiam duas, illas consecrat, quia materiam illam tunc præsentem vult consecrare.

X. Sequitur tertio, guttas vini, quæ sunt extra calicem, non consecrari. De guttis tamen, quæ sunt intra calicem, separatis, quas Sacerdos nec vult expresse consecrare, nec expresse non consecrare, nonnulli Doctores cum Bonac., Con. Toletio putant, quod consecrentur, quia intentio consecrantis ferri videtur circa totam materiam in calice contentam: Alii vero cum Laym., Suar., Reginald. probabilius negant, quia intentio Ecclesiæ, atque adeo Sacerdotis ferri videtur in id, quod per modum unius in calice continetur demonstrabile per pronomen, Hic; Propterea dubium est, an remaneant consecrata, quoties Sacerdos neque positive vult illas consecrare, nec positive vult illas excludere, sed solum vult materiam illam in calice contentam juxta Ecclesiæ intentionem consecrare. Legitima tamen, & consueta consecrandi intentio, ut notat Con. quæst. 74. de Euch. art. 2. dub. 3. ferri solet in omnem, & solum humorem consecrabilem, qui in calice per modum unius continui continetur; ut proinde consecratur vinum, quod calici adha-

ret, si uniatum cum vino, quod est in fundo; guttæ tamen vini omnino separatae, & a purificatorio non absterfa non consecrentur.

Sequitur quarto, quod si Sacerdos in Sacrario habuerit intentionem consecrandi particulas pro populo, & Sacrista ponat pyxidem super altare intra corporale, quando Sacerdos consecrat hostiam majorem sine memoria harum particularum, tunc istæ remanent consecratae, etiamsi sint in pyxide inclusa: Si vero extra corporale sint posita a Ministro, putat probabiliter Dian. part. 3. tract. 6. resol. 103. & part. 5. tract. 14. resol. 19., quod etiam remaneant consecratae, quia etiam ibi sunt præsentia: Suarius tamen disp. 43. sect. 6. cum Tamb. probabilius negat; quia cum non possit sine culpa consecrari hostia extra aram, & corporale posita, & præsumatur, quod Sacerdos velit consecrare Eucharistiam modo debito, sequitur, quod non dicatur habere intentionem consecrandi illas hostias, quæ sunt in altari extra aram, & corporale.

Neque dicas cum Diana, quod Sacerdos non advertens se esse in mortali valide consecrat, etiamsi nollet consecrare, si id adverteret: Et similiter non advertens hostiam esse fermentatam valide consecrat, etiamsi eodem modo nollet, si adverteret: ergo etiam valide consecrat hostias præsentia extra aram posita, quamvis si adverteret, nollet illas ibi consecrare. Nam responsio est facilis, quia in primis casibus prævalet voluntas conficiendi integrum Sacrificium peccato illi materiali consecrandi inadvertenter in mortali, aut in fermentato: In casu autem nostro habetur integrum Sacrificium, etiamsi Sacerdos particulas illas non consecret: ergo non est præsumendum, quod velit illas consecrare. Quare cum

cum communis sententia doceat esse peccatum consecrare hostiam extra aram, etiamsi sit super corporale, sequitur, quod non remaneant consecrata particulae, si pyxis ista sit super Corporale, & extra aram: Quia tamen res est dubia, ista particulae vel sunt consecrandae in alia missa sub conditione, vel sumi debent a Sacerdote post summptionem Calicis.

XI. Quæritur septimo, quid requiratur ad licitam materiae consecrationem?

Respondeo, requiri, ut non sit major quantitas, quæ possit tempore opportuno consumi, & ut juxta Missalis Rubricas consecretur. Quare debet Sacerdos pyxidem aperire, dum consecrat: Pyxis debet esse in ara, dum consecratur: & si parvæ hostiæ pro communione populi afferantur post factam oblationem, (additque Aversa ante inceptam præfationem) potest illas licite consecrare, suppleta mentaliter oblatione, ex Dian. part. 2. tract. 14. resol. 11. Præterea consecrare debet juxta consuetudinem hostiam grandiolem; hac tamen deficiente, potest in missa privata consecrare particulam, ut notat Tamb. ex Dian. part. 5. tract. 15. resol. 96., dummodo scandalum, & offensio populi declinetur; quod fiet monendo illum de carentia hostiæ grandioris; etenim consuetudo sumendi hostiam grandiolem non obligat ad abstinentiam a Sacrificio, quando solum particulae haberi possunt.

ARTICULUS IV.

De Forma Sacramenti Eucharistici.

- I. *Quanam sint verba essentialia pro consecratione panis.*
- II. *Recitative simul, & enunciative ea verba proferuntur.*
- III. *Dubitant Doctores; an satis sint*

ad validam consecrationem Calicis illa dumtaxat verba, Hic est Calix Sanguinis mei?

- IV. *Quandonam forma consecrationis variatur substantialiter?*
- V. *Ex veritate verborum fit, quod per consecrationem habeatur Transubstantiatio.*
- VI. *Quomodo se habeat Christus Dominus relate ad accidentia Eucharistica?*
- VII. *Christus vi verborum non adducitur, sed producitur sub speciebus.*
- VIII. *Quamdiu Christus in stomacho soleat perseverare.*
- IX. *Quid veniat sub speciebus vi verborum; quid per concomitantiam?*
- X. *Num Personalitas Patris, & Spiritus Sancti veniant per concomitantiam saltem mediate?*

I. **Q**uæritur primo, quanam sit forma consecratoria panis? Respondeo, esse verba illa, *Hoc est Corpus meum*: quibus verbis ex Florent. Christus Dominus consecravit; & apte significatur transubstantiatio, quæ efficitur: Sensus quippe illorum est, quod ea res, seu ea substantia, quæ in fine propositionis continetur sub his accidentibus sit corpus meum, hoc est Christi, in cujus nomine ea verba proferuntur ab ejus Ministro. Illa verba, *quod pro vobis tradetur*, quæ adduntur in Euangelio, non sunt de essentia Sacramenti, ut falso Græci putant; aliter Ecclesia Latina invalide consecraret; & Mattheus, ac Marcus illa non referunt: Neque est de essentia particula illa *Enim*. Imo ex Suar., Con., Fill., Henr. apud Dian. part. 2. tract. 77. resol. 14. contra Fernand., & Nugn., omittens illam sine contemptu non peccat graviter.

II. Quæritur secundo, Utrum forma hæc proferenda sit recitative, & materialiter, hoc est narrando ut floriam,

storiã, an vëro significative, seu enunciative, & formaliter, hoc est volendo affirmare, quod per verba significatur?

Respondeo, Salmeronem contendere, quod verba proferri debeant recitative, in quo sensu habetur in Psalmo: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*: Vasq., quod enunciative; Suar. vëro cum Lug., & Trull., quos sequor, quod utroque modo: proferuntur enim recitative, quia Sacerdos refert, & recitat, quæ Christus fecit, dum dixit, *Accipite, & comedite*, &c. Proferuntur etiam significative, & formaliter, quia intendit Sacerdos efficere, quod per verba significatur, enunciando illud esse corpus Christi; nam ex Florent. Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum.

Oppones, falsum esse nunc, quod sanguis Christi sit effundendus: ergo solum recitative proferuntur hæc verba.

Respondeo, graves Theologos putare, quod Christus Dominus loquutus tunc fuerit non de effusione cruenta in ara Crucis, sed de incruenta, quæ tunc fiebat, & fit quotidie in Sacrificio incruento, & ideo in textu græco dicitur, *Qui effunditur*: Secundo respondeo, formam essentialem proferri enunciative: illa vero verba, quæ sequuntur, tantum recitative.

III. Quæritur tertio, Quænam sit forma consecratoria vini?

Respondeo, esse illa verba, *Hic est calix* &c., usque ad illa, *Hæc quotiescumque*, &c. Dubium tamen est apud Doctores, an sicut non est de essentia ly *Enim*, ita etiam non sint de essentia illa, *Novi, & Æterni Testamenti*, & quæ sequuntur. D. Th. quæst. 78. art. 3., & Thomistæ cum Tolet., Sylv. apud Bonac. putant, omnia isthac esse essentialia; quia omnia conficiunt unicam integram propositionem significantem Christi pas-

sionem, quæ in hoc Sacramento debet exprimi; nomine enim Calicis significatur in Scripturis passio Christi Domini, qui Jo: 18. dixit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Et per ly *Novi, & Æterni Testamenti* significatur, quod sanguis Christi sit confirmatio Testamenti, seu promissionis de danda nobis vita æterna per merita suæ Passionis; aut quod hoc Sacramentum sit quoddam novum Testamentum, quod continetur ultima voluntas Christi desinantis nos ad æternam hæreditatem. Idcirco autem hoc Testamentum dicitur Novum, quia in aliis Testamentis hæreditas non confertur, nisi post mortem testatoris, dicente Apostolo ad Heb. 9. *Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat Testatoris*: In hoc autem Christi testamento Christus vivit in æternum. Est pariter Novum, quia in aliis testamentis pro hæritate conferuntur bona dumtaxat Testatoris; in hoc autem & bona Testatoris nobis conferuntur, & ipsemet Christus Testator; unde dicitur in Psalmis: *Dominus pars hæreditatis meæ; Et pars meæ Deus in æternum*. Communiter tamen cum Suar. disp. 60. sect. 1., docent, solum esse essentialia, seu de necessitate Sacramenti illa verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, reliqua esse de necessitate præcepti; unde fit, ut prolatis illis primis verbis, juxta hanc sententiam, Sacramentum sit adæquate confectum. Ratio doctrinæ est, quia in Sacramentis verba significant, quod efficiunt; sed sola illa verba significant conversionem; ergo sola illa conversionem vini in Sanguinem efficiunt. Præterea singuli Evangelistæ omittunt aliqua ex verbis sequentibus; & illa verba, *Mysterium fidei*, in nullo Evangelista reperiuntur. Præterea Græci etiam omittunt illa verba, *Æterni, & Mysterium fidei*: ergo non sunt de essentia formæ.

Di-

Divum autem Thomam interpretatur Trull., quod velit posteriora verba esse de necessitate præcepti, & essentialia solum ad hoc, ut integre historia, & verba Christi referantur. Quia tamen de hoc dubitatur apud Doctores, ideo bene monent Soto, Filliuc., Bonac., Sacerdotem non debere habere intentionem consecrandi primis illis verbis dumtaxat, quæ nos putamus esse essentialia, neque omnibus, quæ dicuntur essentialia a Thomistis, sed illis, quæ Christus instituit, & juxta intentionem Ecclesiæ. Graviter tamen peccaret, qui illa postrema verba omitteret, quia exponeret Sacramentum periculo frustrationis.

Oppones: In baptismo sunt essentialia verba illa, *In nomine Patris*, &c. licet sola illa, *Ego te baptizo*, significant, quod efficiunt: ergo in Eucharistia erunt essentialia etiam illa, *Novi, & Æterni Testamenti*, licet sola illa, *Hic est calix Sanguinis mei*, significant, quod efficiunt.

Respondeo, etiam illa verba, *In nomine Patris*, &c. in baptismo significare, quod efficiunt, videlicet in virtute trium Personarum id effici. Adde ex Evangelio inferri, quod in Baptismo ea verba essentialiter requirantur; non tamen quod requirantur hæc alia verba in Eucharistia essentialiter; cum non ab omnibus Evangelistis ea referantur: ergo probabilius ea non sunt essentialia.

IV. Quæritur quarto, quænam variatio formæ consecratoris obstat validitati consecrationis?

Respondeo, solam variationem substantialem, qua destruitur significatio verborum, non vero accidentalem: Unde sequitur primo ex Trull., validam esse consecrationem, si dicatur, *Hic cibus est corpus meum*: vel *Hæc res est corpus meum*: vel *Istud est corpus meum*: vel *Hic est corpus meum*, sumpto *ly hic* ut pronomine, non adverbialiter.

Sequitur secundo, validam esse consecrationem, etiam si dicatur, *Hoc est caro mea*, ut docent Con., Henriq., Granad., & alii contra Mercor. apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 76.; etenim etiam in Scriptura Caro sumitur pro toto homine, cum dicitur, *Verbum caro factum est*: Valida etiam est consecratio Sanguinis, si dicatur, *Hic est Calis*, &c., cum non mutet substantialem sensum verborum; nam secundum intentionem proferentis, & communem modum percipiendi idem significat Calis, & Calix; sicut ex D. Th. quæst. 60. art. 3. ad 3. validus est baptisus, si dicatur, *In nomine Patria, Filia*, &c. ut habetur in cap. *Retulerunt de Consecratione*. Imo ex Dian. part. 2. tract. 17. resol. 14. peccaret solum venialiter ob parvitatem materiæ, qui secluso scandalo, & contemptu diceret, Calis.

Sequitur tertio, invalide consecrari hac forma, *Hoc corpus est meum*, vel *Meum est hoc corpus*, ut docet Fagund. apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 78. quia pronomen *Meum* sumeretur possessive, & sensus esset, *Hoc corpus ad me pertinet*, unde non exprimeret conversionem. Hinc etiam invalide consecrat, qui dicit, *Ecce corpus meum*, vel *Hoc corpus meum*, omisso *ly est*, vel *Illud est corpus meum*, vel *Hoc corpus Christi est corpus Christi*; cum non significet conversionem in actu exercito: Vel si dicatur, *Hoc sit corpus meum*, vel *Hoc sit corpus Christi*, vel *Conscio corpus Christi*; Vel si dicatur, *Hic panis est corpus meum*, quia *ly hoc* debet significare, quod est contentum sub speciebus in fine propositionis; aliter falso dicitur, quod panis sit corpus Christi; Veritatem enim suam propositio illa non habet in principio prolationis, sed in fine: Et ratio est, quia veritas, & falsitas non possunt competere nisi integræ propositioni.

Se-

Sequitur quarto, invalide consecrari, si dicatur, *Hoc est corpus Christi*, quia verba non proferrentur in persona Christi, sicut proferenda sunt ex D. Th., Suar., Conink.

Sequitur quinto, probabiliter valide vinum consecrari, dicendo, *Hic est sanguis meus*, cum clarius videatur explicari id, quod dicitur per illa verba, *Hic est calix Sanguinis mei*: Valide etiam fit consecratio, si dicantur verba Lucae 22. *Hic est calix, novum testamentum in meo sanguine*, quam formam adhibitam fuisse in Hispaniis testantur Henricus; & Suar. disp. 60. sect. 2.

V. Quæritur quinto, quid efficiant verba consecratoria?

Respondeo, de fide esse, vi talium verborum fieri transubstantiationem, seu conversionem totius substantiæ panis in corpus, & vini in Sanguinem Christi Domini. Ita Trident. sess. 13. cap. 14. Et ratio est, quia id postulat veritas illorum verborum: Si enim substantia panis non desineret, nec fieret conversio; (sicut non fit conversio ligni in ignem, si non desinat forma ligni) Nec vere diceretur, quod hoc sit corpus Christi, sed solum, quod in eo loco, in quo est panis, esset corpus Christi, ut notat Suar. disp. 49. sect. 2.: Sicut si in crumena sit aurum, & argentum, non potest dici absolute, Hoc est aurum, sed hic, seu in hac crumena est aurum: Et quando in corpore obsessi est demon, potest solum dici, In hoc loco est demon: Tunc autem potest dici, Hic est demon, quando demon in eo corpore haberet aliquas operationes proprias, per quas posset demonstrari: & ideo quamvis ubi est sol, sit Deus, non potest dici, hic est Deus, demonstratio sole, sed solum dici potest, In eo loco est Deus.

VI. Ex quibus sequitur primo, quod accidentia panis, & vini remaneant

alligata corpori Christi, non secus ac prius erant alligata substantiæ panis: Aliter nec haberetur transubstantiatio; (sicut non haberetur conversio ligni in ignem, nisi eadem materia, quæ prius erat unita formæ ligni, esset deinde unita formæ ignis) Nec posset per ea demonstrari Corpus Christi, dicendo, Hoc est corpus. In eo tamen habetur diversitas, quod accidentia Eucharistica substantiam panis ante consecrationem informabant, & ab ea dependebant materialiter; Corpus autem Christi ab iis non informatur: Non enim dicitur Corpus Christi album ab albedine illius hostiæ; Nec dependent ea accidentia a Christi corpore materialiter, sed efficienter: Cæterum eodem modo agunt, & patiuntur, dum sunt unita Christi corpori, & ab eo efficienter conservantur, ac si materialiter sustentarentur a substantia panis: Et si corrumpantur, producitur a Deo nova materia, & forma substantialis proportionata, (verbi gratia, vermibus) non secus ac si panis in vermem converteretur: Et ideo dicuntur accidentia Sacramentalia nutrire: Ac proinde communiter apud Dian. part. 11. tract. 4. resol. 15. Doctores docent, quod frangerent jejunium, si in magna quantitate comederentur.

Sequitur secundo, simul cum quantitate, & qualitatibus panis dari in Sacramento quantitatem, & qualitates Corporis Christi; illas tamen dumtaxat a nobis sentiri; istas vero esse insensibiles, & per modum spiritus; sicut ibi est Corpus Christi; videlicet totum in tota, & totum in qualibet parte hostiæ.

Sequitur tertio, tamdiu Christum Dominum esse in Sacramento, quamdiu illa accidentia panis, & vini perseverant; & tamdiu hæc perseverare, quamdiu perseverare deberent, si essent cum substantia panis, & vini.

Un-

Unde etiam fit, Christum Dominum ad illarum motum moveri localiter, atque adeo per accidens; cum non sit in eo loco per se, sed ratione specierum.

Sequitur quarto, cum omni proprietate dici, quod Christus in Eucharistia attollatur, deponatur, manducetur, quia proprie movetur localiter ad motum accidentium: Contra vero, figurate tantum dicitur, quod videatur, tangatur, frangatur, quatenus, scilicet, accidentia illa videntur, tanguntur, franguntur; juxta illud, *Signi tantum fit fractura*.

Sequitur quinto, quod cum Christus Dominus sit in Sacramento per modum spiritus non alteretur ab agentibus naturalibus, verbi gratia, non calefiat ad presentiam ignis; neque exercent actiones sensuum exteriorum, aut interiorum: verbi gratia, non videt, non audit, &c., ut docent communius: Esto nonnulli putent, quod saltem miraculose possit videre, & audire. Et forte etiam naturaliter Christus D. in Eucharistia potest videre corpora approximata, ut fuit in Cursu Theologico quaest. 7. de Eucharistia propugnavi, inherendo doctrinae Arriagae, ac Nominalium.

VII. Disputant Theologi; Num Christus Dominus sit in Sacramento per adductionem, an per productionem? Alii volunt, quod per adductionem, sicut cum cibus convertitur in substantiam hominis, anima jam producta non reproducitur, sed adducitur ad materiam illam cibi. Verius existimo, quod per productionem, quia ad conversionem, sicut requiritur definitio termini a quo, videlicet, substantiae panis, ita requiritur productio termini ad quem, videlicet, Corporis Christi. Quando autem Anima hominis per aggenerationem adducitur in materiam cibi, tunc non habetur vera conversio, sed transfor-

matio, quatenus materia cibi de una forma transit in aliam.

Confirmatur, quia D. Ambrosius haec habet: *Ubi advenerit consecratio de pane fit Corpus Christi*: D. August. dicit, Carnem, & Sanguinem Christi creari. Paschal. dicit, In Eucharistia Christum efficere, & creare carnem suam: & Ecclesia canit in Hymno *Verbo carnem efficit*: ergo corpus Christi per consecrationem non adducitur, sed producitur.

VIII. Dubitatur tamen, quamdiu in stomacho perseverent species sacramentales, & consequenter ipse Christus?

Respondeo, Medicos praestantissimos docere, quod particula, ut plurimum stomacho alteretur, & corrumpatur in minuto, hoc est, in sexagesima parte horae; etenim calor naturalis singulis horis duas uncias cibi solidi solet consumere, ut Marsilius de sanitate tuenda docet ex usu veterum, qui uno die quadraginta octo uncias cibi solidi solebant sumere. Illa autem particula non pertingit ad sexagesimam partem duarum unciarum: Consequenter Sacerdos ante semiquadrantem solet species consumere; quamvis aliquando per accidens etiam post semihoram aliquis species evomuerit. Ita Lugo de Eucharistia disp. 10. num. 59.

IX. Quares sexto; Quanam ex vi verborum, & quanam per concomitantiam in hoc Sacramento contineantur?

Respondeo, ex Trident. ex vi verborum venire in hostiam solum Corpus, in calicem solum Sanguinem Christi Domini; reliqua vero per concomitantiam. De fide pariter est, quod totus Christus sit in hostia, & in calice; cum Christus Dominus dixerit *Ego sum panis vivus; Qui manducat me, vivet propter me*: ratione enim naturalis connexionis, qua de-

facto Corpus Christi unitur cum sanguine, anima, & Divinitate; & Sanguis similiter unitur cum corpore, anima, & divinitate, fit, ut quamvis ex vi verborum veniat in hostia solum corpus, & in calice solus sanguis, tamen idem omnino Christus sit sub speciebus panis, & sub speciebus vini: Nam, ut notat Lugo disp. 8., eo ipso quod partes sunt unitæ, postulant ex naturali ratione unionis, ut quocumque fertur una, feratur & alia: Hæc enim est natura unionis, ponere aliquam inseparabilitatem inter unita: Præterquamquod ista concomitantia oritur etiam ex necessitate quadam morali; Etenim non videtur decorum, poni alicubi Christum Dominum, qui jam resurrexit, truncum, & mutilum, & corpus ejus sine sanguine, anima, & divinitate; debet quippe, ubicumque est, habere quicquid pertinet ad perfectionem suam, & ornatum; cum ubicumque sit idem, Magnus, & Excelsus. Quod expressit Trident. sess. 13. cap. 3. his verbis: *Statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verusque sanguis sub panis, & vini specie una cum ipso anima, & divinitate existunt; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguis sub vini specie ex vi verborum: Ipsum autem corpus sub vini specie, & sanguis sub specie panis, animam sub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; Divinitas vero propter illam ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem.* Hactenus Trident., Ubi nota illud, Poni corpus vi verborum, significare, quod vi verborum ponatur corpus, etiamsi esset separatum a quocumque alio; atque adeo quia in triduo mortis Corpus Christi Domini erat separatum ab ejus sanguine jam effuso, & anima, si quis Apo-

stolorum eo tempore consecrasset hostiam, in ea tantum poneretur corpus, videlicet, materia organizata (hoc est, cum suis accidentibus) una cum divinitate, a qua nunquam fuit separatum; non tamen Sanguis separatus, & anima; Et in calice solus sanguis cum divinitate veniret, non corpus, aut anima.

X. Dubitant tamen Scholastici, An sicut suo modo concomitanter veniunt in hoc Sacramento personalitas Patris, & Spiritus Sancti, utpote identificata cum divinitate, ut docent communius apud Dicastil. disput. 5. num. 62. contra Nugn., & Hugon. Cardinalem; ita etiam ipsa divinitas, & personalitas Filii veniant concomitanter, an vero vi verborum? Et ratio dubitandi est, quia corpus est aliquid subsistens; ergo debet importare in suo conceptu subsistentiam; cum autem corpus Christi aliam subsistentiam non habeat, quam personalitatem Verbi, sequitur, quod cum vi verborum veniat corpus, veniat etiam personalitas Verbi. Præterea ly *Corpus meum* significat corpus, prout in Verbo, & in persona Christi subsistens; Sed communiter docent, Divinitatem, & personalitatem Verbi venire concomitanter; quod videtur etiam significare Trident. loc. laud. Et ratio est, quia verba significant solum corpus, non personam Verbi: ergo solum corpus venit vi verborum. Quod autem corpus debeat habere suam subsistentiam partialem, non fit, quod in suo conceptu importet illam; Sicut nec anima importat in suo conceptu subsistentiam, quamvis non possit esse sine subsistentia; Quod ex eo patet, quia corpus Christi Domini dicitur natum ex Virgine, & anima Christi dicitur creata, quin tamen subsistentia illius corporis nata sit ex Virgine; aut subsistentia animæ Christi fuerit creata: ergo pariter vi verborum venit cor-

pus.

pus; non vero subsistentia, etiamsi carere non possit subsistentia; sic nec venit ubicatio, etiamsi carere non possit aliqua ubicatio. Ad id, quod additur, respondeo cum Suar., quod quamvis per subsistentiam Verbi, illud sit *Corpus meum*, hoc est, Christi, tamen subsistentia non venit in recto, sed de connotato; sicuti, si brachium meum deberet replicari, & brachium dicatur meum per hoc, quod sit unitum mihi, non per hoc debeo Ego totus replicari; nam *ly meum* idem significat, ac pertinens ad me; unde vi verborum satis est, quod in hostia ponatur corpus pertinens ad personalitatem Verbi; quin ponatur ipsa personalitas Verbi, nisi concomitantur.

Quod attinet ad personalitatem Patris, & Spiritus Sancti, quamvis non pertineant ad Christum constituendum, sicut pertinet Personalitas Verbi, & divinitas, quæ immediate ununtur Corpori, & Sanguini Christi; nihilominus, quia sunt in divinitate per Circumfessionem, ut loquuntur Theologi, & cum divinitate realiter identificantur; idcirco sicut Personalitas Verbi, & divinitas dicunt esse in Eucharistia, non vi verborum, sed per concomitantiam, quatenus immediate ununtur corpori, & sanguini Christi, ita Personalitas Patris, & Spiritus Sancti, quia identificantur cum divinitate, & ideo veluti mediate ununtur cum Christi corpore, & sanguine, idcirco verius docent Suar., & Vasq. apud eundem Dicastil., quod veniant in Eucharistia per concomitantiam magis mediate, quam veniat Verbi Personalitas.

ARTICULUS V.

De Effectibus Sacramenti Eucharistici.

- I. *Quadrifariam potest Christus Dominus in Eucharistia manducari.*
- II. *Primarius Eucharistia effectus est Gratia augmentum.*
- III. *Confertur etiam per Eucharistiam fervor charitatis, & quadam spiritualis dulcedo.*
- IV. *Necnon gratia propria Sacramentalis, seu auxilia ad culpas declinandas, & ad fomitem comescendum.*
- V. *Sicut etiam confert venialium remissionem, aliosque effectus.*
- VI. *Remissio poenæ peccatis debita ex opere operato competit Sacrificio Eucharistico, non Sacramento.*
- VII. *Triplici modo ardorem concupiscentiæ minuit Eucharistia.*
- VIII. *Potest hoc Sacramentum neutraliter suscipi; Et per talem susceptionem satisficit præcepto de Paschali Communionem.*
- IX. *Quoniam instanti suos effectus producat Eucharistia?*
- X. *Num conferat aliquando novam gratiam Eucharistia, dum in stomacho perseverat?*
- XI. *Num gratiam majorem, ac heterogeneam recipiat, qui communicat sub utraque specie panis, & vini, quam qui sub una tantum?*

I. **A**Dverte ex D. Th.; Quadrifariam posse Christum in Eucharistia manducari. Primo Realiter tantum, seu materialiter; ut si non baptizatus communicaret; hic enim cum sit incapax Sacramenti, recipit illud tantum materialiter, quin tamen ullum ejus fructum percipiat. Secundo, tantum Sacramentaliter, ut quando baptizatus scienter communicat in

mor-

mortali; tunc enim recipit quidem Sacramentum, sed nullum ejus fructum percipit, cum ponat illi obicem; imo grave sacrilegium committit. Tertio solum Spiritualiter, videlicet, credendo simul, ac desiderando Christum recipere; in quo casu recipit quidem gratiam, sed non Sacramentalem, cum non recipiat Sacramentum: In hoc sensu August. in cap. 6. Jo. dixit: *Crede, & manducasti*, id est spiritualiter. Quarto Sacramentaliter, & Spiritualiter simul, ut quando in gratia existens viva fide, spe, & charitate communicat; in quo casu percipit omnes effectus Sacramenti.

II. Quæritur nunc primo; Quinam sunt isti effectus.

Respondeo, & dico primo, Eucharistiam causare proprie, & per se augmentum gratiæ. Ita Trident. sess. 13. cap. 2.; Dicitur enim Jo. 6., *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: Est quippe institutum ad nutriendam animam spiritualiter; quod fit per gratiæ augmentum: Quamvis probabiliter possit per accidens, ut supra diximus quaest. 1. art. 5., causare primam gratiam, quando, scilicet, quis invincibiliter ignorans se esse in statu peccati mortalis accedit ad hoc Sacramentum cum sola attritione; tunc enim non ponit obicem gratiæ; sicut non ponit obicem gratiæ, qui accedit ad baptismum, vel penitentiam cum sola attritione: de fide autem est, quod Sacramentum causet gratiam non ponentibus obicem: Quia tamen tenemur ad hoc Sacramentum, quod est vivorum, accedere cum gratia, imo præmissa confessione mortali; ideo dixi, quod per accidens causet primam gratiam solum, quando sumitur ab eo, qui invincibiliter ignorat se esse in statu peccati mortalis. Ubi nota, augmentum gratiæ causari etiam in eo, qui habet complacentiam in peccato veniali, ut no-

tat D. Th. quaest. 78. art. 6. contra Bonac., Cajet., & alios apud Bonac., cum venialia non sint impossibilia cum gratia; non sentit tamen illam suavitatem, & dulcedinem, de qua mox, qui cum affectu ad venialia accedit ad hoc Sacramentum.

III. Dico secundo; Eucharistia, præter gratiam, confert etiam devotionem, & fervorem charitatis cum speciali delectatione, dulcedine, & lætitia Spiritus. Ita communiter cum D. Th., & Suar. disp. 63. sect. 1. Ratio est, quia sicut cibus corporalis non solum nutrit, sed etiam delectat; ita cibus hic Spiritualis: Qui proinde fuit figuratus in Manna omne delectamentum in se habente. Dat itaque animæ eam affluentiam suavitatis, quæ etiam in corpus redundet, ut cor, & caro nostra exultent in Deum vivum, & nihil carnale concupiscant; Impeditur tamen aliquando hæc dulcedo per veniale, vel ob nimias curas, vel ex divino consilio, ut maxime Spirituales humiliantur, ut notat Ledesma.

IV. Dico tertio, confert etiam gratiam Sacramentalem propriam Eucharistiæ, hoc est, auxilia specialia ad vitanda peccata. Ita D. Th. quaest. 79. art. 3. ex Trident. sess. 13. cap. 2., ubi docet, hoc Sacramentum esse institutum, ut antidotum, quo a peccatis præservemur, juxta illud Jo: 6. *Ut si quis ex eo manducet, non moriatur*; Sicut autem cibus corporalis præservat a morte ad tempus, unde necesse est sæpe sumere cibum, ut diutius vivamus; ita cibus spiritualis; Non est tamen, ut supra diximus, absolute necessarius ad vitam conservandam, sicut cibus corporalis; quia aliis viis, puta attritione, elemosyna, jejuniis possumus a Deo obtinere hujusmodi auxilia, quibus a peccatis præservemur.

Præterea ex D. Th. loc. citat. art.

I. Suar., Con., Filliuc., Trull. confert etiam auxilia ad recte operandum, & temperandum fomitem peccati, ad repellendas tentationes, & ad bonos mores in appetitu excitandos; tum quia dæmones effugiunt Christum præsentem; tum quia, sicut cibus corporalis confert robur, & vires ad operandum; ita etiam cibus hic spiritualis.

V. Dico quarto, confert etiam Eucharistia ex opere operato remissionem venialium. Ita D. Th. quæst. 70. artic. 4., Suar. disp. 63. Sect. 10. ex Concilio Coloniensi, & Catechismo Romano; quibus consonat Trident. sess. 13. cap. 2. ubi dicit, quod per hoc Sacramentum liberemur a culpis quotidianis. Ratio est, quia sicut per cibum corporalem reparantur partes deperditæ viventis, ita Eucharistia restaurat deperdita venialia: Quod præstat, vel conferendo immediate remissionem venialium, de quibus non est complacentia sine ulla pravia dispositione, ut probabiliter communis docent; vel mediate excitando fervorem charitatis, ut notat D. Th. loc. citat., & Filliuc.

Demum per Eucharistiam habetur unio spiritualis cum Christo, & fidelibus; Nam ex Lateranensi apud Trull. institutum est hoc Sacramentum ad perficiendum unitatis mysterium; unde Apollolus 1. ad Cor. 11. dicit; *Unum corpus sumus, qui de uno pane, & de uno calice participamus.* Consecutio etiam gloriæ speciali modo est effectus hujus Sacramenti; nam ex Jo: 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Et a Trid. loc. cit. dicitur esse *Pignus felicitatis.* Et ab Ecclesia *Pignus gloriæ.* Resurrectio pariter corporis est effectus Eucharistiæ ex illo Jo: 6. *Qui manducat meam carnem, &c. & ego resuscitabo eum in novissimo die;* Unde a Concilio

Pars V.

Nicano dicitur *Symbolum resurrectionis,* & a Cyril. apud Suar., & Filliuc. *Cibus nutriens ad immortalitatem.*

VI. Rogabis primo, an etiam remissio pœnæ temporalis debitæ, vel in hac vita, vel in purgatorio sit effectus hujus Sacramenti?

Respondeo, quod si Eucharistia sumatur ut Sacrificium, habet remittere pœnas temporales ex opere operato, ut dicemus quæst. sequi.; si vero sumatur ut Sacramentum, hunc effectum non habet immediate; cum neque ex Scripturis, neque ex Conciliis, neque ex Patribus id colligatur, ut notant Fill., & Bonac.: Remittit autem pœnam ex opere operantis juxta valorem actus, & dispositionem sumentis, & quatenus excitat actum Charitatis, qui prodest ad satisfaciendum pro pœna; atque adeo mediate per Eucharistiam remittitur aliqua pœna temporalis juxta quantitatem fervoris ex D. Th. quæst. 70. cap. 4., & 5. Unde fit, quod solum Sacrificium prodest animabus Purgatorii ex opere operato; Communio vero oblata pro illis prodest tantum ex opere operantis, quatenus est actus religionis satisfactorius, & meritorius de congruo; necnon per modum impetrationis, ad quod habet specialem efficaciam excitando fervorem charitatis; Non prodest autem aliis ex opere operato, quia hoc Sacramentum institutum est solum ad sanctificandum ipsum sumentem ex illo Jo: 6. *Qui manducat me & ipse vivet propter me;* Sicut baptismus solum prodest ex opere operato ipsi baptizato.

Rogabis secundo, Quomodo minuat ardorem concupiscentiæ Eucharistia? Et quomodo influat in gloriosam Corporis resurrectionem?

VII. Respondeo minuire primo directe, temperando fervorem sanguinis, & humores, applicando sci-

H li-

licet divinam virtutem, ut vel per se immediate id efficiat, vel per causas secundas, sua providentia illas dirigendo, ut hic effectus sequatur. Secundo per gratias prævenientes, vel avocando alio imaginationem, ne spiritus vitales concitet, vel dando robur animæ, ut possit effervescentiam corporis reprimere. Tertio dando animæ dulcedinem, quæ etiam in corpus redundet; unde a carnalibus abhorreat. Præterea Eucharistia in corporum resurrectionem influit, in quantum Deus movetur ad corpora vivificanda propter conjunctionem, quam habuerunt cum carne Christi vivificatrice. Propterea nonnulli apud Gonetum docent, quod frequenter, ac devote Communicantes post resurrectionem splendorem in corporibus suis specialem sint adepturi.

VIII. Rogabis tertio, An possit aliquando hoc Sacramentum sumi neutraliter, hoc est sine peccato, & sine ullo fructu? Et an per talem susceptionem satisfiat præcepto Communionis Paschalis?

Respondeo ad utrumque affirmative cum Suar. contra Ricchard. apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 98. Potest quidem suscipi neutraliter, & informaliter, hoc est sine gratia, aut ullo effectu hujus Sacramenti ac sine culpa, ut notant Cajet., & Ledesm. apud Trull. Nam si quis peccavit mortaliter, & hujus peccati oblitus accedit ad Eucharistiam sine ullo dolore, putans invincibiliter se esse dispositum, hic profecto nec peccat, quia invincibiliter omittit confessionem; nec gratiam suscipit, quia nulum peccatum remittitur in præfenti ordine sine prævia penitentia, & dolore ipsius. Deinde nulla est ratio, cur talis Communio non sit satis ad satisfaciendum præcepto (quod etiam dicemus de Sacramento penitentiaæ valido, & informi) damnata enim

solum est opinio docens, confessio- nem, & communionem sacrilegam esse sufficientem; nec est eadem ratio de informi, ac de sacrilega, ut patet; & in expositione harum The- sium confixarum latius profecuti sumus in Trutina.

IX. Quæritur secundo; quandonam Eucharistia producat suos effectus?

Respondeo, juxta dicta quæst. 1. art. 5. illos producere in eo instanti, in quo verum est dicere, aliquid Sacramenti manducatum est, seu deglutitum est, & in stomachum trajectum; aut ad summum, quando ad guttur pervenit; siquidem tunc cibus potest dici manducatus, cum incipiat a stomacho attrahi, & alterari. Ratio est, quia Scriptura tribuit effectum hujus Sacramenti manducationi: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Quare si manducata una tantum parte Sacramenti homo moriatur, antequam reliquas partes manducet, effectus hujus Sacramenti jam recepit; quia in illa prima parte est totus Christus, & est verum Sacramentum: Quare quando reliquas partes Sacramenti sumit, non recipit novam gratiam ex opere operato; nisi forte melius se disponat, juxta opinionem Conink, & aliorum de qua diximus qu. 1. art. 5. num. 7., & dicemus quæ- sito sequenti.

Et idem dicas, quando Sacerdos post sumptionem hostiæ, & calicis sumit alias particulas, quæ superfuerunt. Quod si communicans sit in mortali, dum manducat primam partem hostiæ, & antequam alias manducet, eliciat actum contritionis, puto cum Suar. disp. 63. sect. 8. Con., Trull. contra Bonac., & Henr., quod gratiam per reliquas partes recipiat; vel quia, recedente fictione, Sacramentum reviviscit, ut nonnulli apud Henr. putant ex dictis in eadem qu. 1. art. 5., vel quia sumendo reliquas par-

partes, sumit verum Sacramentum sine obice.

Oppones primo, omnia Sacramenta causant effectum suum, quando perficiuntur; ergo Sacramentum Eucharistiæ non causat effectus suos, quando manducatur prima pars hostiæ, sed quando sunt manducatæ omnes.

Respondeo, nego consequentiam. Disparitas est, quia reliqua Sacramenta consistunt in usu, & in actione Ministri, & ideo non possunt causare effectus suos, nisi quando actio Ministri est moraliter completa: Contra vero Eucharistia non causat gratiam, dum fit, sed dum manducatur; ergo si una tantum pars manducetur, habebitur effectus Eucharistiæ. Adde, quod sicut in baptismo, si prolata forma sit sufficienter ablutus infans, causatur gratia, etiamsi Minister ulterius prosequatur abluitionem; ita in casu nostro.

Oppones secundo: Si prima pars hostiæ causat totum effectum, reliquæ partes nihil causarent: sed videtur absurdum dicere, quod reliquæ partes nihil causent; cum contineant totum Christum, & sint verum Sacramentum, quod sufficienter applicatur per comestionem: ergo, ut prius.

Respondeo, quod sicut in collatione baptismi, verbi gratia, causatur gratia physice ab illa parte, quæ tunc existit, quando ultimo posita est materia, & forma, & a reliquis partibus precedentibus causatur gratia moraliter, ut diximus loco laudato; ita quando plures partes Eucharistiæ successive sumuntur, gratia causatur physice a parte, quæ manducatur, & a reliquis quodammodo moraliter; quatenus omnes integrant unam refectionem, & unum individuum Sacramentum, quod completur ex parte deglutita, & ex partibus deglutendis.

X. Quæres tertio; An Eucharistia

gratiam, aliosque effectus causet, dum est in stomacho?

Respondeo, certum esse apud Theologos, quod post primum instans, quo gratia causata est per manducationem, Eucharistia nullum alium effectum causat, dum in stomacho perseverat, si non varietur dispositio suscipientis: Quod si magis, magisque hic se disponat per novos actus, valde probabile est, quod novam gratiam recipiat ex opere operato, quousque Eucharistia in stomacho perseverat, ut ostendimus quæst. 1. art. 5. ex Suar. disp. 63. sect. 4. Con. quæ. 79. num. 28., Lugo disp. 11. num. 46. Cajet., & aliis apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 96. Ratio est, quia Eucharistia confert gratiam per modum nutrimenti, & manducatio est solum conditio requisita; ergo probabiliter animam nutrit, quousque est in stomacho, dummodo suscipiens de novo se disponat; aliter jam suum causavit effectum in primo instanti manducationis.

Confirmatur, quia quandiu habemus in nobis hoc Sacramentum, habemus in nobis fontem gratiarum, quem non convenit arescere, quamdiu volumus ex eo haurire.

Dices primo, promissa est gratia solum manducanti Eucharistiam: ergo non confertur gratia ex opere operato, quousque Eucharistia in stomacho perseverat, etiamsi homo magis, magisque se disponat.

Respondeo cum Conink, promissam esse gratiam manducationi, tam dum est in fieri, quam dum consideratur in facto esse, ut probabiliter asseritur, ex eo quod per modum cibi spiritualis nutriat: ergo quamdiu in stomacho durat nata est gratiam augere, si subjecti capacitas, & dispositio augeatur.

Dices secundo, Hinc aperitur via superstitionibus, videlicet, procuran-

dis hostiis pluribus, quod ab Inquistoribus reprobatur, & puniti saepe sunt, qui id ausi sunt facere.

Respondeo, id jure merito reprobari, tum ne detur ansa credendi, quod major gratia, per se loquendo, conferatur sumenti grandiosem hostiam; tum quia standum consuetudini Ecclesiae, & reverentiae debita Sacramento: Sicut enim ex reverentia Sacramento debita non debet cuilibet permitti quotidiana communio, & nemo potest pluries eodem die communicare; quamvis ex iterata communione novam gratiam recipere; ita nemo debet plures, aut grandiores solito hostias procurare, esto major gratia conferatur ex opere operato illi, qui magis se ad illam disponit, quousque Christus in stomacho deinetur.

XI. Quæritur quarto, An majorem gratiam recipiat, qui communicat sub utraque specie, quam qui sub una tantum?

Respondeo, Conink quaest. 80., Sylv., & alios apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 97. negare. Sed puto cum Becan. cap. 22. quaest. 7., & Fagund., quod esto probabilius sit non conferre per se majorem gratiam (sicut non habet majorem gratiam, qui duas particulas sumit, quam qui unam, ut docet D. Th. quaest. 80. art. 12. ad 3.) quia totus Christus, qui est fons gratiarum, non minus continetur sub una specie, quam sub utraque; nihilominus non est improbableem, quod majore conferat gratiam. Ratio est, quia Clemens VII. concedens Regi Galliae communionem sub utraque specie dicit; id concedere ad majus gratiae augmentum. Et Franciscus Blanco Archiepiscopus Compostellanus, qui Tridentino interfuit, testatus est hanc fuisse unanimum illorum Patrum sententiam; non fuisse tamen definitum, ne Hære-

tici majores turbas moverent ob privationem communionis sub utraque specie illis factam: Videtur tamen Trident. sess. 21. cap. 3. illud oblique docuisse, cum dixit eos, qui sub una specie communicant, *nulla privari gratia necessaria ad salutem*; non dixit autem nulla gratia simpliciter, sed nulla gratia ad salutem necessaria privari.

Probatur autem id ratione, quia tam panis, quam vinum habet significare refectioem, & quidem diversimode: ergo utrumque causabit suam gratiam; aliter in Sacramento daretur aliqua significatio inanis, & aliqua vis significativa, quæ non esset activa.

Confirmatur, quia Christus Dominus promisit gratiam, tam manducanti, quam bibenti. Confirmatur secundo, quia quamvis totus Christus sit sub utraque specie, & sub una tantum; tamen vi verborum in specie panis est solum Corpus Christi; sub utraque vero est corpus, & sanguis: ergo si vi verborum plus est sub utraque specie, quam sub una, majorem gratiam causabit utraque species, quam una. Confirmatur tertio, quia licet totum Sacramentum sit sub una tantum specie; tamen non est integrum, nisi in utraque ratione diversæ significationis, cum panis significet refectioem per modum cibi, vinum per modum potus; ergo licet sit integer Christus in una tantum specie, quia tamen non est integrum Sacramentum, nisi in utraque, non habetur eadem gratia, sed major per utramque speciem. Illam vero censeo esse homogeam; tum, ne dicamus laicos privari aliqua gratia Sacramentali, dum prohibetur illis communio sub utraque specie; tum etiam quia ex Trident. totum Sacramentum sumit, qui unam tantum speciem suscipit.

Dices: Ex hac ratione videtur sequi, quod sicut per utramque speciem non confertur gratia heterogenea, ita neque conferatur gratia major, ne dicamus Tridentinum privasse laicos hac gratia majori.

Respondeo, non esse absurdum, quod propter reverentiam debitam Sacramento priventur homines aliqua gratia Sacramentali majori, quam aliqui suscipere. Sic dum prohibetur dare Eucharistiam infantibus, dum prohibetur, ne quis pluries in die communicet, aut celebret, privantur homines gratia, quam reciperent, si sæpius in die celebrarent; nihilominus ob reverentiam Sacramento debitam apte id prohibetur; sic in casu nostro: Unde non est absolum dicere, quod Ecclesia prohibendo Laicis, ne communicent sub utraque specie ob reverentiam Sacramenti privet illos aliqua majore gratia; absolum vero esset, si privaret illos gratia diversæ rationis; & ideo dicimus gratiam, quæ per utramque speciem confertur, probabiliter esse majorem, non vero heterogeneam. Non negandum tamen, quod si gratia Sacramentalis propria hujus Sacramenti, explicata per exigentiam auxiliorum specialium, causata ab utraque specie, esset heterogenea, ut multi probabiliter opinantur, prout innuimus art. 1. num. 6; adhuc rationabiliter posset ob reverentiam Sacramento debitam, Ecclesia prohibere Laicis Communionem sub utraque specie, quia isthæc auxilia diversimodè potuissent a Laicis a Deo obtineri aliis viis, puta, orationibus, jeuniis, elemosynis, ac frequentiori susceptione aliorum Sacramentorum; esto non adeo connaturalius istis viis conferantur.

Part V.

ARTICULUS VI.

De Suscipiente Eucharistiam. Quinam sit illius capax?

- I. Incapax est hujus Sacramenti, qui non est baptizatus; Sicut etiam Angeli, ac Beati; necnon adulti inviti illam suscipientes.
- II. Capax vero omnis baptizatus: Infantibus tamen ne in articulo quidem mortis dari debet.
- III. Si puer ob gulam consecratis particulis sumeret, num perciperet fructum Sacramenti?
- IV. Quid de perpetuo amenibus, de phreneticis, semisatis, & stolidis?
- V. Cur Eucharistia non soleat dari parvulis in Paschate ante circiter decennium, dari vero debeat stolidis, ac semisatis, qui debiliore usu rationis fruuntur, quam illi parvuli.

I. **D**iximus art. 2., quinam præcepto divino, & quinam præcepto Ecclesiastico teneantur hoc Sacramentum suscipere: Nunc inquirendum, quinam sint hujus Sacramenti capaces? ac deinde quæremus, quanam dispositio requiratur in suscipiente ex parte animæ, & quanam ex parte corporis.

Certum est primo, neminem non baptizatum, ne Cathecumenum quidem esse hujus Sacramenti capaxem, ita ut possit sacramentaliter illud suscipere percipiendo ejus fructus, ut omnes docent contra Marsil. in 4. quæst. 6. art. 2. Ratio est, quia ex communi sensu Theologorum Baptismus est janua Sacramentorum, & Ecclesiæ; unde nemo potest ad alia Sacramenta pervenire, nisi per baptismum transierit; & in casu nostro non potest homo spiritualiter nutriri per Eucharistiam, nisi sit regeneratus per baptismum.

H 3

Cer.

Certum est secundo, Angelos, ac Beatos esse ejusdem incapaces juxta dicta quaest. 1. art. 7. ; ubi etiam diximus, quod si adultus invitus Eucharistiam sumeret, illam non sacramentaliter, sed materialiter, & ad modum bruti susciperet; immo cum sacrilegio.

Certum est tertio, omnem baptismum esse hujus Sacramenti capacem, ita ut si daretur Eucharistia infanti, vel fatuo a nativitate, Sacramentum non materialiter tantum susciperetur, sicut susciperetur ab infideli, vel a bruto; sed sacramentaliter, & cum fructu: Quod probatur, tum quia infantes sunt capaces baptismi, Confirmationis, & Ordinis: ergo etiam Eucharistiae; cum ad haec Sacramenta suscipienda nulla requiratur intentio in infantibus, ut diximus quaest. 1. art. 7. ; Tum etiam, quia olim fuit antiquus usus Ecclesiae, quod infantibus post baptismum daretur Confirmatio, & Eucharistia, ut advertunt August. Dionys. Ambros., & ex Trident. sess. 21. cap. 4. : quamvis ob reverentiam tanto Sacramento debitam, talis consuetudo, quae tunc erat laudabilis ob multas Ecclesiae persecutiones, unde etiam pueri debuerant Sacramentis confirmari, nunc merito sublata sit, ita ut non liceat infantibus carentibus usu rationis Sacramentum Eucharistiae dare, ne in articulo quidem mortis ex tacito Ecclesiae praecipio (ut docent communiter Doctores cum Tamb.) fundato in consuetudine Ecclesiae, quae videtur approbata in Rituali Romano. Nihilominus ex Lugo disp. 13. num. 44. non obligat talis consuetudo cum tanto rigore, ut non possit dari Eucharistia infantibus, de quibus dubitatur, an usum rationis habeant: Etenim cum iis possit dari extrema Unctio (ut declaratur in Rubricis Ritualis Romani) quamvis non sint capaces illius Sacramenti, qui usum rationis nun-

quam habuerunt (cum enim non poterint peccare, non potest illis dari Sacramentum institutum ad delendas reliquias peccatorum) a fortiori poterit illis dari Sacramentum Eucharistiae, cujus infantes sunt capaces: Immo deberet iis conferri in articulo mortis post septimum annum ante decimum, quando solent esse obligati ad Communionem paschalem; Sicut debet iis dari extrema Unctio: ut communius docent contra Vasqu. de Eucharistia disp. 144. num. 41. , & Hurt. disp. 10. diff. 4. apud Tamb. c. 5. §. 8.

III. Dubitatur, Num reciperet gratiam Sacramentalem infans, qui casu hostiam, vel vinum consecratum inveniret, & ob gulam sumeret?

Videtur gravissimis Doctoribus id concedendum, eo quod ad suscipiendum fructum hujus Sacramenti nulla requiratur in infantibus intentio actualis, aut virtualis, aut habitualis.

Neque dicas, quod ad conferenda Sacramenta infantibus requiratur in Ministro intentio illud conferendi, quae non haberetur in casu. Nam id gratis asseritur; si enim adultus potest sacramentaliter Eucharistiam suscipere, etiam Aquila illam ministrante, in qua nulla potest esse intentio conferendi Sacramentum; quare infantes si ab Aquila etiam reciperent particulam, non reciperent illam sacramentaliter? Quod si particula collata infanti a bruto causat effectus suos, etiam causabit, si casu, vel ob gulam ab infante sumatur.

IV. Certum est quarto, Amentes, qui nunquam habuerunt usum rationis habendos esse tanquam infantes, ita ut capaces quidem sint hujus Sacramenti, illis tamen ministrari non debeat, ne in articulo quidem mortis, ut diximus art. 2. num. 9. Amentibus vero, & Phreneticis, qui ali-

quan-

quando habuerunt usum rationis, danda est in articulo mortis Eucharistia, sicut & Extrema Unctio, si non constet fuisse ante amentiam, ac perseverasse in aliquo peccato notorio, & non sit periculum irreverentiæ; quia censentur interpretative hæc Sacramenta petere.

Nec est eadem ratio de Sacramento pœnitentiæ, ac de istis Sacramentis. Nam ad Sacramentum pœnitentiæ requiritur dolor, tamquam pars constitutiva illius; unde si non doleant, nec dent signa saltem dubia doloris, non potest illis conferri absolutio; quia tamen dolor in confessione requisitus non necessario debet procedere ex intentione confessionis, ut putat Lugo de Pœnit. disp. 14. sect. 2. apud Tamb., ideo concedunt multi, quod moribundo, qui christiane vixit, possit dari absolutio sub conditione, etiamsi Sacramentum pœnitentiæ non petierit, dummodo det aliqua signa saltem dubia doloris, quia unusquisque Christianus præsumitur velle in articulo mortis Sacramentis Ecclesiæ muniri, & hæc intentio satis est ad valide Sacramenta suscipienda. Adde, quod quamvis communiter velint dolorem debere facere unum moraliter cum confessione (ut si quis hodie doleat proponens cras confiteri, & dolorem non revocet). Ex Leand. tamen de Sacram. tract. 5. disp. 7. art. 6., ubi citat Hurt. & Candid., ad Sacramentum pœnitentiæ suscipiendum satis est dolor, qui per quodcumque spatium longi temporis præcessit, dummodo non sit retractatus, ne implicite quidem: Quidquid sit de hac sententia quam in tractatu de Pœnitentia discutimus, certe ex ea sequitur, quod moribundus possit Sacramentum Pœnitentiæ suscipere, si minus vi doloris, quem actu habeat, & cujus det aliqua signa, tamen vi doloris antecedentis. Propterea Na-

var. probabiliter docet apud Tamb. hic cap. 5. §. 9., quod infirmo alienato a ratione possit dari absolutio sub conditione, & Eucharistia; etiamsi obstinatus in mortali multo tempore vixisset, & per multos annos non confessus fuisset, dummodo det aliqua signa doloris, verbi gratia, tollendo manus, percutiendo pectus, &c., immo ipsa anxia respiratio aliquibus videtur esse sufficiens signum, licet dubium, doloris, si aliter non possit illum manifestare; quia sæpe contingit, ut in articulo mortis homo doleat, nec possit aliter signa doloris exprimere. Unde fit etiam, huiusmodi signum non esse dumtaxat dubium, sed probabile, & prudens; quia universim etiam peccatores, quando advertunt instare mortem, solent saltem atteri de peccatis; & ideo ex communiter contingentibus bene præsumi potest, quod talis moribundus doleat, & sic sine scrupulo dari illis potest absolutio sub conditione, & Sacrum Viaticum.

Rogabis; utrum etiam huiusmodi amentes gratiam, & fructum Eucharistiæ reciperent, si casu hostiam consecratam invenirent, & illam sumerent?

Respondeo, quod perpetuo amentes, quia reputantur ut pueri, fructum Sacramenti reciperent, prout diximus de pueris; At qui habuerunt aliquando usum rationis, in articulo quidem mortis fructum Eucharistiæ perciperent, non vero quando casu hostiam consecratam sumerent. Ratio est, quia cum requiratur in adulto intentio aliqua, saltem habitualis, suscipiendi Sacramentum ex dictis qu. 1. art. 7., amens ante amentiam, si christiane vixit, habuit quidem intentionem suscipiendi Eucharistiæ Sacramentum in articulo mortis; non tamen si casu hostiam consecratam sumeret, & ideo solum in articulo mor-

tis Eucharistia sumeretur sacramentaliter, & cum fructu; Quando vero casu illam sumeret, non reciperet cum fructu: Ad eum modum, quo si homo mentis compos hostiam sumit, quam nescit esse consecratam, non sumit illam sacramentaliter, & cum fructu; sed solum materialiter. Quod si contingat, amentem ante amentiam habuisse voluntatem expressam suscipiendi Sacramentum Eucharistiae, etiam si casu hostiam consecratam sumeret, puto, quod in hoc casu fructum Sacramenti reciperet: Et eadem est ratio, si homo mentis compos habeat voluntatem suscipiendi hoc Sacramentum, quoties Eucharistiam sumeret cum ignorantia invincibili, quod esset consecrata.

Demum, amentibus, qui habuerunt aliquando usum rationis, non solum in articulo mortis danda est Eucharistia, sed Villal. cum Tamb. cap. 4. sect. 1. probabiliter putant, quod possit illis aliquoties extra mortis articulum concedi; praesertim si retineant reverentiam huic Sacramento, ut solent Religiosi, qui incidunt in amentiam; idque multo magis si luce aliqua rationis aliquando fruuntur. Immo Henr. lib. 8. cap. 42. art. 3., & 4. putat semifatuis debere in Paschate dari Eucharistiam, & Jo. Sancijs apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 79. posse illis ministrari, quoties petierint; quia si non committitur irreverentia communicando illos in Paschate, nec si communicent extra tempus paschale. At Januarius part. 1. resol. 17. apud Tamb. docet non esse illis saepe dandam, ne ex frequentia concipiant irreverentiam; Et idem dicas de Mutis, & Surdis a nativitate, & de Stolidis, ac iis, qui debili rationis usu pollent.

V. Dices; non est universim danda Eucharistia in Paschate parvulis ante circiter decennium, quia non ha-

bent perfectum rationis usum; ergo a fortiori non est danda stolidis, ac semifatuis, qui usum rationis debiliorem habent, quam isti parvuli.

Respondeo, nego consequentiam; Disparitas est ex Tamb. loc. citat., & Sanch. de Matrim. lib. 1. disp. 8. num. 12., quia in parvulis est spes perfectioris iudicii, quando poterunt reverenter Eucharistiam recipere, ut praecipitur in cap. *Omnis utriusque sexus*; At cum semifatui non sperentur meliorandi, semper deneganda iis esset Eucharistia, quod pia mater Ecclesia non patitur.

ARTICULUS VII.

De dispositione ex parte animi ad Eucharistiam requisita.

- I. *Quanta sit peccati gravitas communicare in statu peccati mortalis?*
- II. *Num sit culpa venialis ad Eucharistiam accedere cum culpis venialibus non retractatis?*
- III. *Obligatur Sacerdos quamprimum post missam confiteri, si deficiente copia Confessarii celebravit cum sola contritione de mortali, quod erat in conscientia, necessitate urgente.*
- IV. *Num dicatur esse necessitas sufficiens ad sic celebrandum, ut satisfiat precepto de Missa audienda in die festo?*
- V. *Quanam universim censenda sit urgente necessitas celebrandi non praemissa confessione?*
- VI. *Ad quid tenetur, qui habens peccata reservata simul, & non reservata, nequit adire Superiorem, sed habet copiam Confessarii inferioris?*
- VII. *Num liceat simplici Sacerdoti absolvere a mortalibus indirecte?*
- VIII. *Qui post Confessionem recordatur alicujus mortalis, teneturne de novo*

vo ante Communionem confiteri?

- IX. Quid si quis recordetur peccati dubii, sive dubietas sit positiva, sive negativa?
- X. Quandoam liceat peccatori communicare, neque Confessione praemisissa, neque contritione?
- XI. Num liceat Laicis communicare quotidie?

I. AD Eucharistiam sumendam multa requiruntur, tam ex parte animi, quam ex parte corporis, ut digne, ac cum debita reverentia sumatur. Integra isthac dispositio continetur in iis duobus versibus:

*Lotus, discretus, sanus, jejunus,
& aptus,
Contritus, fassus, mundus, recte-
que paratus.*

Nam suscipiens hoc Sacramentum, Primo debet esse *Lotus*, idest baptizatus; Secundo *Discretus*, idest habere annos discretionis; Tertio debet esse *Sanus*, unde arcentur infirmi, in quibus ob frequentes vomitus, aut tussim timeretur irreverentia erga Eucharistiam; Quarto debet esse *Jejunus*: Quinto *Aptus*, nam per excommunicationem, vel Interdictum personale homo redditur ineptus ad Eucharistiam; Sexto, *Contritus*, hoc est sine conscientia peccati mortalis; Septimo, *Fassus*, peccator enim non satis est, si conteratur, sed debet etiam praemittere communioni confessionem. Octavo, *Mundus*, idest non pollutus. Demum *Recte paratus*, idest devotus, & attentus. Agemus hic de dispositionibus istis, quae pertinent ad animam, deinde de iis, quae ad corpus pertinent. Est autem dispositio ex parte animae, quod suscipiens sit baptizatus, quod habeat intentionem suscipiendi Sacramentum, quod non sit excommunicatus, aut perlonaliter interdictus, &c., quod sit contritus, & confessus.

Quaeritur nunc primo, Quanta sit culpa gravitas accedere ad communionem cum mortali?

Respondeo, esse sacrilegium contra virtutem Religionis; relate ad quam in tertio gradu, seu ordine constituitur a D. Th. In primo enim gradu sunt peccata contra Divinitatem, verbi gratia, odium Dei, blasphemia, perjurium, apostasia, haeresis, desperatio: In secundo gradu peccata commissa contra Christi humanitatem in propria specie, ut peccatum crucifigentium Dominum. In tertio peccata commissa contra Christum in aliena specie, seu contra hoc Sacramentum, videlicet, indigna ejus susceptio; In quo etiam genere, unum peccatum est gravius alio; nam, verbi gratia, gravius est conculcare, aut projicere canibus hoc Sacramentum, quam indigne suscipere; At gravius est secundum se indigne suscipere Eucharistiam, quam homicidium, quia hoc est contra virtutem justitiae, illud contra virtutem religionis, quae est praestantior; quamvis homicidium per accidens ratione damni irreparabilis reputetur gravius. Univerfim tamen caeteris paribus est gravius peccatum, quod est contra virtutem praestantior: at si non sint caetera paria, potest esse gravius peccatum, quod est contra virtutem minus praestantem: Sic gravior est fornicatio, quam parvum furtum, licet furtum sit contra virtutem praestantior.

Notat hic Ledesm. apud Trull., quod Sacerdos celebrans in mortali, multis titulis sacrilege peccet, videlicet, quia consecrat, offert Sacrificium, ministrat sibi, & accipit Sacramentum, recitat Epistolam, & Euangelium indigne; quia tamen omnes istae actiones faciunt unum moraliter, & procedunt ab eadem specie irreverentiae, quod indigne tractetur hoc Sacramentum; ideo unum moraliter sacrile-

crilegium censetur: Quamvis alii apud Dian. part. 1. tract. 14. resol. 24. putent esse plura peccata, eo quod aliud sit suscipere indigne, aliud indigne ministrare Sacramentum, aliud offerre Sacrificium indigne: Eodem modo Suar. disp. 66. sect. 1. apud Tamb. in Method. Commun. lib. 1. cap. 1. §. 3. docet esse duo peccata, si quis, verbi gratia, communicet cum excommunicatione, aut non jejunos, alterum contra præceptum naturale, ne Sancta indigne tractentur, alterum contra Ecclesiasticum, ne excommunicatus, aut non jejunos cum mortali ad Eucharistiam accedat. Hurt. tamen disp. 9. de Euch. diff. 1. docet esse unum peccatum, quia duo illa præcepta procedunt ex eodem motivo religionis, seu reverentiæ debitæ Christo.

II. Quæritur secundo, an sit veniale accedere ad Eucharistiam cum veniali?

Respondeo, certum esse, quod si quis accedat ad Eucharistiam ob finem venialiter malum, verbi gratia, ob vanam gloriam, peccet venialiter. Dubium tamen est, an peccet de novo venialiter, qui accedit ad Eucharistiam, vel cum venialibus non prius retractatis, vel cum actuali affectu ad aliquod veniale? Suar. loc. citat. sect. 4., & Lugo disp. 14. sect. 2. affirmant, quia irreverentia venialis est cum hujusmodi maculis, quasi cum veste nuptiali aequaliter fordida, tanto convivio interesset. At negat Vasq. disp. 207. num. 18. cum Joan. Sanc., & Sà; quia ex una parte per veniale non impeditur præcipuus effectus hujus Sacramenti; ex altera parte non tenetur homo ex reverentiâ debita huic Sacramento disponere se ad illud cum omnibus actibus, quos potest elicere: Quare sicut non peccat venialiter, quia non procurat omnem effectum, quem causare potest Eucharistia cum

omnibus actibus intensissimis, quos potest elicere, ita nec videtur peccare venialiter, qui ad illud non se disponit removendo ab anima omne veniale. Utraque sententia videtur probabilis Tamb.; Sed prima mihi videtur probabilior: Communiter enim Doctores docent esse veniale ad Eucharistiam accedere, etiam cum sola voluntaria distractione; verbi gratia, si quis, dum communicat, mente agitat profana negotia; quia censetur non levis irreverentia tantum hospitem sic suscipere; a fortiori itaque erit veniale cum venialibus non retractatis, illud quasi in domum conspurcatam suscipere, & multo magis si cum affectu habituali ad veniale; nam si esset cum actuali affectu ad veniale, nemo dixerit, quod novum veniale Sacriligium non committeret propter irreverentiam: Præsertim, quia ponit obicem aliquibus effectibus, quamvis non præcipuis hujus Sacramenti, videlicet eorum remissioni, fervori charitatis, & Spirituali dulcedini, ut notat Laym. apud Dian. part. 3. tract. 7. resol. 31.

III. Quæritur tertio, An conscius sibi peccati mortalis, teneatur Eucharistiæ præmittere etiam confessionem Sacramentalem?

Respondeo affirmative. Ita Trident. sess. 13. cap. 5. Et Suar. ex Sanctis Patribus docet, id haberi ex præcepto Christi Domini per Apostolos Ecclesiæ tradito, & expresso ab Apostolo per illa verba: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, &c.*; Quare ad reliqua Sacramenta sufficit, ut peccati mortalis sibi conscius contritionem præmittat; ad hoc autem Sacramentum suscipiendum debet etiam præmitti confessio Sacramentalis, idque ratione excellentiæ hujus Sacramenti præ reliquis. In eo tantum casu potest ad Eucharistiam aliquis cum sola contritione accedere, quan-

quando, scilicet, urgeret necessitas communicandi, verbi gratia, ad vitandum scandalum, vel periculum mortis, &c., & non adesset copia confessarii: in quo casu docet Trident., quod Sacerdos sic celebrans teneatur post Missam confiteri quamprimum, videlicet, intra triduum, ut communiter Doctores explicant ex *leg. fin. eod. de Judiciis*; ubi illico dicitur fieri, quod fit intra triduum: Et damnata est ab Alex. VII. opinio illa, quam olim nonnulli docuerant apud Dian. part. 1. tract. 14. resol. 60.; quod particula illa *Quamprimum* intelligatur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur: Sicut etiam damnata est in propositione 39. opinio dicentium, quod hoc sit consilium non præceptum; quamvis hoc præceptum solum urgeat Sacerdotes sic celebrantes, non vero solum communicantes, ut communiter etiam Doctores cum Con. docent contra Navar., & Fagund. apud Dian. loc. citat. Et ratio disparitatis est, quia cum sæpius possit accidere Sacerdoti, quod hoc pacto celebret, quam quod alter sic communicet; ideo illi tantum hoc præceptum injungendum fuit: Et quidem, ut putant Valq., & Suar., si sic celebret, quia deest copia confessarii, non ex alio capite, puta, quia ex malitia velit confessionem omittere, vel quia habens copiam confessarii non confiteatur, ne notam infamiam incurrat, ut docet Sayr. contra Regin. apud Dian. loc. citat. resol. 61.

IV. Nonnulli cum Vega, Rodrig., Henr., Tolet. contra Suar., Con. & alios apud Dian. part. 1. tract. 14. resol. 63. opinantur, quod possit Sacerdos, si deit copia confessarii, præmissa solum contritione de mortali, quod est in conscientia, celebrare ad satisfaciendum præcepto in die festo de Missa audienda: verbi gratia, si iter

agens, non possit ab alio Sacerdote audire missam, ut mox dicemus quæsit. 5.

Neque dicas, quod præceptum non communicandi non præmissa confessione sit divinum; præceptum vero audiendi missam die festo sit Ecclesiasticum, atque adeo debeat hoc illi cedere. Nam primo probabile est ex Lessl., Præpos., & aliis hoc præceptum de confitendo ante communionem esse solum juris humani, ex consuetudine, scilicet, in Ecclesia introducta: Secundo præceptum hoc expressum in Trident. est de confitendo ante communionem, nisi urgeat necessitas, & desit copia confessarii; probabile autem est obligationem audiendi missam die festo vocari sufficientem necessitatem ad communicandum cum sola contritione. Immo a Dian. loc. citat. resol. 64. putatur etiam sufficiens necessitas ad sic celebrandum, si non possint alii aliter satisfacere præcepto de audienda missa die festo; vel si non possit aliter ipse, vel alii satisfacere præcepto communionis paschalis; Quia tamen est probabilis, imo etiam me iudice probabilior, sententia opposita, ideo Sacerdos ad id non tenetur, cum possit, velle oppositam opinionem sequi.

V. Quæritur quarto; quænam universim dicatur urgens necessitas, qua possit aliquis communicare cum sola contritione, non præmissa confessione mortalium?

Respondeo, dici necessitatem urgentem, Primo, si alicui mors imminet; Secundo, si non sit copia confessarii, & debeat alteri dari viaticum; Quamvis enim non debeat aliquis celebrare sine sacris vestibus, aut non jejunus, aut sub una tantum specie consecrare ad dandum alteri viaticum; quia prævalet præceptum de integre, & reverenter sacrificando; potest tamen cum sola contritione Sa-

cer-

cerdos celebrare ad dandum viaticum, si aliunde haberi non potest, quia hoc præceptum præmittendi communionem confessioni, etiamsi divinum, non videtur cum tanto rigore obligare. Tertio, si id opus sit ad vitandam infamiam, aut grave detrimentum. Unde, si quis post confessionem accessit ad altare ante linteum, ut communicet, & interim recordetur alicujus mortalis, non tenetur adire confessarium, si timeat sibi notam infamiae; quam ex Villalob. in Manual. cap. 2. moraliter semper time re potest, si coram aliis communicet. Hinc docet Zambran., quod si Sacerdos vocetur ad communicandum infirmum, qui velit prius reconciliari, & Sacerdos ob multas, verbi gratia, confessiones invalidas non possit illum brevi expedire, ad vitandum scandalum potest illum prævia tamen contritione communicare, cum proposito, quod advocet postmodum confessarium, cum quo integre confiteatur. Equidem tamen existimo cum Granad., quod posset illum directe absolvere a peccatis auditis, & indirecte de aliis, quæ non potest tunc exponere moraliter, præmissa solum attritione. Quarto, ut supra diximus, si Sacerdos, ut ipse, vel alii satisfaciant præcepto de audiendo Sacro, vel communionis paschalis, debeat celebrare, nec habeat copiam confessarii. Addunt alii apud Bonac. disp. 4. quæst. 6. num. 23., quod possit idem facere Sacerdos, si non possit aliter satisfacere oneribus Cappellanæ, aut si indigeat eleemosyna. Verum id non admittitur communiter, nisi quando indigentia eleemosynæ pro Missa esset admodum gravis; nam onera Cappellanæ intelliguntur data sub debita decentia. Certe non potest id facere Sacerdos, si debeat celebrare propter votum, quia vota non intelliguntur, nisi de iis, quæ debito

modo fieri possunt. Et idem communius docent de præcepto humano. Unde cenfeo, probabilius esse, quod non possit Sacerdos sic celebrare, ut satisfaciat præcepto de audienda Missa, quod præceptum citra controversiam humanum est, non divinum.

Notandum hic ex Suar. disp. 67. sect. 7., quod quando dicitur posse aliquis ad vitandum scandalum communicare cum sola contritione, si non habeat copiam confessarii, intelligendum sit de scandalo proprie dicto, quod ferat occasionem detrahendi, vel temere judicandi, vel proximum infamandi, &c., non vero quando solum datur causa admirationis sine scandalo, aut periculo infamiae.

Notandum secundo cum Conink quæst. 80. num. 23., non posse assignari certam regulam, & certam distinctionem, ut confessarius dicatur alicui abesse, sed ex circumstantiis arbitrio prudentis viri id decernendum. Solum id generatim dici potest, quod tunc censeatur abesse confessarius, quando ob invaletudinem, difficultatem itineris, brevitatem temporis, præsentiam aliorum, urgentia negotia, & similes causas non potest aliquis ad illum adire sine gravi incommodo.

VI. Quæritur quinto; quid faciet habens peccatum aliquod reservatum urgente necessitate communionis, si adsit confessarius, qui solum a non reservatis possit absolvere? Poteritne communicare, non præmissa confessione; an vero tenetur confiteri? Et si tenetur confiteri; Omniane peccata debet confiteri, reservata scilicet, & non reservata, an vero solum non reservata, cum onere confitendi deinde reservata Superiori?

Respondeo ex fufe dicendis in de Pœnitentia, triplicem in hac re esse opinionem. Prima est Jo: Sancio, Armil., Trull., Præposit. apud Dian. loc.

loc. citat. resol. 65., quod possit præmissa tantum contritione ad Eucharistiam accedere; tum quia putare potest, quod non habeat copiam confessorii, dum non adest Sacerdos, a quo possit integre absolvi; tum quia videtur grave onus eadem peccata bis confiteri. Immo sic debere fieri docet Hurt. de Pœnit. disp. 11. diff. 4., & Valsq. in 3. part. tom. 4. tract. de Excommun. dub. 4., si peccato sit annexa excommunicatio reservata, ut videre est apud Dian. 3. part. tract. 5. resol. 68., quia posita excommunicatione reservata, nullam habet talis Sacerdos erga hunc pœnitentem jurisdictionem. Secunda opinio est Suarii docentis debere omnia peccata reservata simul, & non reservata illi confessorio aperire, ut indirecte a reservatis absolvatur: Unde remanet onus aperiendi deinde solum reservata superiori. Nec mirum, quod possit talis Sacerdos absolvere indirecte a casibus etiam cum excommunicatione reservatis, quia sicut id potest si pœnitens oblitus esset peccati habentis excommunicationem reservatam; ita potest in hoc etiam casu indirecte absolvere. Tertia opinio Alesii, Soti, & aliorum apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 104., & Jo: Lugo apud Tamb. in Meth. Commun. cap. 1. §. 6. docet, posse hunc aperire solum peccata non reservata, quia cum non possit talis confessorius absolvere a reservatis, istorum confessio ad aliud non erit utilis, quam ad diffamandum se cum tali confessorio. Quod confirmatur, quia ex Suar. de Pœnit. disp. 23. Granad., & aliis apud Tamb., qui habet reservata simul, & non reservata potest cum inferiori confiteri tantum non reservata, ob id solum, ne multum differat confessionem, aut communionem; tum quia longa mora videtur necessitas; tum quia est periculum moriendi in peccato; ergo

a fortiori in casu nostro. Non dicitur tamen longa mora si debeat expectare paucos dies; Nec est audiendus Mendoza apud Dian. part. 5. tract. 13. resol. 8. putans esse longam moram, etiam unam noctem, eo quod in ea sit aliquod periculum moriendi. Omnes istæ tres opiniones reputantur probabiles a Filliuc., sed opinio Suarii videtur sequenda.

VII. Dices: si habens non reservata, & reservata cum excommunicatione, deberet confiteri omnia Sacerdoti inferiori, urgente necessitate communionis, ut directe a non reservatis, & indirecte a reservatis absolvatur, sequeretur quod habens venialia simul & mortalia, præsentem solo simplici Sacerdote, & urgente necessitate communionis, deberet etiam huic simplici Sacerdoti aperire venialia, & mortalia, ut directe a venialibus, erga quæ ille habet jurisdictionem, indirecte a mortalibus absolvatur; quod tamen videtur absolum.

Respondeo primo, quod si transmittatur sequela, non debeat videri absurda, cum ex paritate adducta legitime sequi videatur; illamque admittit tamquam probabilem Lugo disp. 14. de Euch. num. 98. ex Con., & Suar. Respondeo deinde secundo, negari posse sequelam; disparitas esse possit ipse usus Ecclesiæ; non enim datur consuetudo hujus secundi casus, sicut datur primi; & ideo dici potest, quod Ecclesia, quæ reservat aliquem casum, vel excommunicationem, sicut non reservat illam in casu, quod pœnitens obliviscatur talis peccati, ita nec in casu adducto, quod urgeat necessitas communionis. Contra vero, in secundo casu non dat simplici Sacerdoti Ecclesia jurisdictionem in mortalia, ne indirecte quidem; præsertim quia non vult a simplici Sacerdote exerceri munus Confessorii. Et Innoc. XI. decrevit puniendos esse
sim.

simplices Sacerdotes, si id praesumant.

VIII. Quaeritur sexto: si quis rite confessus, oblitus sit alicujus mortalis, cujus recordetur, antequam communicet, tenereturne illud subicere clavibus ante Communionem, ut absolvetur directe, an poterit deinde illud subicere clavibus, & interim communicare?

Respondeo, Henr. lib. 8. cap. 46. num. 3. Victorium & Navarr. cap. 21. num. 49. apud Trull. hic cap. 6. disp. 4. num. 13., docuisse, quod si laicus post confessionem positus ad linteum altaris recordetur alicujus mortalis, non teneatur redire tunc ad confessarium etiam praecisa nota, & scandalo ob reverentiam Sacramenti. Praeterea Regin., & Praeposit. apud Pellizz., & Dian. part. 9. tract. 3. resol. 4., docuerunt, quod universim non teneatur redire ad confessarium ante communionem, qui post confessionem legitimam oblitus est alicujus mortalis; quia jam probavit se confessione, & in statu gratiae accedit ad Eucharistiam, cum remissum sit indirecte peccatum illud oblitum; unde satis est, quod illud peccatum clavibus subiciat, quando iterum suo tempore confitebitur, ut directe absolvetur.

Verum haec opinio Regin. male audit: obstat enim praxis Fidelium, ex qua ut notat Lugo disp. 14. sect. 6. num. 126., colligitur, praecipuum de confessione praemittenda Communioni, non esse solum de Confessione integra formaliter, sed etiam materialiter; Proinde talis opinio Corney expuncta fuit in Indice expurgatorio Hispano, ut refert Dian. loc. citat., & per Edictum particulare reprobata. Admittit tamen Tambur. in Meth. Commun. cap. 1. num. 63. opinionem laudatam Henr., & Victor. apud Fagund. de 3. Ecclesia praecipto

lib. 3. cap. 9. num. 14., quod si Sacerdos dum actu celebrat, & laicus dum ante linteum expectat, recorderetur alicujus mortalis, non teneatur redire ad confessarium, etiamsi possit sine ulla nota adire, & brevi redire, quia irreverenter videtur se gerere, relinquendo actionem illam, quasi inchoatam sine clara necessitate; sicuti non bene morate se gerit, qui assistens in mensa Regis, vel ad breve tempus recederet sine necessitate urgente; in casu autem nostro nulla videtur esse necessitas, quia hic est vere iustus, & bene dispositus propter absolutionem indirectam talis peccati; unde nec tenetur de eo contritionem elicere ante communionem: Quare satis videtur, si proponat illud suo tempore clavibus subicere, ut directe absolvetur. Huic tamen sententiae non libenter astipulor, cum supponamus sine ulla nota posse penitentem adire Confessarium ut exponat peccatum grave oblitum, siquidem hic magis reverenter erga Christum Dominum se gerat, quam si confessiones differat.

IX. Quaeritur septimo; Utrum peccata etiam negative dubia subijci debeant clavibus ante communionem, an satis sit de illis conteri, si forte sint commissa?

Respondeo, hoc pendere ex illa quaestione, an huiusmodi peccata necessario subijcienda sint clavibus? Si enim detur ista obligatio, procul dubio ante communionem subijcienda sunt; secus vero, si talis obligatio non detur. Certum est, quod si per rationes probabiles dubium deponatur, vel quia probabile est peccatum illud, aut simpliciter non esse commissum, aut non cum plena deliberatione; vel quia probabile est jam esse confessum; licet oppositum sit probabilius, ad id non obligetur; Sicut nec si per ignorantiam invincibilem quis putet se ad id non obligari. At
fi

si dubium sit omnino negativum, communior sententia docuit obligari ad ea clavibus subjicienda; sicut omnes concedunt debere nos de iis conteri, ne exponamur periculo æternæ damnationis: Ea autem obligatio erui videtur ex Praxi Ecclesiæ, quæ institutionem Christi Domini nobis manifestat. Non desunt tamen plures, qui nos a tali obligatione eximunt, eo quod non constet de ea, & in tali dubio melior est conditio penitentis: præsertim quia pro delicto dubio non debet homo ad tale onus certum condemnari. Ita apud Tamb. in Meth. Confes. lib. 2. cap. 1. §. 3. Januarius, Conink de Sacram. Pœnit. disp. 7. dub. 8. Marchant, Martin, Bossi, & alii apud Dian. part. 10. tract. 12. resol. 2., & tract. 16. resol. 79.: Equidem in tractatu Scolastico de Pœnitent. disp. 4. quæst. 3. art. 2. fuse id pertractans censui dicendum, quod peccatum positive dubium sumptum pro peccato, quod probabiliter est commissum, ita ut non detur solida probabilitas in oppositum sit materia necessaria confessionis, quia talis probabilitas est quædam moralis certitudo; non esse vero materiam necessariam confessionis peccatum negative, seu suspensive dubium; Et juxta hanc distinctionem respondendum est quæsito præsentis.

X. Quæritur octavo, An liceat in aliquo casu cum mortali Eucharistiam sumere, non præmissa contritione?

Respondeo, in duplici casu, ut notant Doctores, id licere. Primo, si irruente, verbi gratia, Paganorum, vel Hæreticorum turba, in Ecclesiam timeretur contemptus Eucharistiæ, tunc quilibet, etiam non jejunus, & in mortali existens teneretur ad vitandam hanc injuriam assumere Eucharistiam, etiamsi in tam subita irruptione non posset actum contritionis elicere. Secundo, si Sacerdos post

missam inceptam, recordaretur mortalis a se commissi, nec posset actum contritionis elicere, nec confiteri, probabile est ex Vasq., Hurt., apud Tamb., quod possit missam proficere cum eo dolore, quem potest tunc elicere; quia præceptum digne communicandi non videtur tam rigide obligare, ut cogat Sacerdotem cum magno suo dedecore ab incepto Sacrificio desistere. Et idem dicitur de laico, qui ante linteum positus, recordetur mortalis, nec potest conteri, nec sub aliquo prætextu sine magno dedecore recedere. Quinimmo Sacerdos post consecrationem hostiæ teneretur Sacrificium perficere, si non posset intra tempus competens se colligere, & contritionem excitare; cum non possit relinquere Sacrificium imperfectum: Debet proinde, consecratio pane, fieri consecratio Calicis, quæ est pars essentialis Sacrificii; nec potest omitti consumptio, quia saltem est pars integralis. Ante consecrationem vero teneretur desistere, si posset sine infamia: Et ex Tamb. cap. 1. §. 9. non videtur obligandus ad simulandum deliquium, vel quid simile, quia remedium hoc est nimis extraordinarium, & multis inconvenientibus subjacet.

XI. Quæritur ultimo, an possit laicus secundum se esse apte dispositus ad quotidianam Communionem, ita ut illi permittatur aut isthæc frequentia suadeatur?

Respondeo affirmative; novimus enim id factitatum esse a D. Catharina, aliisque. Et ratio est, quia nunquam prohibetur, ne uxoris quidem quotidiana Communio. Verum propter reverentiam Christo debitam, communius Doctores existimant, non esse quotidianam communionem suadendam iis, qui cum parvo devotionis affectu ad illam accedunt; quia talis frequentia, quamvis augeat gratiam, minue-

minuere tamen videtur reverentiam Sacramento debitam. Innoc. XI. in suo Decreto de quotidiana communione voluit, ut hac de re quilibet suum confessarium consuleret, qui spectato statu, ac conditione personæ coram Deo iudicet, quid facti opus sit. Conink quæst. 8. art. 10. docet iudicium prudentissimum hominum, ac praxim fidelium esse, ut laicis, qui a mortalibus abstinent, suadeatur communio semel per hebdomadam, etiam uxoris, si velint diligenter ad id se præparare; Aliis vero, qui a Mundo abstracti continentem vitam agunt, potest etiam in festis per hebdomadam occurrentibus concedi: aliisque magis devotis frequentius; Sacerdotibus tamen conceditur quotidianum Sacrificium, quamvis non apte se ad illud facile præparant, quia Sacrificium offertur Deo nomine publico, & ordinatur ad bonum publicum, cui ex opere operatum odest, satisfaciendo pro peccatis, pro nostris, quam animarum purgationis, & gratias Deo agendo pro innumeris erga nos beneficiis & innumera nova beneficia impetrando.

ARTICULUS VIII.

De dispositione ex parte corporis ad Eucharistiam requisita.

- I. Corporis dispositio fert habitum decentem. Equites Religiosi non debent gladium deponere, dum communicant. Lepra reddit Sacerdotem irregularem propter horrorem circumstantium.
- II. Pollutio nocturna quandoque impedit communionem?
- III. Pollutio voluntaria, ac fornicatio, quamdiu post confessionem impedit Communionem?
- IV. Jejunium naturale excludit materia parvitatem; Musca si casu irajiciatur, veluti per modum salivæ,

non frangit jejunium naturale, secus vero si de industria. Sicut sanguis e gingivis effluens irajiciitur per modum salivæ, secus vero, si e digito vulnerato sugatur.

V. Quid de auro, creta, cera, nucis avellana, & similibus?

VI. Quid de Saccaro vespere ori imposto ad leniendam raucedinem?

VII. Quid de Herba sancta, seu tabacco, quod sive in pulvere, sive in fumo sumatur, sive ore in folio?

VIII. Qui post prudentem examen adhuc dubitat, num jejunium naturale violaverit, probabiliter potest communicare.

IX. Communerantur plures casus, in quibus licitum est a non jejunio communicare.

I. PRÆTER sanitatem, tam mentis, de qua jam diximus, quam corporis, ne forte aliquando vomitus, aut tussis irreverentiam creet, requiritur, ut corpus suscipientis Eucharistiam sit mundum, hoc est non pollutum, & quod is jejunaverit a media nocte: Debet etiam cum eo habitu, & dispositione corporis ad Eucharistiam quilibet accedere, quam consuetudo locorum postulat, ut cum decentia, animi humilitate, reverentia, & devotione suscipiatur. Concilium Bracarense sub pœna excommunicationis præcepit, ut Sacerdotes communicaturi, induerent stolam in modum crucis ad pectus: Communiter tamen docent cum Suar. disp. 88. non dari ad id obligationem sub gravi, quia usu tale decretum, aut videtur abrogatum, aut non cum tanto onere receptum. Consuetudo etiam deponendi gladium videtur solum obligationem decentiæ habere, non peccati, aut irreverentiæ. Quamvis Equites religiosi videlicet, S. Jo. S. Jacobi, Alcantaræ non debeant illud deponere, quia est eorum insignis ad pu-

Pugnandum pro fide. Lepra reddit Sacerdotem irregularem, impeditque, ne celebret, præsertim publice, propter horrorem circumstantium ex cap. *Tua nos de Cler. agrotante*; sed non impedit communionem privatam.

II. Quæritur nunc primo, Quænam pollutio nocturna impediatur communionem?

Respondeo, & dico primo, quando quis passus est pollutionem involuntariam, ita ut nullum omnino ejus effectum sentiat, potest licite communicare; quia ut notat Con., perinde se habet, ac si illa non fuisset. Si vero reliquerit commotionem carnis, vel evagationem mentis circa hujusmodi res, quamvis Ledesm. putet cap. 13. de Euch. esse veniale communicare, at communis docent solum consultius esse a communionem abstinere, quousque talis effectus durat; quia videtur indecens sic accedere ad fontem puritatis, & facile aliquod veniale committitur in tali passione repellenda: Si tamen rationabilis causa communionem exigeret, non est curanda talis commotio, quamvis debeat patiens pro virili illam repellere, & devotionem excitare; tunc præsertim, quando Dæmon illam excitavit, ut hominem a communionem averteret; in hoc enim casu, ut docet hic D. Th., nullatenus communicatio est omittenda.

Dico secundo; Conjuges post copulam noctu habitam eodem modo gerere se debent, ac qui involuntarie pollutus est: non enim peccant, si mane ad communionem accedant: Quamvis consultius sit communionem differre, si effectus copulæ, & evagatio mentis ad talem actum perseverat in eo, qui ad exercendum actum justitiæ reddit debitum, aut in eo, qui ex recto fine petiit debitum: Qui vero petiit debitum solum voluptatis causa peccando venialiter, sub veniali obligatur communionem differre, ut cen-

Pars V.

sent Suar., Sanch. lib. 9. de Matrim. disp. 13., Con., Trull., cum sit parum dispositus ad tractandas res divinas; nisi forte magna devotio præterita culpam abstergat, aut alia justa causa subit; qualis censetur esse solemnitas festi, dies jubilæi, periculum levis scandali, aut admirationis; tunc enim conari debet cum magna devotione, & contritione ad Eucharistiam accedere.

III. Dico tertio: Post voluntariam pollutionem, vel fornicationem debet homo a fortiori sub veniali per diem abstinere a communionem, etiam posita contritione, & confessione, ut communis Doctores docent cum D. Th., Suar., Bonac. contra Con., Azor., Trull. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 30., quia indecens est, ut pollutus, præsertim per tale peccatum summe contrarium Christo Castitatis Auctori, & quod maxime impedit devotionem, etiamsi lotus sit per poenitentiam, statim ad mensam tanti Principis affideat; nisi tamen, ut supra diximus, justa causa statim communicandi subsit judicio prudentis confessarii.

Navar. de Pœnit. dist. 6. cap. 1. putat, esse mortale ad Eucharistiam statim accedere post quodcumque mortale commissum, etiamsi de illo homo sit rite confessus. Verum quamvis Doctores suadeant communiter confessarius, ut differant iis, qui immediate ante peccarunt, communionem: Negant tamen esse mortale, si statim ad Eucharistiam accedant, præmissa confessione. Trident. sess. 13. cap. 5. docet digne, & sancte ad Eucharistiam accedere illum, qui conscius peccati mortalis se per confessionem probaverit: Ex qua autoritate Jo: Sancius disp. 23. num. 30. putat inferri, quod forte nec venialiter peccabit, si post peccatum carnale, homo statim ad Eucharistiam accedat, præmissa confessione: Quomodo enim, inquit Sanch.,

I di.

digne, & sancte accederet, si venialiter peccaret? Sed id non bene inferitur; nam Concilium solum vult definire, quod sine culpa mortali accedere possit ad Eucharistiam, qui post mortale probavit se per confessionem, praescindendo a tempore, & loco, quo quis accedit: Aliter nec peccaret venialiter, qui ad Eucharistiam accederet ex fine leviter malo, puta ob vanam gloriam, quia Concilium dicit, digne, & sancte accedere, qui per confessionem se probavit.

IV. Queritur secundo, quenam frangant jejunium naturale requisitum ad communionem?

Respondeo, violari per quamcumque modicam quantitatem sumptam post mediam noctem per modum cibi, aut potus, quod fit, quando actione vitali per os traicitur aliquod in stomachum, quod possit converti in substantiam comedentis; seu quod in stomacho alteratur, digeritur, aut pertinet ad digestionem.

Hinc sequitur primo, improbabilem esse opinionem aliquorum apud Hurt. disp. 9. diffic. 5. docentium in jejunio hoc, utpote Ecclesiastico, seu ab Ecclesia praeccepto, non a Christo, dari parvitatem materiae. Nam Concilium Tolet. 7. can. 2. dicit, *Nullus post cibum, potumque, quemlibet minimum sumpsum Missas facere presumat.* Ita communiter apud Dian. part. 5. tract. 5. resol. 12. Gravitas autem materiae non desumitur a minima illa parte cibi, vel potus, quae sumitur, sed ab ipsa Eucharistia, quae prohibetur sumi post comestionem quamcumque, aut potum modicissimum, ut advertit Suar. disp. 96.

Sequitur secundo, non violari jejunium, si saliva, aut aliquid per modum salivae deglutatur: Dicitur autem per modum salivae traicere a Granad. minimum, quod inadvertenter traicitur; Et ab Henr., si musca, aut cu-

lex in os apertum casu intraverit. Rodriq. putat aquam ad captum putaminis avellanae inadvertenter deglutitam, dum os abluitur, cenferi trajectum per modum salivae; Dissentit tamen jure merito Granad. apud Dian. loc. citat. ubi docet, rem hanc restringendam potius, quam dilatandam; si quis tamen muscam, aut culicem de industria comederet, aut potens expuere, vellet traicere, procul dubio violaret jejunium naturale, ut notat Lugo disp. 15. num. 33., quia id non traicitur per modum salivae. Nec obstat, quod involuntarie ab extrinseco venerint: Nam si quis involuntarie in puteum cadens aquam traiciat in stomachum, non propterea erit jejunus.

Sequitur tertio, ex Lugo num. 23. apud Tamb., quod si sanguis, vel humor ex capite descendens, vel e gingivis in magna quantitate deglutatur, non frangatur jejunium; quia non habet rationem potus, cum non eveniat ab extrinseco: Contra vero, si quis guttam sanguinis e suo digito, verbi gratia, vulnerato fugat, jejunium frangit; quia per modum potus assumitur. Docet etiam Tamb. ex Suar. quod aliquantulum aquae attractae per nares non frangat jejunium, si per modum attractionis, & afflationis narium deglutatur; secus vero, si in magna quantitate.

V. Sequitur quarto, frustum ligni solidi, monetam auream, vel alterius metalli fragmentum, necnon frustum unguis, ossiculum, sive fructuum, sive alterius generis, filum ex ferro, vel serico, vel lana, non violare jejunium, etiam in magna quantitate, cum non sit cibus: Neque enim in stomacho etiam valido alterantur, sed eodem modo, quo traiciuntur, egeruntur cum excrementis. Contra vero papyrus, & filum ex lino videntur frangere jejunium naturale, quia originem ducunt ex herbis, quae digeruntur.

Ita

Ita Tamb. contra Ledesm., & Dian. part. 3. tract. 7. resol. 38. Neque enim obstat, quod papyrus non sit cibus humanus: Nam neque palea, & foenum est cibus humanus, & tamen frangunt jejunium, quia in substantia sunt herbae, quae digeruntur; & talis est etiam papyrus, & filum de lino. Eadem ratione frangit jejunium terra, seu creta, quae a foeminis comeditur propter delectationem, aut propter minuendum colorem; nam sicut lapis Bezzuar, & terra Cyprina frangunt jejunium, quia habent rationem cibi medicinalis: ita talis creta; & a fortiori aromata si deglutiantur: At si quis ori imponat aromata ad vitandum aerem noxium, & ea dentibus conterat, & expuat, non impediunt communionem; licet aliquid minimum per modum salivae imprudenter, & non de industria deglutiantur, ut dictum est. Cera etiam videtur eodem modo frangere jejunium; quia videtur magis alterabilis, quam talis creta, cum sit aliquibus partibus mellis immixta, ut notat Tamb. contra Lugo disp. 15. sect. 2. apud Summam Dianam.

Dices: Cera, & talis creta in magna quantitate non solvunt jejunium Ecclesiasticum, quia non nutriunt, nec sumuntur per modum cibi; ergo neque solvunt jejunium naturale: E converso aurum fit potabile, & adhibetur in medicamentis: ergo solvit jejunium naturale.

Respondeo; ad hoc, ut solvatur jejunium naturale, satis est, quod aliqua tantum partes sint nutritivae; quod habetur in cera immixta partibus mellis, & in illa creta, quae cum sumatur delectationis causa a foeminis, signum est, quod habeat admixtas partes nutritivas; Quod si in magna copia sumantur, nunquam habebunt tantas partes nutritivas, ut possint solvere jejunium Ecclesiasticum. Aurum

potabile, concedo, quod frangat jejunium naturale, quia in minutissimas partes contusum potest alterari; contra vero si sumatur integrum.

Si quis avellanam, vel pineam nucem deglutiat cum cortice, Jo: Sanch. putat, quod frangat jejunium naturale, quia quamvis integra egeratur, est tamen de se alterabilis, & per accidens ratione corticis non digeritur. Verum hoc non libenter admittit Tamburinus.

VI. Circa Saccharum, quod imponitur ori, non est eadem ratio, ac de aromatibus; quia aromata cum non liquecant, facile expuuntur, ita ut nihil illorum deglutiantur, nisi modicum quid per modum salivae; at saccharum, & alia, quae liquecunt non in modica tantum quantitate per modum salivae, sed in magna quantitate deglutiri solent, & ideo impediunt communionem, nisi statim expuantur, ut notat Con.

Quod si vesperi imponatur ori saccharum, vel quid simile, ad raucedinem pectoris leniendam, communiter cum Suar., Con., contra Tabien. apud Dian. part. 2. tract. 17. resol. 51. docent, quod impediatur communicio; nisi moraliter certi simus, nihil ex ea materia post mediam noctem deglutitum esse. Neque dicas, quod se habeant per modum reliquiarum cibi praecedentis. Nam, ut notat Con., cum illa materia ori imponatur ex intentione, ut paulatim deglutiantur, tandem durat comestio, donec tota deglutiantur: Sicuti si paulo ante mediam noctem ponat quis in ore cibum, ut illum post mediam noctem deglutiat, certe eo manducato, impediretur communicio: Contra vero reliquiae cenae praecedentis, quae inter dentes remanserunt, reputantur juxta communem sensum, & intentionem, jam deglutitae; censetur enim cena absoluta: Unde fit, quod si mane deglutiantur,

I 2 non

non impediunt communionem, quia casu, & per modum salivæ deglutirentur: At si de industria aliquis eas deglutiret, impediretur communicatio, quia sumeretur per modum cibi, ut docent Hurt., Prap., Vasq. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 104: Quamvis Tamb., & idem Dian. ob auctoritatem extrinsecam gravium Doctorum, videlicet, Tabienæ, Henr., Suarrii, Con., & aliorum putent probabile esse, quod neque jejunium frangant, si de industria comedantur; quia semper videntur ad cibum præteritum pertinere, dummodo non sint in quantitate sensibili, & soleant per modum salivæ trajici.

VII. Circa Herbam Sanctam, quæ Tabacum dicitur, Alphonsus de Leone putat impedire communionem, si ve in pulvere, aut fumo naribus, si ve in folio ore sumatur; quia semper aliquid illius trajicitur in stomachum, quod cum sit in substantia herba magis, quam sit papyrus, violabit jejunium naturale. Unde variis Conciliis provincialibus prohibitum est, ne sumatur, ne prætextu quidem medicina. Verum præscindendo a speciali prohibitione Dian. part. 5. tract. 13. resol. 1. cum Prap., Tamb., Trull. docet non impedire communionem. Non violatur enim jejunium naturale, si in fumo sumatur; quia vel fumus hic non trajicitur in stomachum; vel si trajicitur, non trajicitur per modum comestionis, aut potionis, sed per modum respirationis. Nec impedit in pulvere sumptus per nares propter eandem rationem, quia non sumitur per actionem comestivam, quæ solo ore efficitur. Unde Suar., & Fagund. docent, quod si quis aliquantulum aquæ per nares attrahat in stomachum, non violet jejunium naturale; quamvis violaret, si per os illam sumeret; Etenim quod per nares attrahimus, trajicitur per modum re-

spirationis. Nec impediunt folia tabaci apposita in ore, nisi trajiciantur, idque propter eandem rationem. Nam sicut aromata ori imposita, & dentibus contrita, ut maltiche, ad vitandum aerem noxium, non violant jejunium, si nihil ex intentione deglutitur, nisi modicum quid per modum succi inseparabiliter salivæ admixtum; ita folia tabaci, ut notat Dian. part. 8. tract. 7. resol. 3. cum aliis apud Busemb.

VIII. Quæritur tertio; Qui dubitat, an jejunium naturale solverit, poteritne communicare? Verbi gratia, si sciat aliquid sacchari, quod imposuit ori vesperi, deglutitum esse, sed ignoret, antene, an post mediam noctem? Quod possit communicare, qui probabiliter non fregit jejunium post mediam noctem, admittitur ab omnibus; Unde quando sunt duo horologia, quæ non certo aberrant, possumus commodare horologio posteriori, dummodo audito primo pulsu expuam, quod est in ore. Sed quid in dubio?

Respondeo, quod si quis noctu expergefactus comedat, & mane dubitet an post mediam noctem comederit, non poterit communicare, ut docent Bard., Tamb. Croix contra Gobat; quia non potest prudenter examinare, num post mediam noctem comederit. Quod si prudenter dubites, an post mediam noctem comederis, seu an abluendo os, aliquid in stomachum trajeceris, communis pariter Doctores cum Sanch., Fagund. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 27, docent, quod communicare non possis; quia possessio stat pro præcepto. Alii tamen apud Tamb. censent oppositum; quia putant possessionem stare pro libertate, & hanc esse priorum præcepto: Quam sententiam graves Doctores apud Croix lib. 6. num. 377., & apud Tamb. in Meth. Commun. cap. 2. num. 49. existimant proba-

babilem; Videtur enim cuilibet liberum communicare, nisi probetur impedimentum, & nisi constet de violatione jejunii. Quinimmo præcindendo ab hac quaestione, num in tali dubio stet in possessione libertas, an præceptum; Laym. apud Dian. loco laudato putat communionem licere; quia lex Ecclesiastica de jejuniis naturali, non videtur tam arcte constringere conscientias in casu dubio.

Equidem in Opusculo de Conscientia dubia dixi diversimode discurrendum, quando præceptum apponit conditionem, ac quando vult abesse impedimentum; Quando imponit conditionem, debet constare de illa, ne præceptum violetur; Verbi gratia quia præceptum de non suscipiendo Sacerdotio ante vigesimum quartum annum completum apponit conditionem, ideo nisi certus sim de tali ætate, non possum ad Sacerdotium promoveri: Contra vero, quia irregularitas est impedimentum ad Sacerdotium, possum promoveri, si dubitem, sed non constet de Irregularitate: Similiter in casu nostro, est impedimentum ad communionem cibus post mediam noctem; & ideo, nisi constet de impedimento hoc apposito, stat in possessione libertas communicandi. Unde licitum est mane communicare, si solum dubites, an post mediam noctem comederis.

IX. Queritur quarto, in quibus casibus possit non jejunus communicare?

Respondeo, posse primo in periculo mortis sumendo viaticum, quod tertio quoque die posse a non jejunis sumi, docet ex Vasq. Dian. part. 3. tract. 4. resol. 44., quamvis alii putent non posse, nisi post sex dies; alii longius hoc intervallum protrahunt. Debet tamen ex Con. moribundus propter reverentiam, si commode potest, communicare jejunus; quamvis non debeat ob id differre com-

Part V.

munionem, aut cum gravi incommodo intempesta nocte communicare ante sumptionem medicinæ, qua indiget. Utrum autem possit Sacerdos non jejunus celebrare ad dandum viaticum moribundo? Probabilius Doctores negant contra Zanard., Granad., Laym., & alios apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 33., & part. 5. tract. 3. resol. 35., quia videtur prævalere præceptum naturale de reverenter sacrificando; sicuti in omnium sententia ex vi hujus præcepti naturalis non licet sacrificare sine sacris vestibus ad dandum viaticum moribundo. Sententia tamen opposita non videtur improbabilis, ut dicemus quæst. seq. art. 6. num. 3.. Nemo tamen dubitat, quod sicut potest moribundus sumere viaticum non jejunus; ita possit Sacerdos morti proximus non jejunus celebrare ad dandum sibi viaticum, ut docet Lugo apud eundem Dian. resol. 36..

Secundus casus est, quando Sacerdos post consecrationem advertit se comedisse; debet enim Sacrificium perficere: Quamvis si id accidat ante consecrationem debeat desistere, si possit sine nota; secus potest etiam non jejunus proficere; Et idem dicas de laico posito ante lintheum, ut notat Dian. part. 4. tract. 4. resol. 104. Adde, quod si post consecrationem deficiat Sacerdos, nec possit alius Sacerdos, nisi non jejunus illud Sacrificium perficere, debet ab isto perfici; quia prævalet præceptum de integritate Sacrificii præcepto de jejuniis naturali.

Tertius, si Sacerdos loco vini consecravit aquam, & illam sumpsit: Debet enim, ut supra diximus art. 3., iterum vinum, & aquam consecrare, & sumere, ut putat Scotus juxta Rubricas Missalis Clem. VIII.; quamvis olim putarit D. Th. apud Tamb. de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 8. §. 5. jux-

I 3 ta

ta Rubricas Missalis Pii V., quod debeat iterum novam hostiam una cum calice consecrare, incipiendo a *Qui pridie*, & proseguendo deinde, ac si nihil prius consecrasset, aut sumpsisset.

Quartus casus, si incutiatur Sacerdoti metus gravis, nisi sic celebret; non siquidem in contemptum Sacramenti, aut ecclesiastici præcepti, quia cum hoc sit intrinsece malum, deberet potius mortem subire; sed ob alium finem, verbi gratia, ut alii audiant Missam; posset enim tunc non jejunus celebrare, quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto onere: Quod etiam dicitur de Sacerdote excommunicato, ut notat Dian. part. 5. tract. 3. resol. 30.

Quintus casus, si Sacerdos sumpto calice, & ablutione videat in patena, vel corporali fragmenta; potest enim illa sumere, quia pertinent ad id convivium quod non censetur absolutum, donec Sacerdos manet in Altari; ut communiter docent contra Paludan. apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 66. Imo Granad. apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 43. putat, posse illa sumere in Sacristia, antequam vestes sacras deponat; quia hæc non conferretur nova communio, sed perfectio, & completio antecedentis. Fagund. tamen apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 45. docet, Sacerdotem, per se loquendo, non posse prædictas reliquias sumere, postquam ab altari recessit, quia jam ministerium suum perfecit; esto per accidens aliquando potest, si scilicet non possent illæ conservari sine majori irreverentia; tunc enim posset illas sumere, etiam multo tempore postquam ab altari recessit. Quare pro praxi addit Dian. loc. citat., quod ubi sunt aliæ missæ dicendæ, tale fragmentum reponendum sit in calice, in quo sequens missa celebretur; quod si nul-

la superest dicenda missa, nec detur locus in Ecclesia, in quo Sacramentum reservetur, tunc sumi possit a Sacerdote tantum non jejunus, quia non potest sine majori irreverentia illud conservari.

Sextus casus est, si fidelis non jejunus advertat fore, ut nisi Eucharistiam comedat, illa ad manus infidelium perveniat, qui eam injuriose tractabunt; aut si esset cæteroqui comburenda, vel si similis causa superveniat, ut notant Suar., Con., Bonac.

Demum, si Sacerdos particulam hostiæ cum vino non ebibit; licet possit ad labrum calicis digito illam abducere, nihilominus melius potest iterum, iterumque vinum calici infundere, ut cum illo assumat, quamvis prius vinum, quam Sacra hostia sit in stomachum descensurum. Et idem dicas, si hostia palato adhæserit; præstat enim sic deglutire, quam digitum in os opponere, quod videtur indecens.

ARTICULUS IX.

De tempore, loco, & aliis ad Eucharistiam spectantibus.

- I. *Tempus communioni congruum quodnam sit?*
- II. *Communio præcepta tempore Paschali fieri debet in propria Parochia, aut in Cathedrali.*
- III. *Licentia Parochi præsumpta num sufficiat, ut possit quis alibi communicare? Et quare talis licentia præsumpta non satis sit ad administrandum Penitentia Sacramentum?*
- IV. *Quandonam liceat circa irreverentiam post communionem expuere, aut comedere?*
- V. *Et quando similiter liceat vomitum provocare?*

VI.

VI. Num liceat eodem die petere debium?

I. **Q**uaritur primo. Quonam tempore liceat communicare?

Respondeo, qualibet hora permitti communionem; quamvis, missa non qualibet hora, sed solum ante meridiem, & post auroram permittatur. Ita Azor., & alii: Con. tamen apud Dian. part. 2. tract. 17. resol. 54., & Bonac. putant non esse recedendum in re tam gravi a consuetudine Ecclesie, quae est, ut sine necessitate nemo sub vesperam, aut intempesta nocte communicet, tum ob reverentiam tanto Sacramento debitam, tum ad tollendam admirationem populi, & scandalum; cum possit aliquis existimare, quod a non jejunis sub vesperam Eucharistia sumatur. Quolibet etiam die permittitur susceptio Eucharistiae; consuetudo tamen Ecclesiae est, ut die Parasceves nemo communicet extra mortis periculum, in signum mæroris Domini; quam consuetudinem non inducere necessitatem, sed congruentiam docuerunt Vasqu., Suar. contra Francolin. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 237. Verum huic consuetudini standum esse Innoc. XI. decrevit in Bulla de Commun. quotidiana, injungendo, ut hac in re Missalis Rubricæ, & Ecclesie Romanæ usus serventur.

II. Quaritur secundo, Quonam loco sumi debeat Eucharistia?

Respondeo, Communionem Paschalem præceptam sumi debere in propria Parochia, nec alibi, nisi de licentia proprii Parochi, vel Episcopi, ut præcipitur in cap. *Omnis viriusque sexus*. Quamvis autem communiter censetur mortale, si talis communio non fiat in Parochia; Tamb. tamen cap. 4. §. 4. putat, esse veniale, si quis semel, aut iterum in vita alio

in loco communicet ob suam commoditatem citra scandalum (præsertim si in decursu anni recognovit suum Parochum communicando in sua Parochia) quia scilicet videtur materia levis. Communiter etiam docent, quod possit sumi in Ecclesia Cathedrali ab eo, qui est subditus illius diæcesis; & quidem etiam invito proprio Parocho, ut notat Bonac. hic quæst. 7. punct. 2. num. 11., quia Episcopus potest a fortiori appellari proprius Sacerdos omnium fidelium illius diæcesis; atque adeo Cathedralis videtur communis totius diæcesis Ecclesia.

Ex quo fit, posse quemlibet communicare ubilibet de licentia, non solum Parochi, sed etiam Episcopi, & consequenter Vicarii Generalis ex sola Vicariatus generalitate, ut notat Tamb. cap. 4. §. 5. ex Suar. disp. 72. sect. 2.: Si enim potest sine speciali mandato ex sola Vicariatus generalitate concedere licentiam Sacerdotibus ad audiendas confessiones juxta probabiliorem sententiam apud Sanch. de Matrim. disp. 2. num. 15.; a fortiori poterit hujusmodi licentiam concedere. Peregrini tamen ex licentia præsumpta proprii Parochi possunt in qualibet Ecclesia communicare; Quamvis conveniat, ut testimonium talis communionis proprio Parocho deferatur, si forte petatur, ut docet Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 73. contra Peyrinum apud Dian. part. 3. tract. 2. resol. 12.; Qui docet, Advenas debere in Parochia hospitii communicare; & a fortiori Vagos, quibus propria Parochia videtur esse illa, ubi degunt. At Dian. de Vagis etiam docet posse ubilibet præcepto huic satisfacere, quia nulli Parocho fit injuria; non Parocho loci, quia illi non subjiciuntur; nec proprio Parocho, quia hic censetur dare licentiam suis parochianis absentibus, ut

I 4 ubi;

ubilibet communicent; Quod a fortiori dicendum est de legitime impeditis.

III. Licentia autem proprii Parochi praesumpta, seu interpretativa, & moraliter certa satis est ad satisfaciendum huic praecipio; quamvis non sufficiat ad hoc, ut possit Sacerdos administrare Sacramentum poenitentiae. Disparitas ex Lugo disp. 18. num. 30. est; quia Sacramentum poenitentiae non est validum, nisi iurisdictio per actum positivum communicetur Sacerdoti a Superiore; non enim communicatur sine positivo consensu; Contra vero, Sacramentum communionis semper valide suscipitur a quocumque suscipiatur: Quare solum requiritur licentia ad debitum modum ponendi actum; seu ut suscipiatur Eucharistiae Sacramentum licite. Omnis autem licentia huiusmodi, quae non pertinet ad operationis validitatem habetur etiam per ratihibitionem de futuro, & per consensum superioris praesumptum, seu interpretativum, ita ut moraliter certum sit, quod concederetur, si peteretur; quia sufficit, quod Superior non sit invitus; Unde non requiritur positivus consensus, sed negatio voluntatis oppositae. Imo satis est, si probabiliter praesumatur, ut docet Sanch. in Summa lib. 7. cap. 19. num. 13. apud Dian. part. 7. tract. 11. resol. 31.; quae probabilitas in praxi haberi potest, spectata benignitate Superioris, ejusque erga subditum benevolentia; quae iterum explicabimus articulo sequenti numero pariter tertio.

Communio deinde infra annum potest fieri in qualibet Ecclesia, etiam in Oratorio privato. Infirmi communicare possunt in propriis domibus, imo etiam in navibus; Granad. putat apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 50. contra Navar., & alios communius, posse Sacerdotem cele-

brare in mari, ut satisfiat praecipio audiendi Sacrum die festo, & a fortiori ad dandum viaticum pro moribundo, dummodo mare sit tranquillum, & alius sacerdos sit, qui calicem post consecrationem firmiter teneat: Et quamvis Conink quaest. 83. art. 3. num. 226. putet, id non licere sine licentia Papae, tum ob consuetudinem, tum ob indecentiam; Granadus tamen docet, in necessitate sufficere licentiam Episcopi, & Lugo disp. 20. de Eucharistia num. 48., id fieri posse etiam sine licentia expressa, si ea peti non possit.

IV. Quaeritur tertio; An liceat statim post communionem expuere, aut comedere?

Respondeo, non esse illicitum expuere, quando nullum est periculum expuendi aliquod fragmentum, quod forte in ore remansit; congruum tamen est expectare aliquantulum. Nec est illicitum statim comedere, cum neque id prohibeatur; irreverenter tamen se gereret, qui statim ad comedendum convolaret.

V. Quaeritur quarto; Quandonam liceat provocare vomitum post communionem?

Respondeo, aromata ruminare ad expuendum, verbi gratia piper, mastichen, tabacum, tunc licet, quando licet expuere; quia saliva, quae provocatur ex capite defluit in os, ut Medici testantur; unde non fit irreverentia Sacris speciebus, quae resident in stomacho. At provocare vomitum citra irreverentiam licitum est post horam; quia quamvis, ut diximus art. 4. ex Lugo probabiliter spatio semiquadrantis, vel certe quadrantis regulariter corrumpantur in stomacho etiam species majoris hostiae, & vini sumptae a Sacerdotibus; tamen aliquando ita cum phlegmatibus uniuntur, ut post mediam horam integrae reiectae sint. Verum si provocari debet

vo-

vomitibus ad rejiciendum venenum, vel ad vitandum gravem morbum, licitum est statim post communionem provocare; quia ex D. Th. 3. part. quest. 83. art. 3. *Calix vitæ non debet in mortem verti*: Quod si accideret species consecratas ejici, in loco sacro reponendæ sunt, donec corrumpantur; & deinde comburi, & cineres in Sacrarium projici debent juxta Rubricas Missalis.

VI. Quæritur quinto; An liceat ad uxorem accedere eodem die post Communionem?

Respondeo, idem dicendum, ac de eo, qui ante communionem vellet a conjugæ petere debitum: Videtur enim irreverenter se gerere, si statim post communionem sine ullo bono fine petatur; Quod si non petatur statim, Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 13. num. 17. contra Sylv., Angel., & alios, putat, non esse veniale; quia id non est prohibitum: Quamvis enim veniale regulariter sit petere debitum nocte ante communionem, non est veniale illud petere nocte post communionem. Disparitas est ex eodem Sanch., quia copula solet afferre mentis hebetudinem, magnamque distractionem, quæ ante communionem fugienda est, ut reverenter sumatur Eucharistia; at post communionem mentem ad alia negotia divertere non prohibetur.

Demum, quamvis ex circumstantia temporis, gravius sit peccatum, quod die communionis committitur, non est tamen novum peccatum, nisi fiat ex contemptu Eucharistiæ, ut communiter Doctores docent; quia non apparet, unde hæc malitia gravis novi sacrilegii consurgat.

ARTICULUS X.

De Ministro Eucharistiæ.

- I. Num possit Laicus semet communicare in extrema necessitate?
- II. Num pariter Sacerdos etiam devotionis causa?
- III. Quanam licentia requiratur in Sacerdote ad Eucharistiam aliis administrandam?
- IV. Deficiente particula, potest Sacerdos partem suæ hostiæ dare aliquando ei, qui avidè petit Communionem.
- V. Quandonam teneatur Parochus ovibus suis Eucharistiam ministrare?
- VI. Num cum vitæ discrimine, & quomodo danda sit Eucharistia peste infectis?
- VII. Num possit pro Viatico dari species Vini ei, qui hostiam deglutire non potest?
- VIII. Num tempore Interdicti localis administrari possit Eucharistia Sacramentum?
- IX. Deneganda omnino Eucharistia publicis peccatoribus; Et quinam ii sint?
- X. Quandonam peccatori occulto debeat denegari?
- XI. Quid si publicus peccator in uno loco, Eucharistiam petat, ubi non habetur isthac publicitas?
- XII. Num possit dari particula non consecrata peccatori occulto publice petenti Eucharistiam?
- XIII. Num sit mortale Eucharistiam in statu peccati mortalis ministrare?
- XIV. Unicumne sit, an multiplex peccatum ministrare successive pluribus Sacramentum Penitentia, aut Eucharistiæ?
- XV. Quomodo Eucharistia sit ministranda? videlicet, quo die, hora, loco, habitu &c.?
- XVI. An Sacerdos excommunicatus licite

cite Eucharistiam ministret in mortis articulo?

I. Eucharistia Minister relate ad consecrationem est solus Sacerdos, de quo agemus quaestione sequenti: Agimus nunc de Ministro Eucharistia quoad dispensationem, & administrationem, inquirendo, Quisnam sit? Quando debeat illam ministrare? Cui? Et quomodo debeat ad id se disponere?

Quaritur itaque primo, an solus Sacerdos possit licite Eucharistiam administrare?

Respondeo, Ministrum ordinarium esse solum Sacerdotem, ut communiter docent ex Can. *Pervenit de consecrat. dist. 2.*, & colligitur ex prima ad Corinth. 7., ubi dicitur *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: Ministrum vero extraordinarium, qui solum in necessitate possit Eucharistiam ministrare, esse diaconum; ita ut solum de licentia Episcopi, vel Parochi impediti possit tale munus exercere. Quod si Parochus absit, talis licentia non requiritur ex can. *Diaconos 13. dist. 93.* Imo ut notat Trull. in casu necessitatis posset etiam, prohibente Parocho, illam ministrare, quia praesumitur licentia Pontificis.

Dubium est, An subdiaconus, & etiam laicus possint in necessitate sibi, aut aliis Eucharistiam ministrare? Negant Lugo, Henr., Villal., Bonac. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 47., & part. 5. tract. 3. resol. 47.; quia non est Sacramentum simpliciter necessarium: Sicut autem non licet sine vestibus Missam celebrare ad dandum alteri Viaticum, ita videtur, quod nec liceat laico Eucharistiam tangere propter Viaticum. Affirmant tamen probabiliter Suar., Con., Valen., & alii, exemplo Reginae Scotiae martyrium subiturae, quae

se ipsam communicavit; & quia olim ex Eusebio, Eucharistia ad infirmos deferebatur per laicos: & nunc etiam propter periculum irreverentiae, ne Eucharistia veniat in manus Infidelium, potest laicus illam tangere, & suscipere: ergo poterit etiam illam tangere, ut se, aut alios communicet in extrema necessitate, deficiente Ministro idoneo. Sed praesenti consuetudini Ecclesiae in oppositum videtur standum; nisi necessitas vere esset extrema, quatenus moribundus nullum aliud Sacramentum suscipere posset, ut per Eucharistiae sumptionem posset ex attrito fieri contritus, juxta probabilem opinionem, si de sua contritione non esset securus; quamvis ad illam conaretur, prout procul dubio deberet, tum propter instantem mortem, tum etiam, ne indigne sumeret Eucharistiam.

II. Dubium est secundo, An possit Sacerdos se ipsum communicare devotionis causa, deficiente alio Sacerdote, a quo communicetur?

Respondeo affirmative cum Suar., & aliis contra Fill. apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 53., & part. 5. tract. 3. resol. 48., dummodo absit scandalum, quia Minister hujus Sacramenti non debet esse distinctus a suscipiente; cum de facto die Parasceves Sacerdos seipsum communicet extra Sacrificium: Quod si adsit Diaconus, Praepositus, & alii putant debere eam sumere per manus Diaconi, qui est minister competens ex privilegio. Sed hoc non videtur necessarium: Nam ex Fagund., Durand., Fill. (& colligitur ex Concilio Nicano cap. 24.) si Sacerdoti Sacrum Viaticum deferatur a Diacono, debet deinde ipse propriis manibus se ipsum communicare: ergo neque in casu nostro debet communicare per manus Diaconi.

III. Quaritur secundo, An quilibet Sacer-

Sacerdos possit Eucharistiam licite dispensare?

Respondeo negative; requiritur enim ex Concilio Milevit. & Carthagin. primo, & ex cap. *Omnis uiriusque sexus*, in Sacerdote iurisdicção; prohibetur enim ne Sacramenta ab alienis suscipiantur; quia Sacramenta ministrare munus est Pastoris; unde peccat mortaliter, qui sine licentia saltem tacita proprii Pastoris, aut privilegio hoc Sacramentum, etiam in articulo mortis ministrat, ut communiter Doctores docent; quia in re gravi alienum officium usurpat. Satis est autem (ut diximus num. tertio articuli superioris) licentia probabiliter præsumpta, & voluntas Pastoris interpretativa; quia talis licentia non requiritur ad validitatem actionis, ut in Sacramento Pœnitentiæ, sed solum ad debitum modum ponendi actum. Idcirco autem licentia, quæ requiritur ad validitatem operis, non potest esse solum præsumpta; quia debet haberi per actum positivum, signo externo expressum, cum non aliter communicari possit, ut actus habeat suum valorem: Contra vero licentia, quæ requiritur ad debitum modum ponendi actum, seu ad licite aliquid faciendum sufficit, quod sit præsumpta; quia satis est, ut superior non sit invitus; unde non requiritur positivus consensus, sed solum negatio voluntatis oppositæ, & consequenter satis est ratihabitio de futuro, seu consensus interpretativus, & præsumptus. Ita Lugo disp. 18. de Euch. num. 37.

Rogabis, An censuram aliquis incurrat, qui Eucharistiam ministrat sine licentia proprii Pastoris? Respondeo, Clericis (hoc est non Sacerdotibus) ministrantibus in ordine quem non habent, atque adeo ministrantibus solemniter Eucharistiam, impostam esse irregularitatem. Religiosis ve-

ro præsumptibus Eucharistiam, aut Extremam Unctionem ministrare, vel assistentibus Matrimonio sine licentia Pastoris, impositam esse excommunicationem reservatam Pontifici in Clementina *Religiosi de Privilegiis*: Non dicitur tamen præsumere, nec agere præsumptuose, qui ex ratihabitioe probabiliter præsumpta Eucharistiam ministrat. Imo Suar., Con., contra Navar., & Sylv. apud Trull., & Bonac. putant, non peccare Religiosos, qui in articulo mortis Eucharistiam ministrant, etiam si sit invitus Parochus, qui non potest, aut non vult illam ministrare: Ratio est, quia præsumitur in hoc casu adesse ratihabitio summi Pontificis. Ex privilegiis tamen propriis apud Portellum, possunt Regulares ministrare Eucharistiam, Extremam Unctionem, & Sacramentum Pœnitentiæ familiaribus Conventus ibi habitantibus; & possunt iisdem dare sepulturam in propriis Ecclesiis, quamvis non elegerint illam. Et ex Bulla Clementis X., quæ incipit *Superna*, tam Superiores, quam Confessarii Monasteriorum, sicut possunt sine ulla approbatione Ordinarii audire Confessiones Regularium sui Monasterii, ita possunt audire Confessiones illorum secularium, qui inibi sunt familiares, & continui Commensales; non tamen aliorum, qui ibi inserviunt: Possunt etiam Regulares in suis Ecclesiis cuilibet Eucharistiam ministrare, secluso tempore Paschæ, & articulo mortis, & Paulus V. extendit hoc privilegium ad alias Ecclesias; unde id possunt etiam in Oratoriis Ædium privatarum. Nomine autem temporis Paschæ venit, non dies ipse Paschæ, sed communio, quæ tempore paschali præscribitur: unde, qui implevit hoc præceptum in Parochia, verbi gratia, die Jovis Sancti, potest in Ecclesia Regularium die Paschæ communicare, ut notat Suar. contra Trull. apud

apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 81.; qui cum Navar., & Azor. intelligit materialiter diem ipsum Paschæ, ita ut non liceat eo die communicare ex devotione laicos in Ecclesiis Regularium; quia in Bulla Sixti IV., & Leonis X. dicitur *Præterquam in die Resurrectionis dominica*; Et quamvis de facto multi communicent eo die ex devotione apud Regulares, dicit Trull., id non esse ex privilegio Regularium, sed ex tacita, & præsumpta Parochorum licentia, id interpretante consuetudine. Et similiter alienus etiam Parochus ovibus non suis Eucharistiam administrat ex præsumpta proprii licentia.

Possunt tamen Regulares Advenis, Vagis, & Peregrinis communionem Paschalem administrare; cum in hoc nulli Parocho fiat injuria; Decretum enim Eugenii IV. solum concedit peregrinis, ut possint in Parochia hospitiis communicare, sed illos non cogit: Nec est verum, quod Ecclesia Cathedralis sit Universalis Parochia totius diocesis, ut obligare debeamus peregrinos ad illam adeundam, ut docet Sanch. contra Peregrin. apud Dian. part. 3. tract. 2. resol. 12.

IV. Quæritur tertio, An Sacerdos possit dare communicaturo partem suæ hostiæ, quando deest particula consecrata?

Respondeo cum Henr., Sanch. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 34. contra Graff., & Zanard. affirmative; cum nulla in hoc sit irreverentia: Quod Tamb. confirmat exemplo Christi Domini, qui fregit panem, & dedit; & quamvis regulariter debeant consecrari formulæ pro communionem laicorum juxta consuetudinem Ecclesiæ, tamen si aliquando formulæ non fuerint consecratæ, non videtur id fieri contra consuetudinem, quæ habeat vim legis prohibentis; præsertim si magna adsit devotio alicujus, qui

aliter non possit commode Eucharistiam sumere.

V. Quæritur tertio; Quandonam teneatur Parochus suis ovibus Sacramentum Eucharistiæ ministrare?

Respondeo ex Suar. disp. 72. sect. 3., & aliis communiter apud Bonac., teneri, non solum, quando subditi tenentur communicare, ut putavit Sylv., sed etiam quoties subditi rationabiliter illud petunt: Cum Parochus debeat pascere oves suas; quod præcipue fit verbo, & Sacramentis: Nec decet, quod parvuli petant panem, & non sit, qui frangat eis. Excusatur tamen Parochus, non solum si irrationabiliter, & cum frequentia indubitata illud petant, sed etiam si ad Coadjutores, & alios Sacerdotes paratos illos mittat, modo id fiat sine dispendio spirituali subditorum, & isti in hoc consentiant; vel si infirmitas, aut lassitudo impediatur; vel si fœminæ velint, verbi gratia, nocte in Ecclesia communicare, confiteri, &c.

VI. Quæritur quarto; An tempore pestis, verbi gratia, teneatur Parochus cum periculo vitæ Eucharistiam suis subditis, præsertim in articulo mortis ministrare?

Respondeo, Rodrig., Villal., Sylv., Nugn. affirmare, sed Molfesius ex Suar., & Armill. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 17., & part. 5. tract. 3. resol. 53. negat; quia Viaticum non est Sacramentum necessarium necessitate mediæ; nec præceptum hoc obligat cum tanto aliorum periculo. Quare videtur suas partes implere Parochus, si peste infectos absolvat, & a longe admoneat ad patienter ferendam ægritudinem, & ad propositum sumendi Sacramentum Viaticum, si possent; Quod si aliquis peste infectus non possit confiteri, nec absolutionem obtinere nisi conditionate, quia, verbi gratia, amisit loquelam, tenetur illi Eucharistiam, vel Extremam Unctionem

nem præbere, ne forte sine ullo Sacramento decedat; sic enim ex attrito fieret contritus per susceptionem alicujus Sacramenti. In hoc tamen casu alii aliter Eucharistiam ministrant, vel in cocleari argenteo, vel per forcipem oblongam, proponendo illam agris sumendam e scutellis, vel ponendo particulam super folium paginæ ad id paratæ, ita ut infirmus illam lingua sumat, & deinde Clericus cartam comburat: Omnes tamen istos modos putat irreverentes Dian. in Summa Verbo *Communio* num. 78. & contra communem Ecclesiæ usum, qui est exhibendi manu immediate Eucharistiam. Quare Bonac. hic disp. 4. quæst. 5. punct. 2. num. 10. docet ex Suar. tom. 4. disp. 44. sect. 3., rationabilius esse mortis periculum subire communicando, servata reverentia Sacramento debita, quam peste infectis communionem denegare, vel eam non ministrare propria manu, ut exigit consuetudo, & reverentia debita. Probabile tamen est ex Possév. & Trull. lib. 3. cap. 7. dub. 2., quod sine peccato possit instrumento apto Eucharistia dari peste infectis, seculo scandalo, & periculo, ne in terram labatur, ut inferius dicemus.

VII. Quæritur quinto, An laico moribundo, qui deglutire non potest hostiam, ministrandæ sint species sanguinis.

Affirmat Ochagavia contra Suar. disp. 80. sect. 3. apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 34.; quia præceptum divinum de communicando præponderare debet præcepto Ecclesiastico de non ministrandis laico speciebus sanguinis. Nugnus tamen docet, in tali casu adhibendum esse consensum Episcopi.

VIII. Dubium est, An tempore Interdicti generalis ministrari possit communio?

Respondet, certum esse, quod in

articulo mortis danda sit omnibus confessio, & communio cum sua solemnitate, iis exceptis, qui causam dederunt Interdicto, nisi prius satisfaciunt, aut si satisfacere non possint, dederint cautionem pignoratitiam, aut fidejussoriam, aut si neque id possint, juratoriam; & eadem est ratio de specialiter Interdicto: Non est autem danda Extrema Unctio: Quamvis non sit improbable, quod docet Trull. apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 83., & tract. 10. resol. 77., posse dari iis, qui in articulo mortis non potuerunt suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, Verbi gratia, quia nullum dederunt signum probabile Pœnitentiæ; tunc enim Extrema Unctio de attrito faceret contritum. At extra mortis articulum, quamvis possit jure novo dari Sacramentum Pœnitentiæ omnibus, qui causam non dederunt Interdicto locali; at Sacramentum Eucharistiæ non potest conferri, nec aliud Sacramentum non necessarium; cum Interdictum privet perceptione Sacramentorum: Esto probabile sit ex Sanch., Laym. contra Suar. non prohiberi matrimonium, quia principaliter est contractus. Verum quia in Cap. *Alma Mater* conceditur, quod possint divina officia publice celebrari in festo Paschatis, Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Virginis, & octava Corporis Christi Domini; quamvis communis opinio doceat apud Bonac., non licere laicis in istis festivitibus communicare; probabile tamen est ex Con. disp. 17. num. 36. Suar., Filliuc. tom. 1. tract. 18., cap. 2. n. 21. apud Tamb. hic cap. 6. §. 7., quod liceat; quia probabile est, quod inter divina officia, quæ permittuntur, communio comprehendatur. Unde fit, quod cum Clerici non interdicti tempore Interdicti localis quotidie possint in Ecclesiis, & monasteriis celebrare mis-

fas, & alia divina officia, ut prius, januis tamen clausis, & voce submissa, sine pulsatione campanarum, &c., possit etiam probabiliter dispensari Eucharistia iis, qui divinis hisce officiis interesse possunt. Nomine enim Clerici veniunt omnes Religiosi, & Moniales; imo etiam Clerici conjugati, ut notat Con. contra Hurt. apud Dian. part. 5. tract. 10. resol. 83.

IX. Quæritur sexto, An Eucharistia administrari possit indigne petentibus, hoc est peccatoribus?

Respondeo, peccatorem vel esse publicum, vel occultum: Publicus dicitur tripliciter: Primo, quando de illius delicto constat in iudicio, aut per confessionem delinquentis, aut per sententiam iudicis, aut per depositionem testium; Et hic dicitur publicus publicitate juris: Secundo, quando delictum est commissum coram multis; & hic dicitur publicus facto, seu notorietate facti: Ad hanc autem publicitatem Sotus requirit præsentiam decem hominum; Suar. relinquit arbitrio prudentium; Sanch., Azor., Trull. docent, notorium factum esse, quod scitur a majori parte viciniæ, vel communitatis, dummodo in ea sint ad minus decem personæ; in magna autem Civitate requiritur, ut publice sit diffamatus: Tertio, quando fama alicujus delicti, & delinquentis orta ex sufficientibus indiciis eodem modo innotescit majori parti viciniæ, vel communitatis, aut in magna civitate sit publice proclamata. His positis

Dico primo: Eucharistia neganda semper est cuicumque publico peccatori, sive occulte, sive publice illam petat; donec publicam pœnitentiam agat, & scandalo publice satisficiat. Ita communiter ex illo Matth. 6. *Nolite Sanctum dare canibus.* Idem dicendum de eo, qui publice graviter suspectus est de gravi crimine, ita

ut vehemens ista suspicio moralem quandam certitudinem inducat; in hoc enim eadem est ratio, ac de peccatore publico, ut docent Suar. disp. 16. sect. 6. Con., Bonac., Trull., quamvis in articulo mortis sola vehemens suspicio non sufficiat ad neganda Sacramenta, ut notat Bonac.; quia non videtur infirmus tam gravi detrimento exponendus ob solam suspensionem, licet vehementem. Ex quibus sequitur, quod si peccator publicus sit secreto emendatus, etiam repellendus sit, donec scandalo satisficiat.

Rogabis; Quænam satisfactio danda sit. Respondeo, in articulo mortis satis esse, si det signa veri doloris, extra articulum mortis, si occulte petat communionem, verbi gratia, in Cappella secreta, sufficit occulta pœnitentia, & propositum satisfaciendi scandalo publico; Sicut autem absolvitur in foro interno, sic etiam potest secreto communicare: Si vero publice petat, publica debet esse conversio, & pœnitentia, ex cap. *Si peccaverit 2. quæst. 1.* Aliquando tamen ex Navar., & Cajet. apud Trull. huic scandalo satisficit, si de ejus licentia Parochus publice moneat populum de delinquentis pœnitentia. Unde fit, meretricem non esse absolvendam, nisi e periculo, & loco publico tollatur; Et Usurarios, nisi præstita cautione juris, quam possunt, si non possunt statim satisficere.

Rogabis secundo; quinam censentur publici peccatores?

Respondeo, censeri primo Histriones, qui recensent turpes comedias provocantes ad peccatum; Secundo Parasitos, qui in aliorum grave præjudicium utuntur mordacibus dictis, & facetiis, ut notat Nav. ex c. *Tres sunt de Pœnit. 11.*; Tertio ex eodem Navar., qui communiter cum periculo exercent choreas cum scæminis; Quar-

to ex eodem, fœminas, quæ utuntur fūco nimio, & ornatu ex pravo fine. Quinto meretrices, & publicos usurarios; Sexto, qui torneamenta exercent in equis, unde ut plurimum cædes, & vulnera sequuntur; Septimo Beneficiarios, & Sacris initiatos, qui taxillis, vel aleis notabilem quantitatem ex consuetudine ludunt, ut notat idem Navar. & Trull. lib. 7. in Decal. cap. 19. Demum Concubinos, hæreticos, & omnes, qui publice actionem aliquam exercent, quæ vel ex objecto, vel ex modo, quo fit, sine peccato fieri non solet. Præterea, de quibus publica, & vehemens suspicio est, quod sint in statu peccati mortalis, perinde ac publici peccatores extra mortis articulum arcendi sunt a communione, ut diximus, donec constet de eorum innocentia, seu emendatione: Dicitur autem suspicio vehemens, quando ea sunt indicia, quæ factum suadent efficaciter, ita scilicet, ut nihil appareat, quod oppositum suadere probabiliter possit.

X. Dico secundo, si peccator occultus occulte Eucharistiam petat, Sacerdos, cui delictum extra confessionem innotuit, debet illi Eucharistiam negare, quia nulla ex hoc sequitur infamia; Si vero delictum notum sit ex confessione, non est illi deneganda, ne reddatur odiosa confessio, ut communius docent apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 46. contra graves authores non paucos, qui putant non frangi in hoc casu sigillum Sacramentale; quia nulli alteri a peccatore id fit notum. Hoc tamen non est admitendum, quia esto non violetur sigillum Sacramentale; irrogatur tamen illi injuria per usum notitiæ in confessione acceptæ cum gravamine pœnitentis, ut constat ex prohibitione facta ab Innoc. XI., illius propositionis: *Scientia ex confessione acquisita*

uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur. Poterit tamen Sacerdos, petita a tali peccatore licentia loquendi de auditis in confessione, monere illum, ut a Sacramento abstineat.

Dico tertio; si peccator occultus publice Eucharistiam petat, non est illi deneganda; Sicut Christus Dominus illam non denegavit Judæ. Et ratio est, quia Minister publicus Ecclesiæ debet bona communia dispensare secundum scientiam, quam habet publicam, non secundum privatam; aliter multa scandala, & perturbationes sequerentur, si sacerdotes possent infamare, quos vellent; ac fideles semper formidarent, ne a Ministris infamarentur.

Hinc tamen non sequitur, quod Sacerdos debeat Eucharistiam dare occulto peccatori publice illam petenti, si noverit illum petere Eucharistiam ad incarnationem, vel ad conculcandam, aut projiciendam. Ratio ex D. Th. quæst. 80. art. 5., est, quia hoc peccatum est gravissimum; unde gravior datur causa ad illam negandam; Præterquamquod non sequerentur eadem inconvenientia in hoc casu; siquidem dare deberet indicia talium delictorum Sacerdos, si quem sic infamaret.

Sequitur tamen, quod si peccator occultus petat Eucharistiam coram pluribus, & uni tantum ex illis fit notum, quod sit peccator, non possit Eucharistiam denegare; cum non possit ille apud alios infamari; si tamen omnibus esset notum peccatum, deberet Eucharistia negari, quia non infamaretur.

XI. Rogabis primo; si quis sit Romæ, verbi gratia, publicus peccator, Neapoli vero occultus, & publice hic

pe;

petat Eucharistiam, essetne illi deneganda?

Respondeo, Sot., Henr., Conputare, quod non sit deneganda, quia Neapoli, ubi petit Eucharistiam, retinet bonam famam, & est peccator occultus: Less. lib. 2. cap. 11. dub. 13. apud Tamb. in Meth. commun. cap. 5. §. 2., putat esse contra charitatem, quamvis non contra justitiam delictum in aliquo loco publicum manifestare, ubi est occultum. At Suar. disp. 7. lib. 5. cum Bonac., & Fagund. 1. Eccl. 2. lib. 5. cap. 3. num. 16. putat esse denegandam, quia ex una parte infamis in uno loco amisit jus ad suam famam, atque adeo non est contra justitiam detegere ejus delictum: Neque est contra charitatem ex alia parte, quia cessat jus charitatis, quando adest rationabilis causa manifestandi delictum; in casu autem nostro adest rationabilis causa, quia inique talis se gerit, & sacrilege, dum petit indigne Sacramenta. Demum Henr. putat posse repelli, & posse ad Sacramenta admitti; cum pro utraque parte sint rationes probabiles.

Rogabis secundo; An Sacerdos possit ministrare Eucharistiam publico peccatori ob metum mortis, aut notabilis suae infamiae?

Respondeo affirmative; si enim potest ministrare Eucharistiam peccatori occulto publice petenti ad vitandam ejus infamiam; a fortiori poterit ministrare peccatori publico publice petenti ad vitandam infamiam propriam, aut mortem, permittendo peccatum illius; Id tamen ex Suar. intelligendum praefixo scandalo activo; aliter sicut ob metum mortis non possumus exterius dumtaxat thus adolere idolo, ita a fortiori nec Sanctum dare canibus.

XII. Rogabis tertio, An peccatori occulto publice petenti Eucharistiam

possit Sacerdos praebere hostiam non consecratam ad vitandum illius sacrilegium?

Respondeo negative; quia peccatum internum petentis non vitatur; & ex alia parte daretur aliis occasio majoris peccati; videlicet idololatriae, quamvis materialis. Ita Bonac. ex D. Th., qui 3. part. quaest. 80. art. 6. docet, peccare gravius Sacerdotem in mortali celebrantem simulando consecrationem, quam si vere consecraret; quia scilicet in primo casu Deo simul illudit, & hominibus; in secundo vero casu illudit soli Deo. Hinc proscripta est ab Innoc. XI. thesis illa, *Urgens meus gravis est causa justa simulandi administrationem Sacramentorum*. Propterea non sunt audiendi Albertus Magnus, Altifiodorensis, Bonac., Villal., Jo: Sancius, & alii, qui id permittunt apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 47.

XIII. Queritur septimo: An peccet mortaliter Sacerdos administrando Eucharistiam in mortali?

Respondeo, Certum esse, quod Sacerdos debeat esse in gratia, si hoc Sacramentum conficiat; quia est Minister ex officio ad hoc munus deputatus, & consecratus; Immo cum non possit conficere Sacramentum Eucharistiae, quin simul communicet, nec possit homo communicare non praemissa confessione mortalium, ideo Sacerdos, ut celebret, debet confessionem mortalium praemittere, nec satis est, si solum conteratur. Si vero solum Eucharistiam administret, communiter docent cum Suar. disp. 16. sect. 4., quod mortaliter peccet. Ratio est, quia etiamsi non conficiat Sacramentum, tamen exercet actionem proxime ordinatam ad gratiam, & gravissimum ministerium: Diximus tamen quaest. 1. art. 4., probabile esse, quod docent Lugo, Vasq., Henr., Dian. part. 1. tract. 14. resol. 23., et

Te tantum veniale; quia quamvis hoc ministerium per se spectet ad potestatem characteris, & ad Ministrum tantum ex officio, tamen non est actio causativa gratiæ per se loquendo, sed est solum conditio; cum Minister sit tantum causa applicans Sacramentum causativum gratiæ: Quare sicut non peccat mortaliter, qui exercet in mortali functiones Ordinum sine confessione Sacramenti, ex Suar. disp. 16. sect. 3. contra nonnullos (verbi gratia Episcopus in mortali conferens primam Tonsuram, aut Sacramentalia; & Diaconus, ac Subdiaconus exercentes suos Ordines) ita qui solum Eucharistiæ ministrat, neque peccat mortaliter ex hoc, quod tangat species Sacramentales; quia istæ sanctitatem in se non habent, nisi tamquam signa: Immo sicut non peccasset mortaliter, qui Christum Dominum in terra habitantem in mortali tetigisset, verbi gratia osculando ejus pedes, ita neque qui in mortali Sacramentum hoc ministrat.

Admisso tamen, quod juxta veriorum, & communiorem sententiam mortaliter peccet, certe non debet pramittere confessionem, sicut quando celebrat, & suscipit Sacramentum; sed satis est, si prius conteratur; sicut non debet esse jejunus, quando ministrat, sed solum quando recipit Eucharistiæ. Certum etiam est, quod si Sacerdos excommunicatus Eucharistiæ ministrat, non solum peccat mortaliter violando censuram in re gravi, sed etiam incurrat irregularitatem, ut notat Dian. part. 4. tract. 12. resol. 90., quia violat censuram per exercitium Ordinis Sacri.

XIV. Utrum autem unicum tantum peccatum committat, qui pluribus Sacramentum Eucharistiæ successive administrat in statu peccati mortalis, an vero plura? Rodriq. in summa cap. 68. apud Bonac. disp. 4. quæst. 5. pu-

lars V.

tat, quod unicum sit hujus Sacerdotis peccatum, sive pluribus successive Eucharistiæ ministrat, sive absolutionem Sacramentalem impendat; quia illæ actiones physice distinctæ videntur esse una moraliter; non secus ac qui uno impetu pluries Clericum percutit; aut plures blasphemias eructat; aut pluribus juramentis idem mendacium confirmat: Communiter tamen cum Bonac. loc. citat., Con. quæst. 64. art. 6., Fill. Henr. docent, toties peccare, quoties Sacramentum ministrat, sive Eucharistiæ, sive Pœnitentiæ, sive Baptismi, sive quodcumque aliud: Nam tales actiones habent singulæ suum præfixum terminum, in quo conficiuntur, & complentur; Quare sicut in omnium sententia tria mortalia committit, qui die Nativitatis Domini tres missas successive celebrat in statu peccati mortalis, ita in casu nostro. Quamvis Lugo disp. 16. de Pœnit. num. 558. putet, majorem habere unitatem ex fine, & intentione agentis in eo, qui successive audit plures confessiones, quam in eo, qui celebrat tres Missas die Nativitatis, aut in eo, qui successive occideret tres homines; unde facilius uniuntur ad faciendum unum dumtaxat peccatum plures absolutiones Sacramentales successive collatæ a Sacerdote in statu peccati mortalis; & ideo plures Doctores apud Dian. part. 1. tract. 7. resol. 43. contra Suar., & Azor., probabiliter tenent, unum dumtaxat peccatum committi a tali Sacerdote; unde satis sit in confessione dicere, Semel in statu peccati mortalis plures absolvi: Et a fortiori id videtur verum, si successive Sacramentum Eucharistiæ ministraretur pluribus; cum enim Sacramentum in tali casu non conficiatur, sed ministraretur, probabile est ex Tann., Henr., Fill., apud Bufemb. lib. 6. tract. 1. cap. 6., quod una moraliter sit distributio,

K 88

& indigna administratio: Præsertim, quia quamvis communissime doceant, conficientem Sacramenta in statu peccati mortalis peccare mortaliter, idemque communius doceant de administrante Eucharistiam, nonnulli tamen cum Vasq., Lugo disp. 8. num. 155. Dian. part. 1. tract. 14. resol. 23. putant, ut diximus, non esse mortale Eucharistiam in mortali ministrare; quia Sacerdos non causat gratiam in suscipiente, tamquam Christi Minister, sed solum applicat Eucharistiam, quæ est causa gratiæ.

XV. Quaritur octavo; quonam habitu, die, hora, loco, & aliis circumstantiis ministranda sit Eucharistia?

Respondeo, debere Eucharistiam ministrari cum reverentia tanto Sacramento debita, & cum cæremoniis ab Ecclesia præscriptis; unde non potest ministrari in loco, aut tempore interdicto, nec in privata domo sine facultate, & approbatione Episcopi, nec sine sacris vestibus, videlicet superpelliceo saltem, & stola; in his autem deficere in suo genere est mortale, ut norant Fill., Bonac., Trull. Præterea cum debito cultu, & apparatu ministrari debet, videlicet cum lumine accenso, Confessione generali prævia, absolutione communi, & aliis orationibus consuetis; in quibus tamen deficere secluso scandalo, & contemptu esset ex Suar., & Fill. solum veniale. In necessitate tamen deficientibus, qui Eucharistiam cum pompa comitentur, posset solus Curatus indutus superpelliceo, & stola illam ad infirmum deferre cum solo Sacrista, qui lumen deferat, ex Possév.

Hinc sequitur primo, non posse Parochum deferre ad infirmum Eucharistiam, si non possit illam cum habitu decenti ferre, idest cum superpelliceo, stola, & lumine, ex cap. *Sane de celebratione missarum*: Contra vero tenetur ad infirmum deferre o-

leum ad Extremam Unctionem; etiam si non possit illud cum solemnitate deferre, quia materia talis Sacramenti non est Sacramentum, nec indiget tanta veneratione.

Sequitur secundo, Parochum non debere Eucharistiam ad infirmum deferre, si non possit illam administrare, nisi per iter currat valde festinanter; cum hoc repugnet reverentiæ debiti Sacramento; debet itaque festinare, quantum patitur decencia: Contra vero ad administrandum Sacramentum Pœnitentiæ, vel Baptismi debet etiam non integre vestitus, etiam cum periculo, quod agrotet per nimium æstum, aut frigus, si credat aliter non posse pervenire, antequam moribundus decedat. Ratio est, quia tunc censetur proximus esse in extrema necessitate spirituali. Docent tamen Doctores, quod non teneatur Parochus cum periculo vitæ ire ad hæc Sacramenta administranda, cum vere moribundus non sit extreme indigens Sacramentis; potest enim sibi confidere per actus contritionis, & amoris Dei super omnia: Quia tamen isti actus sunt difficiles peccatori, ideo tenetur cum magno incommodo, præsertim Parochus, ire ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel Baptismi administrandum citra periculum vitæ. Immo etiam cum periculo vitæ tenetur quilibet, quando est moraliter certum, quod moribundus non sit eliciturus nisi actus attritionis, quia præferenda est vita spiritualis proximi vitæ propriæ corporali.

Sequitur tertio ex Possév., & Bonac. contra Tolet. lib. 1. cap. 18., quod Sacerdos, qui, verbi gratia, ex chiragra non potest Eucharistiam indice, & pollice ministrare, non possit illam aliis digitis conferre; quia a communi usu, & consuetudine non est recedendum; sicut non potest sine vestibus sacris celebrare. Verum op-

oppositam sententiam Tolet., & Trull. existimant probabilem, quia cum tota manus Sacerdotis sit consecrata, non videtur notabilis irreverentia Eucharistiam aliis digitis ministrare, urgente necessitate.

Sequitur quarto ex Bonac., Parochum debere tempore pestis propria manu, & non instrumento aliquo Eucharistiam ministrare, cum id postulet reverentia debita Sacramento. Probabile tamen ex Possev., & Trull. lib. 3. cap. 9. dist. 2., excusari Parochum a peccato, si Eucharistiam administret rite confectio, & apto instrumento, secluso scandalo, & periculo, quod in terram labatur, ut diximus superius.

XVI. Quæritur nono, an possit Sacerdos excommunicatus Eucharistiam ministrare moribundo, si alius desit?

Respondeo, quod excommunicatus toleratus non possit se ingerere ad hoc Sacramentum administrandum; si tamen ab illo petatur, possit conferre, tam in articulo mortis, quam extra

mortis articulum; Etenim idcirco dicitur toleratus, quia permittitur aliis, ut cum illo agant, ac si non esset excommunicatus. Quare cum possimus nos ab illo Sacramenta petere, poterit & ille conferre. Excommunicatus vero vitandus potest procul dubio in articulo mortis conferre Sacramentum Pœnitentiæ, si alius Sacerdos absit; & Sacramentum Eucharistia, & Extremæ Unctionis probabile est, quod pariter conferre possit, urgente necessitate, si petantur, ut docent Suar. de Censur. disp. 15. sect. 2., Fill. Con., Bonac. disp. 2. de Censur. quæst. 2. punct. 1. §. 4. contra Laym., & Avil. 2. parte cap. 6. disp. 3. dub. 3., & alios. Ratio est, quia non est credibile, Ecclesiam velle obligare fideles ad vitandos excommunicatos cum tanto detrimento; idque a fortiori dicendum in casu, quo non potuit infirmus recipere Sacramentum Pœnitentiæ; tunc enim recipiendo Eucharistiam, aut Extremam Unctionem, posset ex attrito fieri contritus, & gratiam recipere.

Q U Æ S T I O V.

De Eucharistia, ut Sacrificio.

Aggredimur quæstionem, quæ ratione suæ dignitatis, ac ratione plurimarum difficultatum, & cæremoniarum, quas complectitur, & in usu quotidiano sunt, solidum annum expostularet. Nos tamen pro more breviter inquiremus: Primo, quid sit secundum se Sacrificium? Secundo, quænam sint partes essentielles Sacrificii Missæ? Quænam sit res oblata? Et quænam sit offerens? Tertio, agemus de Effectibus hujus Sacrificii; ubi, an sit infiniti valoris? Quarto, a quibus, & quomodo participantur fructus hujus Sacrificii? Quinto, de Ministro Sacrificii. Sexto, de tempore, loco, & aliis circumstantiis. Septimo, de ritu in celebratione servando. Demum de stipendio Missæ.

ARTICULUS I.

Quid sit Missæ Sacrificium?

- I. Explicatur Sacrificii definitio.
- II. In quo differat a Sacramento Sacrificium?
- III. Multiplicitas antiquorum Sacrificiorum in Missa eminenter continetur.
- IV. Missa est vere, & proprie Sacrificium, nec aliud a Sacrificio cruento Crucis, licet alio modo.

Missa, si ejus etymologiam spectemus, ex Bellarm. dicitur a verbo Mitto, tum quia per illam mittuntur ad Deum nostræ oblationes, & preces; tum etiam, quia post illam populus, & congregatio dimittitur: Unde cum dicitur, *Ite, missa est*, significatur, missam esse oblationem ad Deum, & tempus esse dimissionis populi, ut notat D. Th. quaest. 83. art. 4. ad 9. Missa etiam derivata ab Hebræa voce *Misach*, significat oblationem spontaneam, & apud Græcos dicitur *Liturgia*, idest publicum munus, & mysterium Sacrificii cruenti Christi, ut notat Henr. apud Trull.: Proinde nomine Missæ Sacrificium novæ legis significamus. Ut autem altius ejus quidditas percipiatur, peruestigare oportet, quid sit sacrificium, & quotuplex.

I. Quæritur itaque primo, quid sit Sacrificium in communi, prout complectitur Sacrificia veteris, & novæ legis?

Respondeo ex Lessl. lib. 2. cap. 38. num. 19., esse *Oblationem rei sensibilis factam Deo a legitimo Ministro per realem immutationem, ad restandum supremum illius dominium in omnia, præsertim in vitam, & mortem nostram, & ad protestationem nostræ subjectionis.*

Dicitur primo, quod sit *Oblatio*,

ut patet ex illo ad Hebræos 5. ubi dicitur, *Ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis*; & in hoc convenit cum aliis oblationibus, quæ non sunt Sacrificia, ut sunt Decimæ, Primitiæ, &c.

Dicitur secundo, *Rei sensibilis*, quia fit nomine totius Reipublicæ humanæ, quæ est sensibilis, unde oblatio suimet interna facta Deo non est proprie Sacrificium, & largo solum modo dicitur a Davide, quod contritio sit Sacrificium, in Psal. 50.: ubi dicit, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*; quia scilicet oblatio interna est veluti anima Sacrificii, sine qua Deo Sacrificia non sunt accepta; unde de iis subdit David, *Holocaustis non delectaberis.*

Dicitur tertio, *Facta a legitimo Ministro*; quia cum oblatio sacrificialis sit oblatio facta nomine totius Reipublicæ humanæ, debet fieri a persona publica auctoritate deputata: Quare Sacrificium, & Sacerdotium sunt inter se inseparabilia, ex Trid. sess. 23. cap. 1., & ideo Apostolus 1. ad Corinth. 5. dicit, *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis*: & deinde subdit, *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* In lege autem naturæ Sacrificia non fuerunt a Deo instituta, sed a Republica; Sacerdotes autem vel erant omnes primogeniti, ut putat D. Hieron., ubi agit de Melchisedech; Vel omnes Patresfamilias, ut putat Conink, addens ex Suar. disput. 4. sect. 2., omnes Patresfamilias fuisse relate ad immolationem Agni paschalis Sacerdotes, etiam apud Judæos, ex institutione Dei, confirmantis in hoc statum legis naturæ. Quamvis relate ad alia Sacrificia extra Tribum Levi nullus erat Sacerdos ex Apostolo ad Hebr. 7. Porro in lege veteri Sacrificia designata fuerunt a Deo;

Deo; in lege nova a Christo Domino, ut videre est apud Suar. disp. 73. sect. 3.

Dicitur quarto, *Per realem immutationem ad testandum, &c.*, quia per actionem destructivam rei oblatæ protestamur, Deum esse supremum Dominum, a quo habemus quæcumque habemus, nosque esse paratos omnia profundere, vitam etiam nostram instar illius rei, quam immolamus in ejus obsequium. Unde fit, Sacrificium soli Deo offerri posse; quia solus Deus est supremus Dominus omnium.

II. Sequitur hinc primo, quod quamvis Sacrificium, & Sacramentum conveniant in hoc, quod sint signum sensibile, & symbolicum; differunt tamen, quia Sacramentum est institutum primo, & per se ad conferendam gratiam, & est locutio sensibilis Dei donantis gratiam, facta per suos ministros: Contra vero, Sacrificium primo, & per se instituitur ad protestandum Dei dominium supremum, & nostram subjectionem; unde est locutio creaturæ protestantis suam subjectionem. Non repugnat tamen, quod idem simul sit Sacrificium, & Sacramentum secundum diversas rationes; ut de facto est Eucharistia, quæ quatenus est a Deo loquente, & donante gratiam, est Sacramentum; quatenus est a creatura protestante suam subjectionem, est Sacrificium. Immo secundum aliam rationem Eucharistia est pariter authenticum testamentum voluntatis Christi donantis nobis hæreditatem seu vitam æternam, ac semetipsum; ut proinde in verbis consecratoris dicatur esse Testamentum novum, non solum quia hæreditas nobis per illud confertur circumscripta morte Testatoris; sed etiam quia hæreditas, quæ nobis per illud confertur, & bona Testatoris continet, & ipsum etiam Testatorem, in hac, & in æterna vita fruendum,

Pars V.

Sequitur secundo, posse ex natura rei Rempublicam Ecclesiasticam auctoritate propria instituire Sacrificia, non Sacramenta: At Christus Dominus interdixit Ecclesiæ, ne Sacrificium institueret distinctum ab eo, quod ipse instituit, (prout constat ex sensu omnium Doctorum, & traditione perpetua Ecclesiæ) ut sic magis elucescat dignitas Sacrificii Eucharistici, quod omnium Sacrificiorum prærogativas in se conservat.

III. Quæritur secundo, Quotuplex sit Sacrificium?

Respondeo ex Becan. cap. 25. quæst. 3., dividi primo ratione *Status*, seu temporis in Sacrificia legis naturæ, legis Veteris, seu Mosaicæ, & legis Evangelicæ. Secundo ratione *Materia* in Victimam, seu Hostiam, Immolationem, & Libamen. *Victima* erat, in qua offerebatur aliquod animal, videlicet Ovis, capra, hædus, bos, vitulus, columba, passer, turtur: *Immolatio* erat, quando offerebatur res inaninis solida, videlicet panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum virentium, & triticum, ut patet ex cap. 1., & 2. Levitici; Panis enim in frustra scindebatur; simila sartagine, clibano, vel craticula cremabatur; Sal urebatur; Thus adolebatur; Spicæ torrebantur; triticum conterebatur; Demum *Libamen* dicebatur, quando offerebatur res inaninis liquida, videlicet sanguis, vinum, oleum, aqua, quæ effusione offerebantur: Tertio dividitur Sacrificium ratione *Formæ* in Holocaustum, Sacrificium, seu Hostiam pro peccato, & Hostiam pacificam. *Holocaustum* erat, in quo tota res in fumum resolvebatur; *Sacrificium pro peccato*, quando res partim cremabatur, partim cedebat in usum Sacerdotum; hoc autem Sacrificium non offerebatur pro solis peccatis internis, sed etiam pro externis, videlicet ignorantia circa care-

K 3 mo.

monias, furti, calumniæ, perjurii, ut constat ex Levit. 4. 5. 6. 7. *Hostia pacifica*, quæ offerebatur vel in gratiarum actionem, vel ad nova beneficia impetranda, partim cremabatur, partim edebatur a Sacerdotibus, partim ab iis, qui eam obtulerant. Demum Sacrificium ratione *Finis* dividitur in *Laurenticum*, quod solum fit ad colendum Deum, protestando nostram servitutem, idque potissimum fiebat holocausto: *Propitiatorium*, quod offertur pro peccatis, & pro peccatorum pœnis, ac flagellis avertendis; & hoc dicebatur *Hostia* pro peccato; *Eucharisticum*, quod fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis: *Impetratorium*, quod fit ad nova beneficia impetranda, & utrumque in lege veteri dicebatur *Hostia pacifica*. Ex quibus colligitur, omnia hæc Sacrificia eminenter contineri in Sacrificio *Missæ*.

IV. Quæritur tertio, An Sacrificium *Missæ* sit proprie Sacrificium?

Respondeo affirmative ex Trid. sess. 22. can. 1. contra hæreticos nostri temporis. Ratio est, quia in *Eucharistia* sunt omnia, quæ ad Sacrificium requiruntur, Sacerdos, qui offert, *Hostia*, quæ offertur, nempe *Christus Dominus* sub specie panis, & vini, *Deus*, cui offertur, *Ecclesia*, pro qua offertur, *Altare*, & *Actio ipsa sacrificativa*.

Neque dicas, Sacrificium *Crucis* cruentum habuisse vim infinitam, ut proinde non indigeamus alio Sacrificio. Nam ex Trid. hoc Sacrificium incruentum non est aliud a cruento, sed illud idem diverso modo, quod ideo repetitur, ut virtus *Crucis* (in qua omne pretium pro nobis perlutum fuit) nobis magis, magisque applicetur.

ARTICULUS II.

Quænam sint partes essentielles nostri Sacrificii? Quænam res oblata? & Quis sit offerens?

- I. Probabilius *Missa* Sacrificium in sola Consecratione consistit.
- II. In præsentis providentia essentialiter requiritur utriusque speciei consecratio. Num *Innoc. VIII.* permiserit *Norvegis*, ut in solo pane consecrarent?
- III. Res oblata in hoc Sacrificio principaliter est *Christus Dominus*, et tamen a speciebus panis, & vini integratur, nullatenus vero a panis, & vini substantia.
- IV. Principalis offerens pariter est *Christus Dominus*, per hoc, quod ejus nomine Sacerdos offerat, & ut *Christi Minister*.
- V. Quonam pacto alii fideles sint pariter offerentes?

I. Quæritur primo; In quam actionem consistat Sacrificium *Missæ*? Num in oblatione panis, & vini, an in consecratione, an vero in sumptione, an demum in complexo istorum indivisibiliter sumpto?

Respondeo, Scotum cum *Coninck* velle, quod consistat in utraque oblatione, altera, quæ fit ante consecrationem, altera post consecrationem, dum dicit Sacerdos, *Unde & memores, &c. offerimus præclara Majestati tuae, &c.* Sotus vult, quod in utraque oblatione, consecratione, & consumptione: Alii cum *Bellar.* lib. I. cap. 27., in consecratione, & consumptione simul; Suarius cum aliis in sola Consecratione: Consumptionem vero alii volunt esse partem integram, ut est satisfactio in Sacramento *Pœnitentiæ*. Equidem puto, consistere in sola consecratione, ita ut
ne

ne pars quidem integralis sit sumptio. Ratio est, quia Euangelista solum commemorant consecrationem factam a Christo Domino, dum Sacrificium hoc instituit, quin dicant ipsum comedisse corpus suum; ergo quamvis aliter institui potuisset hoc Sacrificium, dicendum, quod de facto ita institutum sit, ut sola consecratio pertineat ad ejus essentiam; Nec est mirum, quod eadem actio producat victimam, & illam immolet, ac sacrificet: Sicut enim si quis divinitus ovem in igne produceret, eadem actione posset ovem producere, & immolare; Ita Christus Dominus dum ponitur sub speciebus panis, & vini, fit proxime comestibilis, & ideo ponitur sub statu valde propinquo ad desitionem, (quatenus per manducationem deinde desinit esse sub speciebus panis) & sic immolatur simul, & sacrificatur. Ex quo sequitur, die Parasceves non haberi Sacrificium; Et quamvis Ecclesia dicat, *Orate Fratres, ut meum, ac vestrum Sacrificium*, loquitur de Carne Christi pridie in Sacrificium oblata: deinde cum dicit Ecclesia in eadem Missa, *Sic fiat Sacrificium nostrum, ut placeat tibi*, loquitur non de Victima secundum se, seu de Christo Domino secundum se spectato; sed quatenus est sub actione illa consumptiva. Rogat itaque, ut victima sub actione illa, qua manducatur, placeat Deo, & conferat ad nostram utilitatem.

Neque dicas; Si sumptio non esset pars Sacrificii, saltem integralis, non esset necessaria, ac de jure divino. Nam contra est, quia non satis constat apud Doctores, quod sumptio sit de jure divino: Sed eo transmissio, dicendum, quod præcepta sit a Christo Domino, tanquam complementum accidentale Sacrificii, videlicet non ut per illam integretur Sacrificium, sed ut per illam participemus

de Sacrificio jam perfecto. Ex quibus sequitur, Sacerdotem debere applicare Sacrificium ante consecrationem juxta praxim Ecclesiæ, quæ utitur illis verbis in offertorio, *Pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus meis, pro omnibus circumstantibus, &c.* Quare speciales illæ orationes in utroque Memento non spectant ad directam applicationem Sacrificii, sed ad speciales preces fundendas pro illis tam vivis, quam defunctis, pro quibus Sacerdos specialiter est affectus. Verum quia probabilis est opinio Bellar., & aliorum quod sumptio sit pars essentialis Sacrificii, ideo qui post consecrationem ante sumptionem applicaret Sacrificium illi, a quo habuit eleemosynam, censetur illius voluntati fecisse satis; ut docet Tambur. de Sacrif. Miss. lib. 2. cap. 2. §. 10. n. 7. Sicut enim Beneficiarius non tenetur ad restitutionem fructuum, si recitet Horas juxta probabilem sententiam, quod per talem recitationem præcepto Horarum satisfiat; Ita Sacerdos non tenetur ad restitutionem stipendii, si applicet Sacrificium juxta sententiam probabilem quod sumptio sit pars essentialis Sacrificii. Aliter nec satisfaceret, si applicaret Sacrificium post oblationem ante consecrationem, cum sit probabile quod etiam Oblatio prævia ad Sacrificium pertineat; quod tamen nemo dixerit.

II. Quæritur secundo; An sit de essentia Sacrificii Eucharistici, quod fiat sub utraque specie?

Respondeo, secundum se neque esse de essentia, neque esse requisitum essentialis, quod consecratio fiat sub utraque specie in hoc Sacrificio, ut docent communiter cum Suar., Arriaga, contra Vasq. Ratio est, quia quamvis consecratio habeat rationem Sacrificii sub ratione mysticæ mactationis, quatenus ex vi verborum corpus,

pus, & sanguis separantur, quod significatur ab Apostolo dicente 1. ad Corinth. 2. *quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*: Nihilominus Sacrificium Christi cruentum representari potest sub una tantum specie, quatenus ex vi verborum vel venit solum corpus, quod praecisum a sanguine corpus mortuum representat, vel venit solus sanguis Christi, quod effusum, & a corpore separatum etiam Christi mortem adumbrat.

In praesenti tamen providentia, ut expressius significetur Christi mors, essentialiter requiritur utriusque speciei consecratio. Ita D. Th., & alii apud Arriagam, qui putat id sufficienter ostendi ex sensu omnium communissimo. Verum dato, quod hoc non spectet ad essentiam Sacrificii, negari non potest dari praecceptum divinum de consecrando sub utraque specie; in quo praeccepto non potest consequenter Pontifex dispensare. Quamvis Trull. lib. 3. cap. 7. disp. 2. ut diximus quaestione super. art. 3., probabilem putet Sententiam Henr. lib. 8. cap. 13. Tabienae, & Angeli, quod poterit urgente necessitate Pontifex tale praecceptum interpretari: Quicquid sit, an de facto Innoc. VIII. anno 1490. consenserit, quod Norvegiani in solo pane consecrarent propter defectum vini; quod multi asserunt apud Henr. loc. laud.

III. Quaeritur tertio; Christus ne, an species consecrata, an substantia panis, & vini spectent ad hujus Sacrificii materiam, ut res oblata?

Respondeo, & dico primo: Res, quae principaliter offertur, est Christus Dominus: Nam ex Trid. sess. 22. cap. 2. haec habentur: *In hoc Sacrificio Missae idem ille Christus in cruce immolatur, qui in ara Crucis semel se cruentem obtulit*: Quia tamen non offertur Christus, ut existens in propria spe-

cie, sed quatenus fit sensibilis per accidentia panis, & vini, ideo species panis, & vini integrant materiam hujus Sacrificii, & secundario offeruntur, ut docet Suar. contra Vasq., Con., & alios.

Dico secundo, substantia panis, & vini nullo pacto ingrediuntur materiam hujus Sacrificii, - tamquam res oblata. Ita communiter. Et ratio est, quia materia panis, & vini in hoc Sacrificio annihilatur. Haec tamen destructio non intenditur per se, sed ut dispositio, & requisitum ad Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi, qui non aliter potest fieri nobis in aliena specie sensibilis, & demonstrabilis, nisi per destructionem talis substantiae.

IV. Quaeritur quarto, quisnam sit Offerens in hoc Sacrificio?

Respondeo, & dico primo; Principalis offerens est Christus Dominus summus Sacerdos. Patet, tum quia verba consecratoria in persona Christi proferuntur, & Sacerdos nomine Christi, & ut illius Minister offert; tum etiam quia Trid. sess. 22. cap. 1. dicit, *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, &c.* quare Christus Dominus non dicitur principalis offerens, quia Sacrificium hoc instituit; Nec quia actu hanc oblationem offert cum Sacerdote Deo, representando suam passionem; Quamvis enim hoc vere fecerit, tamen non requiritur hoc, nec satis est, ut dicatur Principalis offerens; sed requiritur, & satis est, ut nomine Christi Sacerdos offerat; atque adeo satis est, quod Christus delegarit Sacerdotes, qui nomine suo offerrent, & quod talem delegationem non retractarit. Ex eo autem, quod potestatem offerendi Sacrificium communicaverit Sacerdotibus, bene inferitur, quod ipse sit Sacerdos in aeternum, habens potestatem offerendi im-

immediate Sacrificium ; aliter si potestatem hanc non haberet, non posset illam delegare .

Dico secundo ; Solus Sacerdos legitime ordinatus habet potestatem offerendi hoc Sacrificium nomine Christi, seu ut Minister Christi: Ita Trid. Et ratio est, quia solus Sacerdos habet potestatem consecrandi ; cum autem Sacrificium consistat, ut diximus art. præced., in consecratione, sequitur, quod solus Sacerdos possit Sacrificium offerre .

V. Dico tertio ; Omnes fideles possunt hoc Sacrificium offerre Deo per Sacerdotem. Ita communiter Catholicis apud Suar., & D. Th. quæst. 82. art. 6. ; Et colligitur ex illis verbis Canonis, *Et omnium circumstantium, &c. pro quibus tibi offerimus* (idest pro iis, qui circumstant, & non sunt Sacerdotes Sacrificantes) *Vel qui tibi offerunt*, idest non solum Sacerdotes, sed etiam omnes fideles, ut explicat Innoc. lib. 3. cap. 5. apud Trull., & habet communis expositio. Quod etiam colligitur ex illis verbis Canonis, *Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus, &c.* Et ratio est, quia cum Sacrificium sit publicus Dei cultus nomine totius populi factus, ad omnes debet pertinere illud offerre, licet non immediate, sed per Sacerdotem, seu Ministrum publicum ad id deputatum. Quamvis autem omnes Catholici non excommunicati aliqua ratione quodlibet Sacrificium per Sacerdotes offerant, quatenus, ut notat Con. num. 108., Sacerdos offert hoc Sacrificium in persona totius Ecclesie ; (sicut tota civitas dicitur agere, quando ejus Legatus agit apud Regem) tamen, ut advertit Ill. tract. 5. cap. 2. quæst. 3., ille dicitur specialiter offerre, & specialiter participat fructum Sacrificii, qui moraliter cooperatur, & speciali concursu concurrat ad illud ; Verbi gratia, petendo

Missam, procurando illam, dando eleemosynam pro illa, inserviando, aut saltem assistendo illi ; Unde ille magis dicitur offerre hoc Sacrificium, & magis ejus fructum participat, qui magis, & pluribus modis cooperabitur ; sic verbi gratia, magis offert, qui Missæ inservit, quam qui solum assistit, &c.

ARTICULUS III.

De Effectibus hujus Sacrificii. Ubi an sit valoris infiniti ?

- I. *Ex opere operato solum mediate, & per modum Impetrationis confertur prima gratia, & peccatorum remissio vi hujus Sacrificii.*
- II. *Remissio vero venialium etiam immediate ; sicut etiam penarum temporalium peccatis debitarum ; sed an infallibiliter ?*
- III. *Quatenus Impetratorium obtinet nobis etiam bona temporalia, si conducant saluti.*
- IV. *Habet hoc Sacrificium vim causativam suorum effectuum inensive infinitam.*
- V. *Et probabiliter etiam extensive infinitam, ut habuit Sacrificium cruentum.*
- VI. *Cur nequeat Sacerdos eadem Missa pluribus obligationibus satisfacere ; si scilicet uni debeat Missam ex stipendio, alteri ex promissione, &c.*

I. **N**ON loquimur hic de effectibus, quos habet ex opere operantis, quatenus est actus virtutis religionis ; nam sic consideratum eodem habet effectus, quos habent alii actus virtutis ; videlicet primo mereri augmentum gratiæ ; secundo satisfacere pro peccatis propriis, vel illius, cui talis satisfactio applicatur ; tertio impetrare sibi, vel alius aliquod

bo.

bonum. Agimus itaque de effectibus, quos ex opere operato habet, quatenus Sacrificium est, praescindendo a dignitate operantis.

Quaeritur primo; Quinam sint effectus hujus Sacrificii?

Respondeo, & dico primo, non confert hoc Sacrificium ex opere operato primam gratiam, ac remissionem peccatorum. Ita communiter: Et ratio est, tum quia non constat, quod ad talem effectum operandum sit institutum; tum etiam quia Sacramentum Poenitentiae non esset secunda tabula post naufragium, si possent per hoc Sacrificium etiam deleri peccata. Quare dum dicitur in Consecratione Calicis, quod effundendus sit sanguis Christi in remissionem peccatorum, intelligendum est tum de effusione cruenta; idque mediate, videlicet applicata per Sacramenta; tum etiam de effusione mystica, sed tantum relate ad remissionem venialium, & solum per modum impetrationis relate ad remissionem mortalium, ut mox dicemus ex Suar. disp. 79. sect. 3. Fill., Trull.

Dico secundo; Hoc Sacrificium confert ex sua institutione primam gratiam, & remissionem peccatorum solum per modum impetrationis, & mediate; quatenus scilicet intuitu hujus Sacrificii donatur peccatori donum poenitentiae, hoc est auxilium ad contritionem, qua peccata remittuntur. Ita Suar. loc. cita., Fill., Bonac. ex D. Th., Et colligitur ex Trid. sess. 22. cap. 2. ubi habet: *Hujus quippe Sacrificii oblatione placatus Dominus gratiam, & donum poenitentiae concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Quibus verbis ostendit Concilium, Sacrificium Missae esse vere propitiatorium, & placativum Dei, & inde oriri caetera bona; Prius enim debet placari Deus offensus, ut evadat deinde largitor honorum;

Placatur autem Deus, si tollatur indignationis obex positus a peccatis nostris, quae obstabant, ne Deus sua bona nobis largiretur; ac obice sublato, fit nobis benevolus; non quasi vero statim peccatoribus det donum poenitentiae, & omnia sua bona nobis largiatur infallibiliter, posito quocumque Sacrificio; cum id non experiamur; sed quia posito Sacrificio, Deus, qui erat a peccatoribus averfus, deposita vel totaliter, vel partialiter indignatione, fit promptus ad illis concedendum donum poenitentiae, ac reliqua bona, & ad avertenda mala. Suar., Vasq., Trull., Fill., & alii putant hujusmodi auxilia ad contritionem non dari infallibiliter peccatoribus, pro quibus offertur Sacrificium; ne eatenus nimium fidant. Equidem tamen probabiliorem puto sententiam oppositam, quod scilicet infallibiliter hujusmodi auxilia peccatoribus dentur, & justis aliqua bona supernaturalia, quae conducant ad gratiam, & gloriam. Ratio est quia hoc Sacrificium est essentialiter propitiatorium, & placativum reddens benevolam Deum, qui propter peccata erat averfus; non potest autem Deus dici benevolus, nisi etiam sit benefaciens: ergo infallibiliter debet bonum aliquod supernaturale conferre intuitu Sacrificii ex opere operato iis, pro quibus offertur. Adverte tamen hujusmodi auxilia, quae infallibiliter a Sacrificio impetrantur, non semper esse absolute efficacia; quamvis enim ex parte Dei dentur sincero affectu, ut sint efficacia; aliquando tamen sunt tantum sufficientia, quia culpa nostra non redduntur a nobis efficacia. Sic autem dicendo, salvamus experientiam, quod non semper peccatores convertantur; & apte applicamus promissionem factam a Christo, quod effundendus sit sanguis Eucharisticus in remissionem peccatorum; quia

quia scilicet semper affert auxilium aliquod supernaturale, saltem sufficiens, ordinatum ad remissionem peccatorum obtinendam.

Dico tertio; Non confert hoc Sacrificium ex opere operato immediate augmentum gratiæ. Ratio est, quia non constat, quod illi talis virtus concessa sit; sicut concessa est Sacramentis. Quare solum potest augmentum gratiæ conferre ex opere operato mediate per modum impetrationis (eo modo, quo diximus, conferre peccatori primam gratiam) conferendo scilicet aliquod auxilium supernaturale, saltem sufficiens, ordinatum ad eliciendum actum, quo crederet in gratia justus, pro quo Sacrificium offertur.

II. Dico quarto; Hoc Sacrificium non solum confert remissionem venialium mediate, (conferendo scilicet auxilium ad eliciendum actum amoris, vel contritionis, quo venialia remittantur, sicut habet vim remittendi mediate ex opere operato mortalia) sed etiam probabile est habere vim conferendi remissionem venialium ex opere operato immediate, ut docet Henr. lib. 9. cap. 13. num. 2., & alii apud Trull. Ratio est, quia Trid. sess. 22. cap. 2. docet, *offerri hoc Sacrificium pro fidelium vivorum peccatis, & in remissionem eorum, que a nobis quotidie committuntur, peccatorum*: Quare cum speciali modo loquatur Trid. de remissione peccatorum quotidianorum, seu venialium, probabile est, quod specialiter vi hujus Sacrificii illa remittantur; atque adeo non solum mediate, sicut mortalia, sed etiam immediate.

Dico quinto; Cum Sacrificium hoc non solum sit Propitiatorium, sed etiam satisfactorium pro pœnis, quæ peccatis debentur; ideo effectus etiam hujus Sacrificii est remittere ex

opere operato hujusmodi pœnas temporales tam vivis, quam defunctis. Ita communiter Theologi ex Trid. loc. citat. ubi dicitur: *Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, sed pro defuncti, etiam nondum ad plenum purgatis juxta Apostolorum traditionem offertur*. Et sane cum Sanguis Eucharisticus effundatur in remissionem peccatorum, debuit se extendere ad remissionem etiam pœnarum, quæ aliqua ratione dicuntur peccata, quatenus sunt reliquiæ, & effectus peccatorum: & ideo 2. Machab. 12. dicitur: *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*, id est a pœnis peccatorum. Quamvis autem posset hoc Sacrificium remittere pœnas tantum mediate, videlicet impetrando vires spirituales ad augenda opera pœnitentiæ, quibus satisfacimus Deo; tamen probabile etiam est quod etiam immediate pœnas remittat, impetrando nobis applicationem satisfactionum, & meritorum Christi, quibus Deus remittat pœnas nobis debitas, (sicut diximus, quod etiam immediate remittat venialia juxta probabiliorē sententiam) cum Trid. dicat offerri hoc Sacrificium *pro pœnis, & satisfactionibus*.

Rogabis, an infallibiliter etiam hunc effectum producat?

Respondeo cohærenter ad dicta affirmative; cum enim hoc Sacrificium sit essentialiter placativum Dei, ex Trid. sess. 22. cap. 2., debet non solum tollere, vel minuere indignationem Dei offensi, sed etiam pro pœnis debitis satisfacere: Quomodo enim diceretur Deus placatus, si nihil de satisfactione sibi debita per injuriam remitteret?

Notandum tamen cum Bonac. de Indulg. punct. 6., quod quando pro defunctis offertur Sacrificium, liberum fit Deo illud acceptare; Sicut enim

fi

si Petrus prabeat Regi satisfactionem pro offensa, quam a Titio Rex accepit, liberum est Regi, talem satisfactionem acceptare, cum possit exigere satisfactionem ab eodem Titio offensore; ita suffragia, Indulgentiæ, Sacrificia, quæ pro defunctis offeruntur, libere a Deo acceptantur; & ideo Indulgentiæ, & Sacrificia, & operationes bonæ, quas pro defunctis offerimus, dicuntur offerri per modum suffragii, hoc est per modum solutionis pro illis exhibitæ, non per modum absolutionis, aut iudicii, quia Ecclesia nullam habet in defunctos auctoritatem, & jurisdictionem, prout explicavimus in Opusculo de Jubilæo quæst. 5. art. 3.

III. Dico sexto; Quia Sacrificium hoc etiam est Impetratorium, ideo effectus hujus Sacrificii est etiam obtinere bona non solum spiritualia; sed etiam temporalia. Quod constat ex usu Ecclesiæ, quæ consuevit in hoc Sacrificio etiam pro necessitatibus temporalibus orare; Quamvis temporalia bona aliquando aut non obtineantur, aut non statim, quia petuntur sub implicita illa conditione, si conducant ad salutem?

IV. Queritur secundo; An valor hujus Sacrificii sit infinitus, ita ut æque proficit cuilibet, si pro omnibus offeratur, ac si pro uno tantum?

Respondeo, certum esse primo, valorem hujus Sacrificii esse infinitum, si spectetur ex parte rei operatæ, seu quæ offertur, quæ est Christus Dominus, qui est persona infinita, & cujus passio, merita & satisfactio pariter sunt infiniti valoris.

Certum est secundo, quod si Sacrificium Missæ spectetur relate ad effectum satisfaciendi, & impetrandi de facto, semper causat effectum finitum: sicut ipsum Sacrificium cruentum Crucis quamvis esset infiniti valoris, & potuisset infinitos esse-

ctus causare, de facto tamen a Deo relate ad effectum finitum fuit ordinatum, & acceptatum.

Certum est tertio, quod valor hujus Sacrificii relate ad hos effectus sit infiniti valoris, in actu primo remoto, non secus ac Sacrificium Crucis; quatenus poterat a Deo ordinari, & acceptari relate ad effectus infinitos, & ut pro infinitis peccatis satisfaceret, & bona infinita impetraret. Ratio est, quia ex Trid. loc. citat. *Una eademque est hostia, & idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit.* Quare negari non potest, quod in hoc Sacrificio incruento existat dignitas omnino infinita, quæ ex natura sua sit capax acceptationis, & ordinationis ad effectus infinitos.

Certum est quarto, quod si spectetur Sacrificium secundum quod offertur a Sacerdote, ut persona privata, vel prout offertur ab ipsa Ecclesia, sit valoris finiti; non secus ac valoris finiti fuit oblatio facta a B. Virgine in Templo, quando obtulit filium suum. Quamvis enim res oblata esset infinita, quia tamen in oblatione honorifica spectatur magis persona offerens, quam res oblata, ideo cum persona offerens sit finita, finiti valoris erit oblatio: Et in eo solum casu oblatio rei infinitæ facta a persona finita erit valoris infiniti, quando res oblata est valde utilis, & commoda ei, cui offertur, non vero quando spectatur solum submissio personæ offerentis.

Dubium itaque solum est, an sit infiniti valoris hoc Sacrificium, prout a Christo Domino oblatum principaliter in eo sensu, in quo est infiniti valoris Sacrificium Crucis, quod ita prodest omnibus hominibus præteritis, præsentibus, & futuris, ut eodem modo proficit singulis, sive pro uno tantum offerretur, sive pro omnibus, etiam si essent

essent infiniti. Et sane in Sacrificio Missæ triplex effectus assignatur communiter apud Suar. disp. 79. sect. 9. Generalis, Medius, seu specialis, & specialissimus. Generalis est ille, quem Ecclesia intendit applicare omnibus fidelibus, tam vivis, quam defunctis, & præsertim Pontifici, Episcopo, & aliis, quorum Sacerdos meminit in utroque Memento. Specialissimus est ille, qui est proprius Sacerdotis, adeo ut aliqui apud Azor. lib. 50. quæst. 10. punct. 9., putent non posse aliis applicari: Sicut enim qui inservit Missæ speciali modo participat fructum Sacrificii magis, quam qui assitit, & quam omnes fideles; ita Sacerdos, qui majorem operam navat huic Sacrificio, quam qui inservit, habet etiam ex opere operato effectum correspondentem tali actioni. Tertius Medius, qui ab aliis dicitur specialis, & est ille, qui competit ei, cui Sacerdos Sacrificium applicat juxta praxim Ecclesiæ. De effectu specialissimo, quod sit finitus, non est dubium; quia correspondet actioni Sacerdotis, in quantum persona privata est, quæ est finita dignitatis. De effectu Generali, quod sit etiam finitus intensive, patet; quia aliter statim omnes animæ e purgatorio liberarentur. Dicitur tamen Sacrificium esse relate ad hunc effectum aliquo modo infinitum extensivè, quatenus non tot prodest, quin possit prodesse pluribus. Quare solum de effectu, qui dicitur Medius, quæritur; An sit infiniti valoris, ita ut æque prosit singulis, sive pro pluribus, sive pro paucioribus offeratur?

Bonac., Suar., Con., Trull. docent esse finitum valorem Sacrificii relate ad hunc effectum Medium ex opere operato productum; non secus ac relate ad effectum specialissimum proprium Sacerdotis; Unde si pro mul-

tis idem Sacrificium offeratur, minus prosit singulis, quam si offeratur pro paucis: Sicut Oratio ex opere operantis efficacior est ad impetrandum, si pro uno offeratur, quam si pro multis.

Dico equidem primo: Hoc Sacrificium non solum habet valorem, & dignitatem intrinsecam infinitam, sed etiam vim causativam suorum effectuum intensive infinitam in actu primo proximo.

Probat, quia illa causa dicitur habere virtutem causativam in actu primo proximo intensive infinitam, quæ potest producere effectus intensive perfectiores, & perfectiores in infinitum: Sicut Omnipotentia Dei dicitur habere virtutem productivam intensive infinitam in actu primo proximo: quamvis non possit producere creaturam aliquam perfectionis categorematicæ, & simpliciter infinitæ. Cum enim possit producere creaturas perfectiores, & perfectiores syncategorematicæ in infinitum, ideo dicitur habere vim causativam in actu primo proximo intensive infinitam, & ipsa Omnipotentia consequenter est simpliciter & categorematicæ intensive infinita: atqui hoc sacrificium est hujusmodi. Nam ex D. Th. quæst. 79. art. 5. producit effectum juxta dispositionem participantium de Sacrificio: Cum autem dispositio possit magis, magisque crescere in infinitum; idcirco poterit Sacrificium causare effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum. Idemque pariter dicas de Eucharestia, ut Sacramentum est, quod similiter juxta dispositionem suscipientis gratiam producit, ut sic homines excitentur ad devotissime illud suscipiendum: Et hinc colligitur, quare non satis sit unum Sacrificium ad omnia bona obtinenda, ad placandum Deum pro omnibus culpis, & ad satisfaciendum pro omnibus pœnis: Hoc enim non oritur

oritur ex insufficientia Sacrificii, sed devotionis nostræ. Quod etiam eruitur ex illis verbis Canonis: *Et omnibus Orthodoxis, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio.*

V. Dico secundo cum Nugno, Cajet., Pal. de Sacrificio punct. 6., Valqu. disp. 231. de Euchar. contra Suar. apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 81. Sacrificium hoc non solum habere vim causativam suorum effectuum infinitam in actu primo proximo intensive, sed etiam extensive. Ad eum modum quo Omnipotentia vim habet causativam in actu primo proximo infinitam non solum intensive, sed etiam extensive; quatenus non solum potest producere creaturas perfectiores, & perfectiores in infinitum, sed etiam plures & plures in infinitum; Esto non posset producere multitudinem categorematice infinitam; quam multi Doctores censent repugnare.

Probat. Habet hanc vim causativam suorum effectuum in actu primo proximo, non solum intensive, sed etiam extensive, syncategorematice infinitam Sacrificium incruentum Crucis, quatenus æque prodest singulis, sive pro pluribus, sive pro paucioribus offeratur: ergo idem dicendum de hoc sacrificio incruento. Et sane Missa æque prodest singulis, sive a pluribus, sive a paucioribus audiatur; ergo pariter æque prodest eadem Missa singulis, sive pro paucioribus, sive pro pluribus a sacerdote applicetur. Ratio a priori est, quia cum habeat vim causativam intensive infinitam, ut diximus in prima conclusione, non potest non habere pariter vim extensive infinitam; sicut si daretur vis calefactiva infinita intensive, hæc esset pariter infinita extensive; ita ut ejus efficacia relate ad singula subjecta eadem sit, sive unitantum, sive pluribus applicetur.

Confirmatur, quia ex Suar., eadem particula consecrata, sive divisa, sive replicata, si applicetur infinitis, eodem modo singulis causat gratiam, ac si uni tantum applicaretur per manducationem: ergo idem dicendum de Eucharistia, ut Sacrificio. Quod latius in Cursu Theologico profecuti sumus.

Oppones usum Ecclesiæ; nam qui offert Sacrificium, verbi gratia pro anima sui parentis, ita ut illi proficit, quantum prodesse potest, applicat solum pro tali anima Sacrificium, & non pro aliis.

Confirmatur; quia aliter posset duplex Stipendium pro eadem Missa recipere Sacerdos, qui illam applicat pro duobus, quod proscribitur in Thesi X. Alex. VII.

Respondeo, usum Ecclesiæ esse hujusmodi propter majorem securitatem, cum opinio nostræ non sit omnino certa. Adde, quod qui petit Sacrificium, vult, ut sibi applicetur non solum fructus Sacrificii, qui habetur ex opere operato, sed etiam qui habetur vi orationum, quæ in Missa dicuntur, ex opere operantis; hic autem fructus est finitus, & consequenter si pluribus applicaretur, minus prodesset singulis.

Ad confirmationem negatur sequela, quam aliqui olim immerito concedebant. Ratio est primo, quia stipendium non datur Sacerdoti, nisi pro sustentatione ejusdem, quæ eadem est, sive pro pluribus, sive pro uno tantum Missam offerat. Secundo, quia qui petit Missam, vult esse securus de toto fructu Missæ, & ideo vult, ut tantum sibi Missa applicetur, ne exponatur periculo, quod minus sibi proficit, si pro pluribus applicetur. Unde contra justitiam peccaret, qui stipendio accepto promitteret uni Missam, illamque deinde pro pluribus applicaret. Tertio, quia fructus

Mis-

Missa, qui habetur ex opere operantis vi orationum, quæ in illa dicuntur, est finitus, & petitur ab eo, qui dat elemosynam pro Missa; unde si pluribus applicaretur eadem Missa, minus singulis relate ad talem effectum prodesset.

Hinc sequitur, rejiciendam esse opinionem illam, quod si debeat Sacerdos celebrare unam Missam pro Titio, a quo accipit stipendium, & alteram pro Cajo, cui illam promissit, vel pro defuncto, cui debet ex voto, possit una Missa his omnibus obligationibus satisfacere. Ratio est, tum quia licet non minueretur fructus Sacrificii, qui habetur ex opere operato, minueretur tamen fructus, qui habetur ex opere operantis vi orationum, precum, & aliarum piarum actionum, quæ in Missa fiunt a Sacerdote, ut Ministro Ecclesiæ: Tum etiam quia cum hæc opinio sit incerta, qui dedit stipendium, & is, cui promissa est missa, exigunt, ut pro se adequate missa offeratur, ne exponantur periculo, quod minus accipiant. Quare licet possit aliis obligationibus, quæ non sunt ex justitia, quilibet satisfacere, sequendo opinionem probabilem: Verbi gratia, qui debet jejunare, vel recitare officium satisfacit, si jejunet, aut recitet officium eodem modo, quo probabiliter satisfacit; At qui debet satisfacere obligationi ex justitia, non potest sequi opinionem probabilem, omiſſa certa; cum non detur æqualitas exigita a justitia inter debitum certum, & solutionem probabilem, & incertam.

Circa fructum Missæ specialissimum docuerunt nonnulli apud Dian. part. 1. tract. 14. resol. 14., quod potest Sacerdos duplicatum stipendium pro eadem Missa accipere, quando applicat pro offerente stipendium non solum fructum medium sed etiam hunc specialissimum, quæ tamen opi-

nio jure merito proscripſta est ab Alex. VII., & antecederet in decreto Urbani VIII., tum quia stipendium datur pro sustentatione Sacerdotis, ut proinde non possint pro eadem Missa multiplicari stipendia; tum etiam, quia incertum est, an possit hujusmodi fructus specialissimus alteri applicari; ut fufius diximus explicando in Trutina octavam Theſim ab Alex. VII. confixam.

ARTICULUS IV.

A quibus, & quomodo fructus hujus Sacrificii participari possint?

- I. Quonam pacto pro Beatis offerri possit Sacrificium?
- II. Valide, & licite pro non Baptizatis offertur.
- III. Cur anima purgantes non sint capaces fructuum Sacramentorum, sint vero capaces, ut pro iis Sacrificium offeratur?
- IV. Probabile est, quod illicite dumtaxat, non vero invalide pro excommunicatis vitandis offertur.
- V. Num possit offerri mentaliter pro excommunicatis vitandis, si sint contriti, & per ipsos non stet, quominus absolvantur?
- VI. Probabilius pro excommunicatis toleratis publice offerri Sacrificium potest.
- VII. In Offerente requiritur intentio saltem habitualis applicandi illud ei, cui vult prodesse, quin tamen possit fructus Sacrificii suspendi.
- VIII. Is, pro quo offertur Sacrificium, debet esse de presenti capax, ac indigens fructu Sacrificii.

I. **Q**ueritur primo; An possit hoc Sacrificium applicari, & valide offerri pro Beatis, aut pro damnatis, ita ut possit aliquo pacto illis prodesse?

Re-

Respondeo negative, cum non sint capaces fructuum hujus Sacrificii. Hinc audiendi non sunt, qui dixerunt pœnas inferni in damnatis minui vi hujus Sacrificii. Nam in iis *Judicium fiet sine misericordia*, ut habetur Jacobi 2. Quare si quis offerat Sacrificium pro anima Titii, quæ est damnata, aut etiam beata, fructus illius Sacrificii cedunt in utilitatem sacrificantis, si habeat intentionem illud sibi applicandi in defectu alterius; aliter reponuntur in thesauro Ecclesiæ, ut notat Henr. lib. 3. cap. 18. Puto tamen, quod satis sit intentio interpretativa applicandi illud sibi, si non prodest alteri, juxta illud Psal. 34. *Oratio mea in sinum meum convertetur*: Sicut autem Beatis prodesse Sacrificium non potest, quatenus satisfactorium, aut propitiatorium, seu placativum Dei, ut patet; ita neque ut impetratorium relate ad gloriam essentialem; solum potest illis prodesse, ut impetratorium relate ad gloriam accidentalem extrinsecam ipsis Sanctis; Sed in hoc sensu prodest nobis, qui illos glorificamus: Propterea sicut non potest offerri Sacrificium pro Deo directe, ut scilicet Deo resulet gloria accidentalis, ita nec pro Sanctis; & sicut in oratione Dominica dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*, non orando directe pro Deo, sed directe pro nobis, ut sanctificemus ejus nomen, indirecte petendo extrinsecum honorem Dei, ita quando offerimus Sacrificium propter gloriam extrinsecam alicujus Sancti, vel Dei: Et quia Sacrificium hoc est etiam Eucharisticum, ideo potest Deo offerri etiam in gratiarum actionem pro beneficiis collatis Sanctis. Nec potest non esse gratissimum Angelo nostro Tutelari, quod Sacrificium Deo offeramus in quantum Eucharisticum in gratiarum actionem, quod gratia efficaci illum munierit in prælio illo

magno, quod inter Michaelem Archangelum, & draconem commissum fuit.

II. Quæritur secundo; An possit Sacrificium hoc valide offerri pro non baptizatis?

Respondeo affirmative cum Suar., & aliis contra Vasq; sicut enim potest non baptizatis conferri Sacramentum Baptismi, ut fiant membra Ecclesiæ, ita potest non solum orari, sed etiam offerri Sacrificium pro non baptizatis, impetrando illis ex opere operato auxilium, ut baptizentur: Cum enim Sacrificium incruentum sit applicatio cruenti; sicut cruentum fuit quoad sufficientiam oblatum etiam pro infidelibus, ita potest offerri incruentum; Quamvis non possit illis prodesse, quatenus satisfactorium est, quia non potest satisfacere pro pœnis debitis ei, qui est in peccato mortali; nec ulla pœna remittitur ei, cui debetur pœna aeterna. Adde, quod etiam licite id fieri possit; nam Apost. 1. ad Timoth. 2. dicebat, obsecrationes, & orationes fieri pro Regibus, qui tunc erant infideles: Et Ecclesia in die Parasceves orat pro Catechumenis, & pro Paganis. Ex quibus sequitur, a fortiori applicari posse Sacrificium pro baptizatis peccatoribus, esto nec illis prodesse possit, quatenus est satisfactorium.

III. Quæritur tertio, An possit applicari pro animabus existentibus in Purgatorio?

Respondeo, affirmative, ex Trid. sess. 22. can. 3., potest enim illis prodesse, quatenus satisfactorium est, remittendo illis pœnas ex opere operato; sicut etiam quatenus impetratorium, obtinendo auxilia, quibus alii excitentur ad exhibenda pro illis Deo opera pietatis. Immo potest pro illis offerri in quantum Eucharisticum, seu in quantum est Sacrificium gratiarum actionis, gratias Deo agendo, quod

quod illos in statu salutis posuerit. Neque dicas, animas purgatorii non esse capaces fructuum Sacramentorum: ergo neque Sacrificii. Disparitas enim est, quia Sacramenta ordinantur ad producendam gratiam, in qua non possunt crescere; Sacrificium vero ad remissionem peccatorum, cuius sunt capaces. Præterea Sacramenta applicari non possunt soli animæ exuta e corpore, cum sint sensibilia, fetus vero Sacrificia, ut patet.

IV. Quæritur quarto; An possit pro excommunicatis Sacrificium offerri?

Respondeo, & dico primo; Sacerdos applicare potest Missam pro excommunicatis vitandis ut persona privata; eo scilicet pacto, quo possunt pro iisdem offerre Sacrificium, qui missæ interfunt, & qui dat eleemosynam pro Missa. Ita communiter contra Fabrum apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 57. Ratio est, quia Ecclesia privat excommunicatos solum communibus suffragiis, atque adeo privat illos solum Sacrificio, ut oblato in persona Christi, vel Ecclesiæ. Unde fit, quod possit Sacerdos privatim orare sola mente in *Memento* pro excommunicatis vitandis, non tamen per orationes, quæ nomine Ecclesiæ funduntur.

Dico secundo consequenter; Non potest Sacerdos pro excommunicatis vitandis offerre Sacrificium ut persona publica, seu nomine Christi, vel Ecclesiæ, aut sic pro illis orare; Cum id directe prohibeatur per excommunicationem, qua privantur communibus suffragiis Ecclesiæ.

Utrum autem illicite solum, an etiam invalide pro iis Missa offerretur a Sacerdote in persona Christi, & ut eius Ministro? Tamb. de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 2. §. 4. num. 7. putat, quod invalide; unde teneretur ad restitutionem, qui acciperet sti-

pendium pro Missa applicanda excommunicato vitando. Sed verius Coninck quæst. 82. art. 1. num. 159., quod solum illicite; quia Ecclesia potest quidem prohibere, ne offeratur pro his Sacrificium; non potest tamen efficere, ne Sacrificium producat suos effectus ex opere operato juxta Christi institutionem illis, qui talium effectuum sunt capaces; Sicut potest prohibere, ne Sacerdos excommunicatus consecret, non tamen potest efficere, ne valide consecret, si illicite consecraret. Quare excommunicatus vitandus solum privatur fructu Sacrificii proveniente ex parte Ecclesiæ; non vero fructibus provenientes ex institutione Christi. Unde fit, non teneri ad restitutionem Sacerdotem, qui illicite acciperet eleemosynam ad sui sustentationem pro offerenda Missa pro hoc excommunicato: Sicut enim totum stipendium potest retinere, (ut idem Tamb. loc. cit.) qui offert Missam vel pro peccatore, vel pro Turca; qui non possunt omnes fructus Sacrificii percipere; cum non possit iis Sacrificium prodesse, prout est satisfactorium; etenim qui erogant eleemosynam, interpretative solum volunt id, quod possunt rationabiliter percipere: ita in casu nostro.

V. Dubium tamen est, an possit licite Sacrificium in persona Christi offerri pro excommunicato vitando, si constet, quod sit contritus, & per ipsum non stet, quominus absolvatur?

Sotus, Con., Vasq., Hurt. apud Tamb. loc. citat. negant, quia adhuc est excommunicatus, eumque ad terrorem aliorum punit Ecclesia: Quare sicut non potest hic accedere ad recipienda Sacramenta, ita nec possunt illi applicari Sacrificia, etiam si sit in gratia, & per ipsum non stet, ne absolvatur; licet aliter potuerit Ecclesia decernere. Sed probabilius afir-

L mant

Part V.

mant Fagund. de Præc. Ecclesiæ lib. 3. cap. 12. & Dian. part. 5. tract. 9. resol. 76. ; quia Ecclesia non intendit punire tam graviter Dei amicos. Verum quidem est, quod huiusmodi excommunicati non possint Sacramenta suscipere, nec possint pro illis publice preces fundi ; quia hoc pertinet ad forum externum ; secus vero, si Sacrificium Sacerdos applicet mentaliter pro illis.

VI. Dico tertio, pro excommunicatis toleratis potest etiam Sacrificium offerre Sacerdos, ut persona publica, & pro iis orare, ut communius docent cum Lug., Con., Bonac. contra Suar., & Vasq. apud Dian. part. 5. tract. 9. resol. 74. Ratio est, quia Concilium Constantiense permittit omnem communicationem cum his excommunicatis ad dilatandas conscientias fidelium : Et quamvis id faveat excommunicatis indirecte, non proinde obstat, quominus directe talis concessio faveat fidelibus, quatenus possunt sine scrupulo pro iis orare ; Et favet etiam Sacerdoti per hoc, quod possit, verbi gratia, eleemosynam accipere, ut applicet Missam pro illis. Unde fit, quod iisdem excommunicatis non liceat talem eleemosynam dare ; liceat tamen Sacerdoti, cui offertur, illam accipere.

Neque dicas cum Vasq. de Excom. dub. 2., quod quando Concilium permittit communicationem cum his excommunicatis, etiam in divinis, non permittat applicationem Sacrificii ; quia hæc fit sola mente, & excommunicato longe distante ; Unde id non potest dici communicatio permessa cum excommunicato. Nam in Ecclesia pro eodem veniunt communicatio Sanctorum, & participatio suffragiorum ; Et in cap. *A nobis* 28. de Sent. excommunicationis, ista duo communicare cum aliquo, & publi-

ca suffragia illi applicare, aut simul conceduntur, aut simul prohibentur : ergo cum concedatur communicatio cum excommunicatis toleratis, conceditur etiam, quod possint participare publica suffragia, atque adeo quod possit pro iis Sacrificium Missæ applicari.

Adverte tamen cum Suar. disp. 78. sect. 2., dupliciter posse offerri Sacrificium pro Hæreticis, & aliis excommunicatis. Primo directe pro bono ipsorum sive spirituali, sive temporali ; Secundo indirecte, intendendo eorum conversionem pro bono, & augmento Ecclesiæ ; Quamvis autem non posset directe pro iis Sacrificium offerri ; posset tamen indirecte, intendendo principaliter bonum Ecclesiæ : In quo sensu in die Parasceves Ecclesia orabat publice pro Hæreticis olim ante Concilium Constantiense, quando nulla communicatio cum toleratis tunc permittebatur ; Nisi velimus dicere, quod Ecclesia sibi dispensaret pro tali die.

VII. Queritur quinto ; Quænam requirantur ex parte offerentis, ut possint percipi fructus huius Sacrificii ab iis, pro quibus offertur ?

Respondeo, requiri, quod offerens velit pro illis Sacrificium offerre, & applicare. Ratio est, quia celebrans est constitutus a Christo dispensator talium fructuum, ut illos, cui maluerit, applicet : Quare si nulli applicet, nec sibi velit saltem interpretative applicare, remanebunt in thesauro Ecclesiæ, qui possit a Pontifice per indulgentias, quas concedit, dispensari. Notat autem Trull. dub. 6., quod Sacerdos, quando nulli applicat, censetur velle sibi applicare per generalem illam voluntatem, qua quisque semper intendit sibi prodesse, quantum potest : Debet tamen Sacerdos habere, dum actu celebrat, intentionem saltem virtuales, aut etiam

iam habitualement non retractatam applicandi alicui hoc Sacrificium (ut Doctores docent contra Vasq. apud Tamb. l. 2. cap. 2. §. 10.) cum communiter homines soleant sic de suis rebus disponere. Nec satis est, si post Sacrificium illud applicet, quia non potest suspendere fructus hujus Sacrificii, sicut nec Sacramenti. Unde fit, quod sicut non potest offerenti elemosynam applicari Sacrificium jam prateritum nulli alteri applicatum, ita nec possit applicari Sacrificium pro iis, qui dabunt elemosynam in futurum; vel quos Deus scit post aliquot dies hoc, vel illud esse facturos; vel pro eo, qui primo est moriturus, ut docent Suar., Con. quæst. 8. num. 108., & alii communiter contra Henr. lib. 9. cap. 22. num. 2. Ratio est ex Suar., Lug., & aliis apud Tamb. lib. 2. cap. 2. §. 8., quia quamvis Deus de facto sciat, quisnam sit stipem daturus, vel primo moriturus, &c. tamen per hoc non vitatur, quod effectus Sacrificii non suspenderentur. Etenim sæpe accidit, quod non indigeat nunc fructibus Sacrificii, (verbi gratia, satisfactione illa) qui crastina est daturus stipem pro Missa, aut moriturus, atque adeo fructus Sacrificii deberent in suspenso remanere, ut possent percipi ab illo, quando futurum est, ut indigeat. Christus autem noluit, posse nunc applicari satisfactionem Sacrificii Titio pro peccatis futuris, ne daret impunitatem peccandi: & ideo prohibita est a Paul. V., & a Sacra Congregat. Conc. die 15. Novembris anno 1605. hujusmodi anticipata celebratio pro incerto elemosynam oblaturus. Diximus autem art. 2. probabiliter voluntati offerentis stipem satisfacere Sacerdotem, qui ante sumptionem applicat Missam; eo quod probabile sit sumptionem esse partem essentialem hujus Sacrificii: Quod si Sacrificium in

sola consecratione consisteret, deberet saltem in consecratione calicis haberi ista applicatio, quia tunc perficitur consecratio: Unde fit, quod si unus consecrat hostiam, & deficiat, & alter consecret calicem, ad hunc secundum pertineat applicare Sacrificium.

VIII. Quæritur sexto; quamnam requirantur ex parte subjecti ad hos fructus percipiendos?

Respondeo, requiri capacitatem. Propterea peccator, verbi gratia, non potest percipere fructum Sacrificii relate ad satisfactionem, cum non remittatur pœna ulla illi, qui pœnam meretur æternam, ut communiter docent contra Amicum disp. 33. sect. 6.; unde fit, requiri gratiam habitualement in eo, qui percipit ex hoc Sacrificio fructum satisfactionis ex opere operato: (quicquid sit, utrum quando peccator deinde conteritur, reviviscat fructus talis satisfactionis? quod examinant Scholastici) Nec damnati possunt ullum omnino hujusmodi fructum percipere ex defectu capacitatis. Requiritur etiam in subjecto indigentia talis fructus; quare ante commissam culpam nemo potest ex hoc Sacrificio percipere fructum satisfactionis, quo fruatur, quando est peccaturus. Ex quo fit, Sacerdotem optime facere, si applicet alteri Sacrificium semper sub conditione, hoc est, quod si is, pro quo applicat, non indigeat ejus fructu, ex tunc illud applicet huic, vel illi pro libito; vel cui Deus maluerit applicari: Quamvis autem ad percipiendum simpliciter fructum hujus Sacrificii non requiratur alia dispositio; tamen probabile est, ut supra diximus art. 4. ex D. Th., quod magis disposito, ac magis devoto uberior fructus conferatur; Quod colligitur ex iis verbis Missæ, *Quorum tibi fides cognita est* & nota aevorio.

ARTICULUS V.

De Ministro hujus Sacrificii.

- I. Num circa mortale possit Sacerdos voluntarie distrahi in recitatione Horarum?
- II. Et an etiam in Missa celebratione?
- III. Sacrificium Sacerdotis celebrantis in mortali quosnam fructus parit?
- IV. Quoties teneatur Sacerdos quotannis celebrare?
- V. Parochi tenentur diebus Dominicis, & festis Missam pro Parochianis suis applicare, quin possint aliam eleemosynam iis diebus recipere.
- VI. Quotidie celebrandum in Ecclesiis Cathedralibus, & Parochialibus, &c.
- VII. Num peccetur graviter omittendo unam Missam, sive ex promissione gratuita, sive ex stipendio, sive ex voto debitam?
- VIII. Num possit Capellanus obligatus ad celebrandum quotidie semel singulis hebdomadibus vacare?
- IX. Num possit tunc pro aliis acceptio novo stipendio celebrare?
- X. Num teneatur per alium celebrare, si forte egrotet?

I. **D**iximus art. super., quando, & quomodo debeat Sacerdos Missam applicare. Diximus pariter quæst. 1. de intentione, quam habere debet consecrandi; Dicendum hic de attentione, & dispositione in eo requisita, ac de obligatione celebrandi.

Quæritur primo, an peccet mortaliter Sacerdos, qui voluntarie in Sacrificio distrahitur, mente revolvendo sua negotia, aut philosophicam aliquam quæstionem, &c.?

Respondeo, in Missæ auditione, & in recitatione Horarum, & aliis orationibus requirunt Doctores commu-

niter apud Dian. part. 1. tract. 12. resol. 2. attentionem internam; Tum quia Ecclesia præcipit actum orationis; oratio autem, cum sit colloquium cum Deo, sine actu interno non est oratio; tum etiam, quia in cap. *Dolentes* præcipitur, ut officium divinum recitetur *studiose pariter, & devote*, atque adeo cum attentione interna: Unde sequitur, teneri ad restitutionem fructuum beneficii Beneficiarium, qui sine attentione interna officium recitavit, perinde ac si officium non recitasset, cum non satisfecerit obligationi recitandi officium, prout debet. Verum Lessl., Con., Fill., Laym., Lug., & alii cum Dian. loc. cit. putant, probabile esse, quod qui sine attentione interna, & cum voluntaria distractione officium recitavit, neque teneatur repetere officium, neque restituere fructus beneficii, dummodo recitavit cum sola attentione externa, puta non confabulando, ridendo, &c., nec exercendo ullum actum impossibilem cum attentione interna, videlicet legendo, scribendo, &c. Ratio istorum est, quia Ecclesia non potest præcipere actus internos, cum non possit illos punire. Et ad rationes in contrarium respondent, orationem sine attentione interna cum sola externa, si debite fiat, esse verum actum religionis externum, & hunc solum præcipi ab Ecclesia, quando præcipitur oratio: Sicut sola adoratio externa idoli sine interna est verus actus idololatriæ, qui etiam prohibetur. Similiter docent, quod quando præcipitur recitatio officii *studiose, & devote*, præcipiatur solum actus externus studiosus, qui scilicet fiat cum talibus circumstantiis externis, quæ requiruntur ad constituendum actum externum religionis, ita ut non peccetur exterius contra religionem. Conveniunt tamen omnes ex *Tamb. hic lib. 2. cap. 3. quod pec-*

et saltem venialiter; qui voluntarie distrahitur; exercet enim aliquam irreverentiam erga Deum sic illum alloquendo. Equidem tamen communioni sententiæ adhæreo; quod scilicet peccet mortaliter, & quod Beneficiarius ad restitutionem fructuum teneatur, si absque ulla attentione interna voluntarie distrahitur per notabile tempus, dum recitat canonem, (videlicet a *Te igitur*, usque ad consumptionem, ex Suar., & ex Gavant. usque ad orationem dominicam) peccet mortaliter. Ratio est, tum quia Sacrificium est actus religionis excellentissimus, unde majorem attentionem, ac devotionem videtur requirere, quam aliæ orationes; tum etiam quia est morale periculum aliquid omittendi, vel non rite operandi mysterium Sacrosanctum.

II. Dubium nunc est, an idem dicendum sit in celebratione Missæ, quod dictum est in auditione Missæ, & in recitatione divini officii. Respon-

Pars V.

deo, Tamb. Doc. citat docere, quod si voluntarie distrahitur Celebrans recitando illas Missæ partes, quæ non pertinent ad canonem, peccet solum venialiter, adhibendo tamen attentionem externam requisitam, ut dictum est de auditione Missæ, juxta secundam Sententiam: At qui voluntarie distrahitur per notabile tempus, dum recitat canonem, (videlicet a *Te igitur*, usque ad consumptionem, ex Suar., & ex Gavant. usque ad orationem dominicam) peccet mortaliter. Ratio est, tum quia Sacrificium est actus religionis excellentissimus, unde majorem attentionem, ac devotionem videtur requirere, quam aliæ orationes; tum etiam quia est morale periculum aliquid omittendi, vel non rite operandi mysterium Sacrosanctum.

III. Quæritur secundo, An Sacrificium celebratum a Sacerdote in peccato mortali validum sit, & profit illi, cui applicatur?

Respondeo, validum esse; non secus ac Sacramentum ab indigno Ministro valide conficitur; Parit præterea suum fructum, quatenus offertur nomine Christi, & Ecclesiæ, ex Trid. sess. 22. cap. 2.; quia fructus hic confertur ex opere operato, & non dependet a probitate Sacerdotis. Quare in eo solum sensu potest dici, quod minus profit Missa iniqui Sacerdotis, quam justis; quia Deus minus improbos, quam justos exaudit, atque adeo solum fructus Sacrificii, qui habentur ex opere operantis a Sacerdote, tamquam persona privata, deficiunt, quando Sacerdos est in mortali, non vero fructus Sacrificii, quatenus Sacrificium est, qui habentur ex opere operato a Sacerdote tamquam Ministro Christi. Immo neque fructus, qui habentur ex precibus Sacerdotis, prout representantis Ecclesiam, & nomine Ecclesiæ orantis, ut notat hic Bo-

L 3 nac.

nac., dummodo non sit excommunicatus vitandus; tunc enim Ecclesia non tolerat, ut Sacerdos ipsam representet, & nomine suo cret.

Hinc sequitur, quod Sacerdos, qui stipendium accepit pro Missa celebranda, satisfaciat, etiamsi celebret in mortali, aut cum excommunicatione, ut notat Suar. disp. 86. Con., Val., Bonac., quia fructus praecipuus Sacrificii ex opere operato perinde habetur. Imo Con. quaest. 83. num. 195. contra Tamb. lib. 3. cap. 1. sect. 3. putat, non teneri Sacerdotem danti stipendium Sacrificium applicare, quoad fructum ex opere operantis; quia solum exigitur fructus ex opere operato; aliter malus Sacerdos non satisfaceret. At communius docent, quod dans eleemosynam pro Missa exigit totum fructum, qui potest hic, & nunc haberi a Sacerdote; quamvis non exigatur, quod hac de causa Sacerdos sit bonus, & devotus: Et ideo etiam excommunicatus vitandus satisfaciat offerendo Missam; quamvis haec non possit prodesse ei, cui applicat, quoad fructus, qui habentur a Sacerdote, ut Ministro Ecclesiae; sed solum profit quoad fructus, qui habentur a Sacerdote, ut Ministro Christi.

Notat tamen Suar. disp. 89., Val., Bonac., quod si Sacerdos in mortali celebrans sibi applicet Missam, non percipiat fructum Sacrificii ex opere operato, quia ponit obicem ad talem fructum; imo sibi iudicium manducat, & bibit: Neque enim est eadem ratio, si Sacerdos offerat Sacrificium pro aliis peccatoribus. Nam vi Sacrificii Deus potest erga alios peccatores, pro quibus offertur, placari, & concedere illis auxilia ad resurgendum, aut bona temporalia, &c., quamvis non profit illis, ut satisfactorium est, ut diximus: At quando Sacerdos offert Sacrificium pro se pec-

catore, cum iterum sacrilege peccet, irritat iram Dei potius, quam Deum placet.

IV. Quaeritur tertio, Quam obligationem habeat simplex Sacerdos celebrandi?

Respondeo, quamvis Victor., Cajet. Tamb. lib. 1. art. 8. §. 2., Bonac., Dian. part. 1. tract. 14. resol. 19., & part. 2. tract. 17. resol. 19. probabiliter putent, non peccare mortaliter, si nunquam celebret, modo in Paschate communicet; Communius tamen docent teneri sub mortali aliquoties in anno celebrare; tum quia illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, continent praecipuum divinum; cum Trid. sess. 22. can. 1. dicat Christum illis verbis praecipisse, ut offerrent; uti semper Ecclesia intellexit, & docuit; Hoc autem praecipuum videtur latum tam erga communitatem, quam erga singulos Apostolos, & Sacerdotes: Tum etiam, quia in cap. *Dolentes* de celebrat. Missar. imponitur poena suspensionis ei, qui vix quater in anno celebrat: Tum demum, quia Pius V. apud Trull. hic disp. 9. iussit expungi in impressione Romana opinionem Cajet. quaest. 82. art. 1. docentis, transgressionem huius obligationis esse tantum venialem. Quamvis autem D. Th. quaest. 80. art. 10. cum Soto putet, debere Sacerdotes celebrare in praecipuis festis, in quibus fideles solent communicare, atque adeo ex Trull. decies, aut duodecies quotannis; Communius tamen docent apud Dian., satisfieri huic obligationi, si ter, vel quater in anno celebrent, prout dicitur in cap. *Dolentes*; praecipue die Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, & nonnulli addunt Corporis Christi, & Assumptionis Beatae Virginis.

V. Parochi tamen, & habentes curam animarum tenentur per se, vel per alios celebrare omnibus diebus,

in

in quibus fideles tenentur audire Missam, ex Azor., Vasq., Navar. Ratio est, quia Trid. sess. 23. cap. 14. docet, eos teneri tam frequenter celebrare, ut satisfaciant muneri suo. Sotus, Bonac., punct. 1. num. 5., & alii apud Tamb. lib. 2. cap. 2. §. 16. putant, teneri Parochos aliquoties, puta semel in hebdomada, Sacrificium offerre pro suis ovibus, quia Trid. sess. 23. cap. 1. hæc habet: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro iis Sacrificium offerre &c.* antonomastice autem offerre Sacrificium, fert applicare pro iis Sacrificium. Alii tamen apud Trull. dub. 9., & Dian. loc. citat. resol. 26. putant ad id non teneri, nisi ex præcepto Episcopi, aut ex consuetudine ad id obligentur; quia decimæ dantur illis solum, ut suis ovibus Sacramenta ministrent suo tempore, & ut divina officia celebrent, ut concionentur, non ut applicent pro iis Sacrificium: Et quamvis Trid. loc. laud. dicat, Curatos ex præcepto divino teneri Sacrificium offerre pro ovibus suis, putant Doctores laudati huic præcepto satisfieri orando pro iis in Sacrificio, & offerendo pro iis specialiter fructum Sacrificii generalem, etiamsi non applicent pro iis fructum Sacrificii medium. Prior sententia est rationabilior, ac tenenda: Præsertim quia non semel Sacra Congregatio id statuit. Decretum, quod recensetur in Synodo Neapolitana anni 1694. hæc habet, in quadam Lucanensi: *Cum præcepto divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis Sacrificium offerre, sæpe alias Sacra Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si redditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festis: Idem nunc censet quoad Paro-*

chos istius Civitatis, & Diœcesis; Hoc insuper addens, ut detrectantes E. V. pro suo Pastoralis zelo compellere non gravetur. Hanc Sacra Congregationis sententiam E. V. significo, eique manus humillime deosculor. Romæ 10. Maji 1681. Eiusdemque tenoris decretum in quadam Pistorien., & Praten. editum a Sacra Congregat. anno 1699., & ab Innoc. XII. confirmatum legitur in secundo tomo consultationum Canoniarum, & Moralium apprime eruditatum P. Benedicti Chiaretta Soc. Jes. Panormitani, Consul. 169., ubi pariter decernitur, Parochos omnes, sive congruam habeant, sive non, teneri in diebus dominicis, & festis celebrare, & Sacrificium applicare pro suis Parochianis, quin possint iisdem diebus aliam eleemosynam recipere.

VI. Demum in Cathedralibus, Collegiatis, conventualibus, & parochialibus, in quibus est conveniens numerus Sacerdotum, debet quotidie celebrari, nisi rationabilis causa excuset; idque tum ex præcepto Ecclesiæ in cap. *Cum creatura de celebrat. Missar.*, tum ex usu Ecclesiæ habente, ut communiter Doctores docent, vim legis. Hæc autem obligatio primo, & per se spectat ad Rectores istarum Ecclesiarum, qui id curare tenentur.

VII. Quæritur quarto, An peccet mortaliter, qui omittit Sacrum alteri promissum?

Respondeo, Navar., & Bonac. de Contract. disp. 3. quæst. 12. punct. 1. apud Tamb. lib. 3. cap. 1. §. 9. affirmare, quia una missa videtur materia gravis. Sed Sanch., Fagund. negant, quia in huiusmodi promissionibus non est attendendum ad damnum spirituale; (aliter qui omitteret dicere Pater noster, quod promissit, peccaret mortaliter, quia affert damnum spirituale, quod est longe majus quovis temporali) sed est attendenda

quantitas stipendii, quæ in casu nostro esset unius caroleni. Addit Sanch. de Matrim. lib. 1. disp. 5. num. 24., quod quantitas notabilis in materia fidelitatis debet esse quadruplo major, quam in materia iustitiæ; quare si ut peccetur mortaliter contra iustitiam deberent omitti v. g. tres missæ debitæ ex stipendio, ut peccetur mortaliter contra fidelitatem, debent omitti duodecim missæ promissæ. Quinimo Sâ, & alii docent, regulariter loquendo, obligationem ex fidelitate etiam in materia gravi non esse gravem, nisi grave damnum obveniat promissario ob fidem non servatam; tunc enim læderetur iustitia propter huiusmodi damnum injuste illatum.

Verum quando Missa est debita ex stipendio, communiter docent apud eundem Tamb., quod graviter peccetur, si una tantum missa ex contractu oneroso debeatur; non secus ac peccatur graviter, si omittatur auditio unius missæ debitæ ex voto, aut ex præcepto Superioris: Esto Pelliz. tract. 5. cap. 9. num. 20., & tract. 8. cap. 1. num. 137. putet, quod etiam si missa sit debita ex stipendio, adhuc leviter per se loquendo peccatur per omissionem unius tantum missæ: non enim peccatur graviter ratione damni temporalis, ut conceditur; neque ratione damni spiritualis, quia hoc in genere damni spiritualis non est grave, cum levi stipendio redimi possit: Quod videtur docere Palaus tract. 22. disp. unica punct. 14., & alii viri docti ab eodem Pelliz. consulti. Dixi per se loquendo; nam si quis, verbi gratia, indigeat missa propter gravem necessitatem, puta propter agri- tudinem filii, non solum omittere, sed etiam differre missam per unum, aut alterum diem, est mortale, si Sacerdos consensit ad strictam obligationem per respectum ad illam urgentem necessitatem: fieri enim posset,

ut filius non moreretur, si tempore præfixo missa fuisset celebrata.

Hinc sequitur primo, quod differre celebrationem missarum debitam ex stipendio, per se loquendo, tunc sit mortale, quando tempus est notabile: Quod alii docent esse duos menses; Alii cum Ledesm., Villal., Lugo de Euch. sect. 2. num. 34. tres menses; Alii arbitrio prudentis iudicandum, attenta necessitate petentium missas, numero illarum, aliisque circumstantiis. Communiter tamen rejiciunt Peyrinum, qui apud Tamb. loc. citat. putat tempus notabile in hac re esse spatium trium annorum.

Sequitur secundo, quod qui unam missam homini sub juramento promissit, non peccet mortaliter, si illam omittat, supposita probabilissima sententia, quod juramentum promissorium in materia levi non obliget graviter, non secus ac votum in re levi. Contra vero peccat graviter ex Pal. de Euch. punct. 14., qui omittit unam missam debitam ex voto, aut ex juramento Deo exhibitam, aut impositam ex præcepto Superioris, vel confessorii. Ratio est, quia in his casibus materiæ gravitas desumenda est ex cultu, & honore, qui Deo per Sacrificium exhibetur. Quod ex eo patet, quia aliter omittere auditionem Sacri die festo, vel debitam ex voto, &c. esset materia levis, & peccatum veniale.

VIII. Quæritur quinto, an peccet mortaliter Capellanus, qui habens obligationem celebrandi quotidie, semel in hebdomada omittit celebrare ex reverentia?

Respondeo cum Zanard., & aliis apud Dian. part. 1. tract. 14. resol. 28. quod si in institutione Capellanæ dicatur, quod Capellanus quotidie vel per se, vel per alium celebret, non possit ullo die missam debitam omittere; sicut neque si dicatur, quod in

tali loco quotidie celebretur: At si eligatur Capellanus, qui quotidie celebret, poterit hic ex causa majoris honestatis, & reverentiae unam missam in hebdomada omittere; Quod etiam fert consuetudo introducta, ut notat idem Dian. Non potest tamen eo die pro alio celebrare accepto stipendio, ut docent communiter Doctores apud Dian. part. 10. tract. 14. resol. 34., & Tamb. lib. 3. cap. 3. §. 2. Non negaverim tamen, probabilem esse opinionem Tamb. apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 14., quod possit Capellanus juxta consuetudinem receptam semel in hebdomada vacare, etiamsi in institutione Capellae dicatur, quod in tali loco quotidie celebretur; quia censetur fundator velle morali modo obligare personam ad quotidianam missam, & morali modo velle honorare locum, quem elegit missa quotidiana decorandum: Excipe tamen nisi expresse dicatur, quod sine interruptione quotidie celebretur; tunc enim ad tale onus consensit Capellanus. Excipe etiam, si onus sit impositum Ecclesiae, vel Monasterio curandi efficere, ut celebretur missa quotidiana: Vel si dicatur, quod Capellanus per se, vel per alium celebret quotidie; cum enim tali oneri per diversos Sacerdotes satisfieri possit, non praesumitur, quod fundator velit permittere vacationem singulis hebdomadis. Ubi notandum cum Sa, & Trull. dub. 11., quod Capellanus semper possit per alium satisfacere, nisi expresse obligetur, ut per se ipsum celebret: Ratio est, quia qui per alium facit, per se ipsum facere videtur.

IX. Paucis hic recolo, quod fusius dixi in calce exponendo decimam thesism ab Alex. VII. confixam in Trutiniana Thesium damnatarum, videlicet ex Sacris Canonibus, ex decretis Sacrae Congregationis, ex communi Do-

ctorum auctoritate, & ex ipso rationis dictamine constare, quod si Capellanus teneatur quotidie accepto stipendio celebrare, licet possit aliquando honestatis, ac debitae devotionis causa, (ut habetur in cap. *Significatum de Prabendis*) non vero causa otian-di a celebrando abstinere, immo licet possit ex consuetudine introducta semel singulis hebdomadis, ne indevote celebret, seu ob majorem devotionem vacare; nihilominus si iis diebus, quibus vacare permittitur, vellet celebrare, non poterit pro alio celebrare, quam pro fundatore Capellaniae, a quo stipendium quotidianum accipit, aliter duo stipendia pro eadem missa reciperet, si vellet tunc pro aliis, accepto novo stipendio, celebrare: Esto ex benigna Fundatoris voluntate praesumi possit, quod possit quotannis sexies circiter pro se, vel pro amicis, aut ob aliam urgentem causam celebrare absque novo stipendio. Adversus hanc solidam doctrinam adduci solet consuetudo in contrarium, videlicet quod non solum possit Capellanus semel in hebdomada vacare honestatis causa, sed etiam quod possit pariter iis diebus, quibus licite potest non celebrare pro Fundatore, conari ad devote celebrandum pro alio, & ab hoc accipere novum stipendium, quia non videtur hac in re Fundator posse esse rationabiliter invitus. Equidem tamen, positis tot Decretis Sacrae Congregationis in contrarium, & communi Doctorum auctoritate, censeo abusum hunc potius esse in aliquibus locis, quam consuetudinem legitime introductam. Si tamen alicubi de hac consuetudine constaret, necnon de lapsu temporis ad consuetudinem praescribendam requisito, id permitti posset. In dubio tamen, num ea sit consuetudo, an abusus, censendum est, esse abusum, quia possessio stat pro

lege obligante , & non pro libertate .

X. Præterea dubium est primo ; An si Capellanus obligetur ad celebrandum per se ipsum , non per alium , teneatur ponere supplementum , si sit infirmus , aut in carceribus ?

Respondeo cum communi apud Tamb. lib. 3. cap. 5. , & Lug. disp. 21. sect. 2. num. 29. , non teneri , si sit breve impedimentum ; (quando Testator non expressit , quod nunquam missa deesset) non enim deterioris conditionis debet esse , quam famulus ægrotans , cui ex Lege *Arboribus ff. de Usufructu* salarium non est denegandum , si exiguo tempore ægrotet ; tenetur tamen supplementum ponere , si impedimentum sit longum , videlicet ex Barbof. decem dierum , ex Bonac. quindecim , ex Petro Navar. unius mensis , ex Lug. , & Peyrin. apud Dian. part. 5. tract. 13. resol. 31. duorum mensium ; quia in jure , quod est infra tale tempus breve judicatur . Quod si culpa sua sit excommunicatus , suspensus , interdictus , &c. , tenetur per alium supplere , donec absolvatur ; quia non præsumitur , quod Fundator velit deobligare eum , qui culpa sua est impeditus : Qua de causa distributiones debentur ei , qui ægrotat , non vero illi , qui sua culpa est excommunicatus .

Dubium est secundo , an possit conferri capellania Clerico non Sacerdoti , qui per alium satisfaciat ?

Respondeo , Busemb. apud Tamb. lib. 3. cap. 7. negare ; Marchin. concedere , si infra annum ordinari possit Sacerdos ; Sicut in Beneficiis Sacerdotalibus sufficit ista potentia proxima ad Sacerdotium : Bonac. vero hic punct. 9. §. 1. cum Fagund. , primo Ecclesie præcepto lib. 3. cap. 9. absolute affirmat ; quando Fundator non præsumitur velle Sacerdotem , qui possit per se satisfacere ; sicut be-

neficia simplicia conferri possunt Clerico , vel Sacerdoti .

Dubium est tertio , an peccet , & obligetur ad restitutionem stipendii Capellanus , qui obligatus per se ipsum celebrare , celebrat per alium ?

Respondeo cum Bonac. , & Tamb. loc. citat. , peccare mortaliter , nisi excuset parvitas materiae , quia facit contra mentem Fundatoris , & contra pactum ; non tenetur tamen ad restitutionem , quia habetur fructus Sacrificii ex opere operato per se intentus per alium Sacerdotem . Propter eandem rationem puto , quod Sacerdos obligatus celebrare in loco determinato , si alibi celebret ad intentionem dantis eleemosynam , peccet quidem mortaliter , nisi excuset parvitas materiae , aut alia rationabilis causa , sed non teneatur ad restitutionem . Ita Bonac. hic punct. 7. §. 4. contra Azor. ; Et idem dicendum , quando sine rationabili causa non dicuntur missæ præscriptæ , sed aliæ .

ARTICULUS VI.

De tempore , loco , & aliis circumstantiis Sacrificii .

- I. *Die Sabbati Sancti probabiliter graves , & plures Doctores docuerunt posse privatas missas celebrari , saltem post inceptam solemnem .*
- II. *Quid dicendum post decretum Alexandri VIII. anno 1690 ?*
- III. *Quandonam liceat pluries eadem die celebrare ?*
- IV. *Quenam sit hora ad celebrandum permissa ?*
- V. *Ut locus sit aptus ad celebrandum , quid requiratur ?*
- VI. *Quanam satisfaciunt præcepto audiendi missam die festo , audiendo illam in Oratoriis privatis ?*
- VII. *Num liceat in mari , aut in flumine celebrare ?*

VIII.

- VIII. Quid si Ecclesia tempore celebrationis polluatur? & quot modis contingere potest, ut polluatur?
 IX. Quanam Ara requiratur, & qualis debeat esse calix cum patena?
 X. Quid de vestibus sacris?
 XI. De aliis ad Sacrificium requisitis.

I. **Q**uæritur primo, an liceat in triduo hebdomadæ sanctæ celebrare?

Respondeo, die Parasceves non licere: At die Jovis, & Sabbati Sancti consueta praxis Ecclesiæ est abstinere Sacerdotes a missa in signum mæroris concepti ex passione Domini: Suar. tamen, Fagund., Lug. apud Tamb. lib. 1. cap. 6. permittunt iis diebus cuilibet Sacerdoti missas privatas, quia pro die Jovis nulla est prohibitio; & pro Sabbato Sancto vel non adest prohibitio in cap. *Sabbato de Consecratione dist. 6.*, cum non tam aperte loquatur de feria sexta, ac de Sabbato; vel si adest prohibitio, cum hæc jam cessaverit quoad missam solemnem, quæ nunc anticipatur dicendo in Sabbato Sancto missam, quæ olim dicebatur in nocte Resurrectionis, videtur etiam cessasse quoad privatas; & usu etiam timoratorum videtur abrogata. Quare secluso scandalo probabiliter potest celebrari privatim die Sabbati Sancti, & quidem etiam summo mane, ex Hurtad. disp. 4. de Sacrif. diff. 3., Suar., Lugo disp. 20. num. 18. contra Navar., Vasq., Azor. apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 21. & part. 4. tract. 4. resol. 237.; quamvis, ut notat Trull. in praxi servanda sit loci consuetudo. Incipit autem missa Sabbati Sancti a *Kyrie eleison*, omisso Introitu: Quod si his diebus Jovis, & Sabbati Sancti incidat festum, tunc debent publice celebrari plures missæ, quot scilicet sufficiunt ad satisfaciendum populo; ut accidit anno

1693., quando incidit in diem Jovis Sancti festum Divi Joseph: & Archiepiscopus Cantelmus Neapoli concessit sex missas pro primariis Ecclesiis. Verum Alex. VIII. voluit anno 1690., ut festum Annunciationis, quod eo anno incidit in diem Sabbati Sancti, celebraretur die lunæ de præcepto post dominicam in Albis; idemque decretum est anno 1701., quando festum Annunciationis incidit in diem Parasceves.

II. Dubitari posset, an eo decreto Alex. VIII. edito 1690., quo translatum fuit festum Annunciationis ad diem lunæ post dominicam in Albis, vetarentur eo die Sabbati Sancti aliæ missæ simpliciter, præter solemnem in singulis Ecclesiis; an vero prohiberentur Missæ aliæ publicæ, quæ deservirent ad satisfaciendum præcepto audiendi missam die Annunciationis? Videri posset, quod solum ista Missæ prohiberentur, quia dubium propositum Sacræ Congregationi de his Missis loquebatur: Hæc enim ibi habentur: *Cum Sabbato Sancto proximo futuro occurrat festum Annunciationis Beate Mariae Virginis, dubitatum fuit, an debeant celebrari missæ private ad effectum, ut Christifideles commode satisfacere possint præcepto audiendi Missam.* Ad quod dubium Sacra Congregatio respondit, festum transferendum esse, & celebrationem Missarum eo die prohibendam esse in quibuscumque Ecclesiis, & Oratoriis privatis, non obstante quacumque consuetudine in contrarium. Certe cum responsionis verba debeant respondere ad verba dubii propositi, videntur eo die prohiberi solum Missæ, de quibus dubitabatur, an possent celebrari, videlicet ad satisfaciendum præcepto audiendi eo die Missam. Præsertim, cum Pontifex non soleat derogare opinioni gravium, & plurimorum Doctorum, (qualis est ista, de

de qua agitur) nisi disertis verbis, ac derogatoriis. Præterea ipse expendens fute hanc quaestionem in Cursu Theologico censui, probabilem esse laudatam opinionem, quod liceat privatim die Sabbati Sancti celebrare; præsertim post inceptam missam solemnem.

Verum, quia in Synodo Neapolitana anni 1694. legitur aliud novum decretum ejusdem Sacrae Congregationis, in quo decernitur, quod omnibus futuris temporibus, quibus festum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis die Parasceves, aut die Sabbati Sancti occurrerit, transferatur similiter ad feriam secundam post dominicam in Albis, & iterum prohibentur his diebus aliæ Missæ, etiam in Oratoriis privatis, idcirco ex vi hujus alterius decreti celebrare non licet præfatis diebus in Oratoriis privatis Nobilium, de quibus dumtaxat videtur decretum loqui; eo quod velit Pontifex, ut in solemnioribus festivitibus Magnates ad publicas Ecclesias confluant ad Sacrum audiendum; Non videntur tamen eo die prohiberi missæ privatae in Oratoriis privatis Religiosorum, juxta opinionem laudatam gravium ac plurium Auctorum, quippe quæ validis rationibus nititur, quas retuli in Cursu Theologico quaestione ultima de Eucharistia. Quicquid sit de illa quaestione, quam fute discutit Dian. part. 11. tract. 2. resol. 44., Utrum hujusmodi declarationes Cardinalium, consulto Pontifice, eodemque approbante emanatae solum sint doctrinales, ut plures docent, an habeant vim legis, ut docent communius.

III. Quæritur secundo; quandonam liceat pluries eodem die celebrare?

Respondeo primo, licere die Nativitatis Domini; quamvis nemo, etiam si sit Parochus, teneatur nisi ad unam missam celebrandam; Quod si unam velit celebrare, poterit dicere,

quam velit ex tribus, ex Ledesmi. apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 39. contra Gavant., qui putat, debere dicere vel primam, vel tertiam, imo potius tertiam, cujus oratio concordat cum officio, addendo commemorationem S. Anastasia; Si vero velit dicere tres missas, poterit illas celebrare successive post mediam noctem, quia in Canone *Noctæ Sanctæ de Consecrat. dist. 1.* absolute, & sine ulla distinctione id conceditur, ut notat Suar. tom. 3. disp. 80. sect. 4. apud Dian. loc. citat. resol. 35., & part. 4. tract. 4. resol. 236. contra Vasqu., & alios, qui putant, unam tantum posse celebrari nocte, alias vero non nisi in aurora. Ex Decreto tamen Sacrae Congregationis relato a Croix edito anno 1641., quod sane non est ubique in usu, non possunt in hac nocte successive tres missæ celebrari; nec populus potest ante Auroram communicare; idque habetur in ordine Divini officii diœcesis Neapolitanæ.

Secundo, ubi est ea consuetudo; Sic in Regno Valentino celebrantur duæ missæ a singulis Sacerdotibus in die commemorationis defunctorum, ut notat Trull.

Tertio, quando aliquis Parochus haberet plures parochias, & nisi pluries celebraret, aliqua careret missa die festo; idem dicas, ubi pauci sunt Sacerdotes, ut in Anglia; quilibet enim potest pluries celebrare in diversis locis absque ulla licentia, ut possint fideles interesse Sacro. Concedit enim id jus commune in cap. *Consulisti de Celebratione Missar.*; idque verum est etiam in diebus non festivis, si adsint, qui sacro velint interesse, ut probat Lugo lib. 1. Resp. Mor. disp. 12. contra Nugn., & Trull.. Notandum tamen, quod hujusmodi Parochus, vel Sacerdos in una tantum parochia posset die Jovis Sancti refer.

reservare Sacramentum, quia die Veneris, sumpto calice cum particula mixta vino non consecrato, non possit iterum alibi communicare, quia non esset jejunus, ut debet esse, qui in his casibus pluries celebrat.

Quarto, propter eandem rationem probabiliter ex Suar., & Villal., si aliquando in festo solemni, aut in dedicatione Ecclesie ob populi multitudinem, Ecclesia non possit illam capere, nec adsit alius Sacerdos, nec possit in altari portatili extra Ecclesiam celebrari, poterit idem pluries celebrare: Sicuti etiam si Sacerdos antequam sumat ablutiones, sciat gentium multitudinem tunc ex itinere adventasse, nec sit alius Sacerdos, sitque dies festus, poterit iterum celebrare; ut probabiliter docent Suar., & Villal. contra Con.; & Fagund., qui putant, non teneri in his casibus peregrinos audire missam, quæ debito modo celebrari non valet. Poterit etiam iterum celebrare Sacerdos, etiam die non festivo, si ante ablutiones superveniat Episcopus, vel Princeps, qui velint interesse Sacro, nec sit alius Sacerdos; quamvis talis casus ab antiquis Doctoribus adductus non sit amplius in usu, ex Dian. part. 2. tract. 14. resol. 56.

Quinto, potest iterum celebrare, si necesse sit ad dandum viaticum moribundo: Communius tamen docent, debere Sacerdotem in hoc casu esse jejunum. Sed videtur probabile oppositum, ut diximus, cum de jejunio naturali prærequilito ad communionem, ex Granad., Zanard., & aliis apud Dian.. Ratio est, quia aliter hic casus vix accidere possit; nam si id advertat Sacerdos, antequam communicet, deberet particulam suæ hostiæ dare moribundo, si vero post sumptam ablutionem advertat, non possit iterum celebrare. Propterea juxta hanc sententiam deberet id ad-

vertere post sumptionem calicis, antequam sumat ablutiones; qui casus vix potest accidere. Et ratio ulterior est, quia sicut non est irreverentia, quod moribundus communicet non jejunus, & quod Sacerdos celebret non jejunus ad dandum sibi viaticum, si mox sit occidendus, verbi gratia; ita probabiliter non videtur irreverentia, quod Sacerdos non jejunus celebret ad dandum viaticum alteri moribundo; esto communius doceant oppositum apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 33.; Laym. tamen docet verius, licitum esse Sacerdoti non jejunus celebrare ad dandum viaticum moribundo, solum quando hic nequit alio Sacramento vel Pœnitentiæ, vel Extremæ Unctionis muniri, ut sic possit ex attrito fieri contritus.

Adducuntur a Doctoribus alii casus, in quibus licitum est sæpius in die celebrare, ut si missa sit necessaria ad benedicendas nuptias; vel si superveniat defunctus, ubi sepeliri non solet sine missa; vel si sit consuetudo in una parochiali bis celebrandi, & alter Sacerdos ægrotet; vel ob nimiam paupertatem Ecclesie, vel Sacerdotis, ita ut judicio prudentium id videatur necessarium, ut notat Suar. disp. 80. sect. 3., vel si alia consimilis causa adsit; quamvis hujusmodi casus non sint amplius in usu ob frequentiam Sacerdotum.

IV. Quæritur tertio, Quam horam celebrari possit missa?

Respondeo, ab aurora ad meridiem: die vero Nativitatis Domini dici poterit prima missa immediate post mediam noctem, ut diximus; & probabiliter alia duæ, præscindendo a decreto Sacræ Congregationis; Potest etiam post mediam noctem celebrari, si necessitas urgeat dandi viaticum infirmo, ut docent communiter cum Laym., Trull., Dian. part. 2. tract. 14. resol. 33.; sic etiam causa itineris,

vel

vel ob aliam causam licitum est celebrare ante auroram, vel post meridiem, ut Doctores docent apud Lugo num. 27. Imo Episcopi (sicut etiam Superiores regulares) possunt hic, & nunc id concedere suis subditis, posita rationabili causa, vi suae ordinariae potestatis, ut notat Tamb. ex Suar. Possunt tamen Mendicantes absque causa ex privilegio per horam ante auroram, & per horam integram post meridiem celebrare. Imo de La Crux apud Dian. loc. citat. concedit Mendicantibus, quod possint duabus horis post mediam noctem celebrare, ex privilegio concessio per Bullam ab Alex. VI. Monachis S. Benedicti, quod non esse revocatum a Trid. docet Lugo disp. 20. sect. 1. num. 29. apud Tamb. contra Peyrin. Docet etiam Trull. dub. 13., & Ledesm., quod sine licentia Episcopi poterit aliquis in necessitate ante auroram celebrare, si necessitas urgeat, verbi gratia, si Sacerdos sit iter facturus, aut operarii ad laborem profecturi sint, dummodo non celebretur immediate post mediam noctem, sed ad tempus, quod magis accedat ad auroram, quam ad mediam noctem; Universim enim in his casibus praesumitur Episcopi licentia, ut notat Ledesm. cap. 19. de Eucharist.

Porro per auroram intelligitur initium crepusculi diei, quod solet esse ex Suar. Fill., & aliis apud Dian. loc. citat., per horam cum dimidio, & ex Azor. per quinque quadrantes ante solis ortum; Quia tamen ex Suar., & Henr. potest inchoari missa ante auroram, ita ut sub initium aurorae finiatur; ideo infert Rodriq., & alii, quod liceat duabus horis ante solis ortum incipere Sacrum; & Religiosi, qui habent privilegia anticipandi horam, possunt illud incipere tribus horis ante solis ortum, contra Laym., & Vasq. apud Dian. loc. citat., qui

solum permittunt, quod possint incipere duabus horis ante ortum solis. Quamvis Jo: de la Crux illis permittat, ut diximus, quod incipiant duabus horis post mediam noctem. Religiosi tamen Societatis Jesu hoc privilegio non possunt uti, cum non communicetur illis a Patre Generali, prout in jure Societatis requiritur; Quacumque autem hora Sacerdos celebret, potest alios communicare, etiam nocte Nativitatis (praescindendo a decreto loc. citat. superius relato) ut docet Dian. part. 9. tract. 7. resol. 43. contra Bordon. Qui tamen absque ulla causa ante, vel post tempus praescriptum celebrat, peccat mortaliter, ut usus, & communis sensus Doctorum testatur; cum praecipitur a Trid. sess. 22., ut statutis horis celebretur; Laym. tamen requirit mediam horam, Bonac. tres quadrantes, Sylvius in 3. p. q. 83. apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 34. quod non pertingat ad horam, ut differendo peccetur mortaliter; infra tale tempus peccabitur solum venialiter, nisi detur justa causa, verbi gratia, ob supplicationem, vel concionem publicam, aut missam cantatam protractam ultra meridiem; sicut etiam ob funus Principis, vel quia Sacerdos propter iter fuit impeditus. Religiosi tamen ex privilegio possunt hora post meridiem missam inchoare, quod si sine causa differant per tres alios circiter quadrantes, peccabunt solum venialiter, ob parvitatem materiae, juxta doctrinam laudatam Bonacinae ac Sylvii.

Noto demum, Eugen. IV. per Bullam concessisse Congregationi S. Justinae (atque adeo omnibus Mendicantibus cum ea communicantibus in privilegiis) quod possint in itinere constituti, aut ex alia simili causa celebrare ante diem, & usque ad nonam inclusive, hoc est tribus horis post meridi-

ridiem, ut notat Jo: de la Crux apud Dian. loc. citat. Et Lug. contra Fagund., & Peyrin., ostendit privilegium hoc non esse a Trid. revocatum. Certe tamen non videtur esse in usu.

V. Queritur quarto, quinam locus requiratur ad celebrandum?

Respondeo, & dico primo, requiri Ecclesiam vel consecratam, vel saltem benedictam ab Episcopo; in qua vel in altari consecrato, vel saltem super petram consecratam, non enormiter fractam, celebretur. Et quamvis Sa, & Sot. docuerint, non esse mortale, secluso scandalo, & contemptu, extra ecclesiam celebrare; communiter tamen id negant; quia ex sensu fidelium ea res censetur gravis.

Dico secundo; Episcopus non solum potest benedicere Oratoria, vel Ecclesias, in quibus sit janua privata affixa domui alicujus Sæcularis, dummodo habeat januam expositam pro omnibus, sed etiam potest occurrente casu necessitatis dispensare hic, & nunc, seu per modum actus, ut celebretur in loco honesto, quamvis profanis usibus destinato. Facultatem vero ad id amplam seu per modum habitus concedere nequit post Trid. sess. 22. ubi id vetatur; Potest solum in id consentire, occurrente hic, & nunc necessitate, ex Suar., & Laym., quia talis necessitas non raro accidere solet. Porro etiam extra propriam diocesim, & sine licentia diocesani in domo sua etiam rusticana constituere potest Oratorium, ubi quilibet Sacerdos, etiam ipso absente, celebrare possit. Et ratio est ex Portel. apud Tanab., quia id passim fit ab Episcopis sine scrupulo, permittiturque illis in jure; nec videtur, revocatum esse hoc privilegium per Trid. loc. citat., quia ibi Concil. loquitur de domibus privatis; domus autem Episcopi non est domus privata: Datur etiam Epi-

scopo facultas in *Cap. ult. de privileg. in 6.*, habendi altare viaticum, & ibi celebrandi, ac faciendi alios celebrare ubicumque gentium, ut notat Portel. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 15. Verum in decreto Clementis XI. 15. Decemb. 1703. edito declaratur, non licere, post Trid., Episcopis, nec Cardinalibus extra domum propriae habitationis in domibus laicis etiam in propria diocesi nedum in aliena erigere altare ad celebrandum. Neque possunt Episcopi (nedum Regulares, aut alii Sacerdotes) celebrare in Oratoriis privatis Magnatum diebus Paschæ, Pentecostes, Nativitatis Domini, & aliis solemnioribus in indulto exceptis. Reliquis vero diebus, in quibus una missa in iis Oratoriis permittitur, non possunt Episcopi, aut Cardinales, nec Regulares, aut alii secundam missam celebrare, nec illam unicam, quæ permittitur in indulto, celebrare post meridiem: Declaratur demum in eodem decreto privilegium utendi altari portatili, olim aliquibus Regularibus permisso, revocatum esse a Trid., Quicquid in contrarium docuerint nonnulli apud Dian. part. 6. tract. 8. resol. 39. Concessum tamen est Religiosis Societatis Jesu post Trid. a Greg. XIII., quod possint in Missionibus uti altari viatico, dummodo P. Provincialis eo utendum fore judicaverit. Possunt etiam nostri Provinciales in locis, ubi aliqui Societatis resident, deputare aliquam Capellam, aut Oratorium, in quo celebretur absque limitatione ad unam tantum Missam.

VI. Ubi advertendum, quod ubicumque missa celebretur, satisfaciunt præcepto illam audientes, præterquam quando celebratur in Oratoriis privatis Magnatum de licentia Pontificis, nisi solum a personis privilegiatis. Et enim in Brevi hæc habentur: *Volu-*
mus

mus autem quod familiares servitiis suis non necessarii ibidem missa interestes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festiuis de praecepto minime liberi censeantur. Quamvis autem Pelliz. tract. 8. sect. 2. subsect. 2. ex Pal., & Homob., & alii apud Croix lib. 3. part. 1. num. 528. contra communiorem sententiam apud Tamb. lib. 1. de Sacrif. missae cap. 4. §. 4. putarint huiusmodi familiares satisfacere praecepto audiendi missam, si in his Oratoriis illam audiant, quia non obligat amplius consuetudo audiendi missam in Parochia: ita ut verba ista Brevis ponantur ex stilo Curiae, si forte alicubi adhuc vigeret consuetudo obligatoria audiendi missam in propria Parochia: Nihilominus post decretum ultimum Clem. XI., quod habetur apud Croix de sacrif. Missae n. 258. haec opinio non videtur subsistere; in eo enim aperte declaratur, quod non satisfaciunt praecepto audiendi missam, qui citra privilegium illam audiunt in iis Oratoriis privatis.

Dubitatur tamen, quinam dicantur familiares servitiis Domini actu non necessarii, qui non satisfaciunt praecepto missae, si illam audiant in his privatis Oratoriis? Nonnulli apud Pelliz. tract. 8. sect. 2. subsect. 2. putarunt, intelligi solum famulos honorarios, qui honoris causa dominis inserviunt, sicut etiam Procuratores, Aerarios, Villicos, & similes. Sed hoc videtur nimis laxè dictum, praesertim quia isti non veniunt nomine familiarium; Alii putant intelligi eos omnes, sine quibus non potest decenter in suo Oratorio dominus, vel domina missam audire, sed haec sententia videtur nimis rigida, quia saepe domini nullo omnino famulo indigent, ut possint ibi missam audire. Quare rationabilior videtur sententia illorum, qui putant, satisfacere prae-

cepto Missae, audiendo illam in hisce Oratoriis, omnes illos famulos, quibus indiget dominus, ut nunc missam audiant, quatenus si tunc non audirent, non possent commode suum famulatum praestare; Et ideo coqui, pueri Aulici, Aurigae, & similes familiares, qui sine dominorum incommodo nequeunt Ecclesiam adire ad Sacrum audiendum, dicuntur tunc temporis esse servitiis domini necessarii, & sic satisfaciunt praecepto audiendo tunc missam cum suis dominis.

VII. Rogabis primo, an possit in mari, aut in flumine celebrari missa, si absit periculum effusionis sanguinis, & urgeat necessitas, verbi gratia, communicandi infirmum?

Respondeo, communiter negati cum Navar. apud Lug. disp. 20. sect. 6. propter consuetudinem in contrarium, & decentiam. Granad. tamen, necnon Sa, & Henr. apud Bonac. cum eodem Lug. putant, celebrari posse, etiam ut detur commoditas audiendi missam diebus festis, si mare sit tranquillum, & sit alius Sacerdos, qui post consecrationem calicem firmiter teneat, cum nulla in hoc sit indecentia; saepe enim decentius ornatur altare in triremi, quam in litore; Quamvis autem Con. doceat, id fieri non posse sine licentia Papae; putat tamen Granad. in necessitate sufficere licentiam Episcopi; Et de facto quotidie in navibus, quas Augustissimus Imperator in hoc Regno construxit, de licentia Pontificis celebrari absque ulla indecentia, audiunt a quodam istarum Navium Capellano, quin sit opus ullo Sacerdote, qui calicem sustineat; cum calix plumbeum habeat, ac bene ponderosum, ac amplum pedem, ut nullum detur periculum, quod invertatur, nisi forte tempestas sit valde horrida, quo tempore abstinent potius a missa celebranda.

VIII. Rogabis secundo, An peccet mortaliter, qui celebrat in Ecclesia polluta per effusionem sanguinis, vel feminis publicam, & mortaliter malam?

Respondeo cum communi, peccare mortaliter; quia facit contra prohibitionem Ecclesiae in re gravi. Imo debet Sacerdos missam inchoatam relinquere, si nondum inchoatus sit Canon, quando inter celebrandum Ecclesia violatur; incepto tamen Canone, debet illam absolvere. Potest tamen Episcopus, urgente necessitate, concedere licentiam, ut ibi celebraretur ante reconciliationem. Reconciliabitur autem Ecclesia consecrata per Episcopum proprium cum aqua, vino, & cinere a se benedictis, ac verbis, & caeremoniis contentis in Pontificali. Ecclesia vero benedicta reconciliari potest per simplicem Sacerdotem per asperisionem aquae benedictae, ex cap. *Si Ecclesia de consecrat. dist. 2.* sine ulla licentia Episcopi, ut notat Dian. part. 4. tract. 4. resol. 91., ubi docet Superiores Regularium posse suas Ecclesias reconciliare etiam consecratas, ex Avila, Graff., & Navar., quod tamen multi negant concedendo solum eos posse reconciliare suas Ecclesias benedictas.

Ex dictis sequitur, quod si, inchoata missa, superveniat Ecclesiae violatio, possit idem Sacerdos illam reconciliare modo praescripto in Rituali Romano, & missam profequi.

Notandum tamen primo, pollui solum posse Ecclesiam consecratam, vel benedictam, necnon hujusmodi caemeteria, non vero alia templa, aut Oratoria non benedicta, nisi in iis sit altare ad celebrandum, ex Bonac. de Matrim. quaest. 4. punct. ult. num. 91. contra Lugo, & alios apud Tamb. lib. 3. cap. 6. §. 3.

Notandum etiam, Ecclesiam cen-

Pars V.

feri reconciliatam, si in ea Sacrificium post violationem celebretur, ex Henr., Sa, Dian. contra Lug. de Eucharist. disp. 20. sect. 2.; quod etiam probabiliter docent de Calice, quod scilicet remaneat consecratus, si quis forte bona, aut mala fide in eo sacrificet; vestesque Sacerdotales remanere similiter benedictas.

Notandum tertio, pollui Ecclesiam, ita ut non possit in ea celebrari, Primo, propter homicidium in ea factum, etiam si sine effusione sanguinis; Secundo per effusionem sanguinis, aut feminis publicam, & mortaliter malam, atque adeo etiam per actum conjugalem in eo casu, in quo esset sacrilegium. Tertio per sepulturam excommunicati vitandi, aut infidelis; non tamen haeretici, ex Lug.; Quarto per destructionem Ecclesiae, saltem ex majori parte, in quo casu potius dicitur execrari, quam pollui: Polluta autem Ecclesia, censetur pollutum etiam caemeterium contiguum; non tamen e converso; quia pars magis digna trahit ad se minus dignam, non vero ex opposito.

IX. Queritur quinto, quodnam altare requiratur ad Sacrificium?

Respondeo, requiri sub mortali altare vel fixum, vel portatile, seu viaticum, consecratum ab Episcopo proprio, & sede vacante, a vicino- re; Portatile autem constare debet ex unico lapide, super quem saltem major pars Calicis, & patenae consistere possit; Etenim super ipsum esse debent, non solum Calix, & patena, sed etiam alia particulae consecrandae, tum tempore consecrationis, tum etiam usque ad communionem Sacerdotis, quia particulae illae sunt pars Sacrificii, ut notat Lug. de Eucharist. disp. 20. num. 66.: Excusat tamen a mortali Tamb. lib. 2. cap. 5. §. 2. Sacerdotem, qui consecrata pyxide, illam statim reposuit in custodia; quia

M cum

cum remaneat hostia grandior, qua Sacrificium consummetur, non videtur res gravis, abesse parvas; Immo excusaret eundem etiam a veniali, si adesset necessitas expediendi communionem populi.

Notandum primo cum Con. apud Tamb., non requiri cum tanto rigore reliquias in sigillo, seu sepulchro aræ; Quamvis enim in cap. *Si placuit de consecrat. dist. 2.* exigantur; adest tamen in contrarium consuetudo rationabilis; eo quod non sint in promptu tot reliquias pro tot aris: Unde ea verba, *Oramus Te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquias hic sunt*, dicuntur, quia de more solent esse ibi reliquias; ut dicitur, *Dominus vobiscum, Orate Fratres*, etiam uno presente.

Notandum secundo ex cap. *de Altari de consecratione dist. 2.* non licere simplici Sacerdoti celebrare eodem die in altari, ubi Episcopus celebravit, (ut refert Gavant. apud Tamb. quamvis in textu dicatur, *Cantavit*) sine licentia saltem tacita ejusdem; hic tamen Canon videtur in desuetudinem abiisse, ex Lezana.

Notandum tertio, hujusmodi aram non amittere consecrationem, nisi ita frangatur, ut non possit in majori parte superponi major pars calicis, & patenæ, &c.; Sicut calix, & patena suam consecrationem amittunt, & aliæ vestes Sacræ benedictionem, quando inepta redduntur ad usum Sacrificii, non tamen si calix, & patena amittant inaurationem, ex Hurtad., & Tamb. Immo Lug., Laym., Con., Dian., part. 2. tract. 14. resol. 3. contra Azor. Suar., Vasq. Bonac. putant, quod si iterum inaurarentur, non indigeant nova consecratione; (sicut non indiget iterum consecrari Ecclesia, si iterum dealbetur) etsi deceat, quod abluatur aqua benedicta, ex Dian. part. 1. tract. 9. re-

sol. 3. Pyxis autem, & Sphæra, seu Lunula, quæ tangit immediate hostiam consecratam, non indigent consecratione, ut communius docent cum Tamb. contra Dian. part. 1. tract. 15. resol. 3.; quia non præscribitur in jure talis consecratio, nec ponitur in Rituali propria pyxidis benedictio; unde juxta Laym. solum ex congruitate esset benedicenda Debet tamen patena, & cuppa calicis, & pyxidis esse aurea, vel argentea; Et in cap. *Vasa*, & cap. *Ut Calix de Consecrat. distinct. 2.* permittitur, quod sit stannea, si Ecclesia valde egeat; non tamen ex ære, aut aurichalco inaurato; quamvis alicubi etiam ex aurichalco inaurato confici soleat; ut notat Filliuc. tract. 5. cap. 5. num. 129. In Rubrica tamen Missalis præscribitur, ut si patena, & cuppa calicis sint argentea, etiam sint inaurata. Sed Granad. apud Tamb. putat, non requiri inaurationem hanc sub mortali; Immo forte nec sub veniali, quia usus obtinuit, ut sint ex solo argento. Unde fit, quod sine mortali possit celebrari in patena inaurata, etiam quando aurum est corrosum.

X. Queritur sexto, quænam vestes ad Sacrificium requirantur?

Respondeo, Vestes Sacerdotales sub mortali requisitas ad celebrandum esse amictum, albam, cingulum, (quod potest esse ex serico, aut lana) manipulum, stolam, & casulam, quæ omnia debent esse benedicta ab Episcopo, ex cap. *Vestimenta de Consecrat.* Quod si non essent benedicta, vel essent enormiter, aut valde attrita, aut immunda, mortaliter peccaretur. Excusat aliquando a mortali parvitas materiæ, ut si quis sine cingulo benedicto sacrificaret: ut multi probabiliter docent contra Suar., Vasq., & alios plurimos apud Dian. part. 2. tract. 13. resol. 68. Potest etiam aliquis uti stola pro manipulo, & vi-

ce versa; quia vestes istæ non habent determinatam formam. In necessitate ex Ledesm., & Fill. apud Trull. liceret quidem celebrare absque aliqua ex vestibus minoribus, videlicet stola, cingulo, amictu, vel manipulo; at sine majoribus, idest alba, & casula non licet: Necessitas autem sufficiens ad celebrandum sine aliqua ex vestibus minoribus probabiliter esset ex Dian. part. 2. tract. 14. res. fol. 68., necessitas audiendi, vel celebrandi Sacrum die festivo, fervor devotionis, necessitas elemosynæ in Sacerdote non divite, &c. At sine vestibus majoribus, ne ad dandum quidem viaticum infirmo, licitum est celebrare. Immo ex Cajet. apud Trull. neque ob metum mortis, eo quod fieri non possit absque scandalo, & periculo magnæ irreverentiæ: Quod tamen Navar., & Hurt. apud Bonac. negant.

Notandum hic, Guardianos, & Custodes Fratrum Minorum ex privilegio Leon. X. apud Tamb. posse benedicere corporalia, vestimenta, & reliqua ornamenta ad cultum divinum pertinentia, tam suæ Ecclesiæ, quam undecumque delata: Superiores tamen Societatis possunt hoc privilegio uti solum pro proprio usu; ut habetur in Compendio privilegiorum Societatis.

Notandum præterea ex Trull., Bonac., & aliis, vestes Sacras amittere benedictionem, non solum quando ita sunt attritæ, ut non sint amplius aptæ ad suum usum, sed etiam quando non remanet propria forma; Quare si ab alba abscindatur manica, hæc amittit benedictionem, quam non acquirit, si deinde eadem manica eidem albæ affluatur: Sicuti calix non tornatilis amittit consecrationem, si pes frangatur, & dividatur a Cuppa: At si calix sit tornatilis, non amittit consecrationem, si separetur a cuppa; quia

in tornatili sola cuppa consecratur, ut notat Busemb. Cingulum vero non amittit benedictionem, si aliqua ejus pars remaneat apta ad cingendum; quod si ei addatur alia pars minus apta, tunc totum cingulum erit benedictum, quia accessorium sequitur principale: Si vero neutra pars cinguli erit apta ad cingendum, neutra pars benedictionem servabit, ut notat Tamb. Putat tamen Dian. part. 1. tract. 14. res. fol. 58.; quod sine mortali possit utraque ista pars cinguli neci, & ea possimus uti; quatenus plures Doctores censent ratione parvitatis materiæ non esse mortale celebrare sine cingulo benedicto, ut diximus; Immo Dian. loc. citat. putat, nec esse veniale in casu necessitatis audiendi Sacrum die festo, &c.

Notandum tertio, paramenta benedicta lacera, aut vetustate consumpta debere igne consumi, & non adhiberi ad usus profanos, ex Cap. *Altaris de consecrat. dist. 2.*: Quamvis Pal. tom. 2. tract. 8. disp. 1. punct. 6. cum Tamb. lib. 1. cap. 2. §. 3. putet, ne veniale quidem esse, ea ad profanos usus deputare, mutata jam forma; tum quia consecrationem amittunt; tum etiam quia non constat directe de hujusmodi prohibitione; unde poterit calix contractus verbi gratia, & alba dissuta ad alios usus deservire.

XI. Quæritur ultimo; Quænam sint alia ad Sacrificium requisita?

Respondeo, requiri primo super altare ex Rubricis Missalis, præter corporale tres mappas; Suar., & Valq. docent sufficere duas, aut ex Præp. unam duplicatam; in necessitate autem ex Azor., & Laym., satis est etiam una simplex, etiam non benedicta, quæ deinde aliis usibus redatur.

Secundo requiritur Corporale lineum, (quamvis in extremitatibus

M 2 pos-

possit esse sericum, &c. & benedictum ab Episcopo, vel privilegiario, (juxta modo dicta de vestibus Sacerdotalibus) quod non indiget nova benedictione, si lavetur, nisi notabiliter rumpatur: Communiter autem docent ex Lug., & Gavant. apud Busemb. peccare mortaliter, qui utitur illo notabiliter immundo. Requiritur etiam cum Corporali palla lineae, qua parte tegit calicem, similiter benedicta.

Tertio, Purificatorium lineum, non tamen necessario benedictum, ex Lug., Suar. contra Laym., cum nulla ejus benedictio reperiat in Ritualibus.

Quarto, Missale continens saltem Canonem; quamvis ex Laym. Ledesm. apud Dian. part. 1. tract. 14. resol. 46., quando non reperiretur, posset sine Missali celebrare ille qui est moraliter certus non errandi. Lug. etiam, Dian., Tamb. excusant probabiliter eum, qui propter visus debilitatem legere non potest, si sine missali celebret, dummodo vel memoriter legenda sciat, vel ab alio Sacerdote adjuvetur.

Quinto, Crux, non tamen sub mortali: Alii contra Gavant. putant, non requiri, ubi servatur clausa in Tabernaculo Eucharistia; Certe non requiritur, ubi est expositum Sacramentum, quia est palam ipse Dominus crucifixus: sufficit etiam contra Gavant. Crucis, vel crucifixi imago solum depicta.

Sexto, Minister masculus, ex Navar., Fagund. sub mortali. In necessitate tamen gravi, verbi gratia diei festi, posset ex Nugn., & Sylvest. contra communem apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 44. adhiberi femina, quia quando in jure dicitur, *Nulla femina presumat ad altare accedere, aut Presbytero ministrare*, non videtur intelligendum de tempore gravis necessitatis, tunc enim femina

non praesumit, sed ex commissione Sacerdotis ministrat. Verum in tali casu poterit ipse Sacerdos sibi respondere sine alio Ministro, ex Sa., Bonac., Dian. resol. 43. Non est tamen prohibitum, quod Moniales respondeant ex choro, quando masculus ministrat circa altare.

Septimo, duplex candela cerea accensa, & quidem sub mortali, ex Vasq., Regin., Fagund. In necessitate autem probabiliter ex Zanard., Azor., & aliis apud Dian. loc. citat. resol. 45. sufficit unum lumen adipis, vel olei, secluso scandalo. Numquam tamen licet celebrare sine lumine; Unde Fagund. docet apud Busemb., quod si ante consecrationem lumen extinguatur, debeat missa relinqui, etiam in necessitate dandi viaticum moribundo. Cereus in consecratione accendendus non requiritur sub mortali, sed solum, ut rubricae observentur.

Demum requiritur pallium in fronte altaris, seu antependium, pulvillus, candelabra, bursa, velum, campanula pro tempore elevationis hostiae, manutergium, non tamen benedicta; quae si desint, possunt ex profanis congruenter mundis accipi, & deinde priori usui reddi. Pallium tamen ex Sylv. non videtur simpliciter necessarium; quando scilicet habetur vel praestantia lapidis, vel paupertas; dummodo altare sit decenter constructum; nec sub mortali est necessarius pulvillus, cereum, & campanula pro elevatione, &c.; immo ne sub veniali quidem, ex Perfic., & Tamb., si commode haberi nequeant.

ARTICULUS VII.

De ritu in celebratione servando.

- I. Num sit mortale negligere Rubricas in Missali præscriptas?
- II. Num teneatur Capellanus Missas votivas juxta devotionem dantis stipendium celebrare, si non consonent Rubricis?
- III. Num saltem possit aliquando missas hujusmodi celebrare?
- IV. In quibus casibus licite missa interruptitur?
- V. Quomodo supplendi substantiales defectus, aut errores facile occurrentes in celebratione Missæ?
- VI. Quid si Sacra species evomantur?
- VII. Quomodo supplendi defectus accidentales?
- VIII. Quid si particula Hostie remaneat in fundo calicis, aut palato adhareat?

Ritus, qui in missa observantur, alii consistunt in actione, ut genuflexio, pectoris tussio, immixtio aquæ cum vino, &c.; alii in verbis, ut orationes, & alia verba, quorum aliqua submissa voce, alia elata dicenda sunt, prout in Rubricis præscribitur: Omnes hujusmodi ritus convenienter adhiberi certa fide tenendum est ex Suar., cum pertineant ad religiosum cultum, ad reverentiam tanti Sacramenti, ad devotionem fidelium, & Apostolorum traditioni sint conformes, ex Trid. sess. 23. cap. 4.

Quæritur nunc primo, an sit mortale negligere Ritus, seu Rubricas in Missali præscriptas?

Respondet, communiter cum Azor., Suar., Bonac. hic quæst. ult. punct. 7. §. 3. apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 55. docere, quod juxta probabiliorē sententiam peccetur

Part. V.

mortaliter negligendo hujusmodi rubricas, quando parvitas materiæ non excusat; quia in constitutione Pii V., quæ habetur initio Missalis, dicitur, *Stricte præcipi omnibus, & singulis in virtute Sanctæ obedientiæ, ut missam juxta ritum, modum, ac normam, quæ in missali habetur, decantent, aut legant.* Quare juxta communem apud Suar. disp. 63. sect. 3., Fill., Trull. disp. 11., omittere voluntarie aliquod eorum, quæ præscribuntur, in materia gravi est mortale; in levi vero veniale. Verum Tamb. lib. 2. cap. 6. ex Lug., Gavant., & aliis distinguit duplex genus Rubricarum; ita ut aliæ sint Præceptivæ, aliæ Directivæ: Dicuntur Præceptivæ illæ, quæ continent aliquod, quod ex jure, vel legitima consuetudine graviter jubetur; verbi gratia de jejunio ante celebrationem missæ, de integritate Sacrificii, de loco, ara, vasis, & vestibus sacris, de materia Sacramenti, de azymo in Ecclesia latina, de reverentia debita, & similibus: Dicuntur vero directivæ reliquæ, de quibus non constat apud Doctores, quod graviter præcipiantur: Quare sine onere peccati mortalis præscribitur, verbi gratia, orare ante, & post missam, numerus orationum, &c., dummodo non negligantur cum scandalo, aut contemptu; ad quem contemptum reducit Gavant. in Rubricas Missalis part. 3. tract. 11., negligentiam illam intolerabilem, qua quis non curat eas ut plurimum non servare, quia implicite videtur eas contemnere. Equidem tamen existimo, quod possit aliquis ut plurimum eas negligere sine contemptu saltem gravi, atque adeo in tali casu non peccabit graviter ratione contemptus; sed peccabit graviter, quia cum illæ præcipiantur a Pio V., ut diximus, *In virtute Sanctæ obedientiæ*, quando aliquis ut plurimum eas negligit, non excusatur a parvitate materiæ. Non

M 3 ne:

nego tamen, probabilem esse sententiam Doctorum, quos citavimus cum Bonac., quod secluso gravi contemptu, & scandalo, vel animo inducendi novum ritum, non sit mortale negligere nonnullas Rubricas directivas, & secluso contemptu levi, aliquando nec esse veniale; si scilicet huiusmodi Rubricae videantur esse tantum doctrinales, nec inducant praecipuum, sed instructionem, & consilium praebent, ut loquitur Dian. part. 1. tract. 14. resol. 70., & Croix num. 410. Veniale autem ex indecenti irreverentia, & levi scandalo, si saepe negligentur, declinari non potest.

Ex dictis sequitur primo, esse mortale omittere Epistolam, Euangelium, aut partem notabilem Canonis, verbi gratia Communicantes, &c., quia istae censentur materia gravis: (quamvis non teneatur privatim recitare Epistolam, vel Euangelium, qui celebrat missam solemnem, ex Dian. part. 1. tract. 14. resol. 42., quia nullibi reperitur hoc praecipuum, etiamsi usus sit in contrarium) Contra vero esset veniale omittere voluntarie materiam levem, etiam in Canone; Idemque multi censent apud Suar. disp. 59. si omitteretur in consecratione particula *Enim*; Sic etiam omittere *Credo*, & *Gloria*, quia non sunt partes simpliciter necessariae ad missam, ut notat Dian. loc. citat. resol. 59. ex Fill. contra Nugn. Unde si inadvertenter omitterentur, regulariter non sunt repetenda, cum non possit id fieri sine nota.

Sequitur secundo, peccare mortaliter juxta gravitatem materiae Sacerdotem, si adderet in missa ex devotione novas preces, praesertim publicas; cum id in Missali prohibeatur: Et ex declaratione Sacrae Congregationis Cardinalium peccaret mortaliter, qui in Canone Missae, pro nomine Episcopi, poneret nomen Ge-

neralis suae Religionis, non quia de se res sit gravis, sed quia videtur, id fieri in contemptum Episcopi: Contra vero, si ut privata persona secreto aliquod recitet, verbi gratia, *Pater*, & *Ave*, *Miserere*, &c. ex Tamb. propter levitatem materiae, solum venialiter peccaret; At mortaliter peccaret ex Bonac. apud Bufemb., si adderet quid notabile.

Sequitur tertio, esse mortale omittere oblationem hostiae, vel calicis, quia censetur materia gravis. Quando tamen facta oblatione hostiae majoris, adduntur aliae particulae, Gavant. putat, posse eas consecrari, si mentaliter offerantur; dummodo offerantur paulo post oblationem hostiae grandioris; quamvis Tamb. part. 2. cap. 5. §. 2. putat, posse consecrari, si opus sit, etiamsi remote ab oblatione adducantur.

Sequitur quarto, peccare solum venialiter, qui voce depressa recitat, quae alta voce dicenda sunt. Quamvis Navar. putet, quod mortaliter: Sed Tamb. cum communiore, quod ne venialiter quidem, cum id faciant passim timorati. Illud certe notandum, quod in Rubrica praecipitur, vocem non esse ita efferendam, ut negotium faceat aliis Sacerdotibus ibi celebrantibus: Multi etiam docent apud Mendo in Epitome, quod qui adeo elata voce verba consecrationis proferret, ut per quadraginta passus audiretur, peccaret mortaliter. Notandum tamen hic, Pium V. permisit aliquos ritus peculiare in aliqua particulari Ecclesia, quos per ducentos saltem annos consueverat observare; permisitque iisdem Ecclesiis, ut de consensu Praelati, totiusque Capituli possent Missalis Romani ritus amplecti.

II. Quiritur secundo, An teneatur Capellanus celebrare missas votivas, quas exigit, qui dat stipendium, quando eas Rubrica non permittit?

Re-

Respondeo cum communi apud Dian. loc. citat. resol. 31., quod, per se loquendo, peccat non celebrando missas promissas, eo quod infideliter agat; non peccat tamen, si illas non celebret, quando a Rubrica non permittuntur, etiamsi sub juramento eas promiserit; quia nulla promissio etiam jurata obligat, si sit de re interdicta per legem. Immo notat Alcozer. apud Trull., quod in tali casu nec debeat fieri commemoratio missæ votivæ; quia abunde satisfacit per missam illius diei, quam exigunt Rubricæ; & melius satisfacit intentioni petentis hujusmodi missas; cum Ecclesia corrigat ejus intentionem juxta Rubricas Missalis. Addit Bonac. hic quæst. ultim. punct. 7. §. 3. num. 4., & Trull. dub. 21., quod Sacerdos, a quo, verbi gratia, peteretur missa votiva longa de Passione, abunde satisfaceret, si celebraret de Sancto, de quo eo die celebratur officium, etiam semiduplex, aut infra octavam, immo etiam simplex; quia ubi velit se conformare Rubricæ Missalis, omittendo missas alias, quæ petuntur, secluso scandalo, non peccat, ut docet Suar. disp. 83. sect. 3. Immo ex cap. *Quidam Laicorum de celebratione missarum*, celebranda est missa de eo, de quo fit officium, & reprehensibile est Sacerdotibus ad instantiam laicorum dimittere missas proprias propter peculiare ex devotione: Quamvis enim profit, verbi gratia, defuncto magis missa de Requiem, quæ petitur, secundum preces ab Ecclesia impositas ad hunc finem, quam alia de Sancto eo die occurrente: tamen Sacrificium, quæ sacrificium est, ex opere operato æqualiter prodest, & defectus missæ petitiæ compensari potest devotione, & intercessione illius Sancti, cujus missa celebratur. Ita etiam Azor., Sâ, & alii apud eundem Bonac., & Dian. loc. citat. resol. 31. Et ratio ulterior

est, quia quamvis, verbi gratia, in Rubricis permittatur dicere missam votivam in festo semiduplici; at requiritur justa causa; non censetur autem sufficiens causa petitio cujuscumque, ita ut semper mutetur missa, quæ eo die præscribitur; Unde fit, quod si petatur missa votiva, satisfieri aliquando possit etiam per missam feriæ currentem; quia ille affectus conformationis, & obedientiæ ad leges Sacras, & specialis devotio posset compensare fructum, qui proveniret dicendo missam votivam.

III. Rogabis, an saltem possit citra culpam Capellanus nonnullis diebus celebrare missas votivas, quæ petuntur, si adversentur Rubricis Missalis?

Respondeo, quod si velimus sequi opinionem probabiliorē, & communiorē, quod scilicet Rubricæ Missalis obligent sub mortali, quando non excusat parvitas materiæ, certe non poterit Capellanus adversus Missalis Rubricas dicere, verbi gratia, missas votivas, aut de Requiem in die Dominico, aut festo duplici, aut aliis feriis, & octavis privilegiatis; ut proinde peccet venialiter transgrediendo in materia levi Rubricas; peccet vero graviter, si eas in materia gravi, aut ut plurimum transgrediatur; At si malimus sentire cum Gavant, & aliis apud Tamb., & Dian. part. 1. tract. 14. resol. 70., quod scilicet, ut diximus num. 1. plurimæ Rubricæ hujusmodi sint doctrinales, & directivæ, quæ consilium, non præceptum præbent; profecto poterit aliquando propter petentis missam specialem devotionem sine culpa, etiam levi, ex Suar. apud Tamb. lib. 2. cap. 6. num. 6., unam, aut alteram Rubricam hac in re non observare, secluso scandalo; Quod certe non vitaretur, si, verbi gratia, die Paschæ aliquis celebraret missam de Requiem. Præceptum autem in virtute Sanctæ obedientiæ la-

tum a Pio V. servandi Rubricas Missalis videtur ex Bonac. strictius obligare in missis solemnibus, ac publicis, quam in privatis, cum in privatis esset mortale, si, verbi gratia, ordo missae inverteretur, aut si omitteretur aliquod notabile, quod faciendum praescribitur; At si una missa pro alia diceretur, non semper esset culpa; quia tunc non praetermittitur ordo missae, nec id sapit mutationem ritus, cum pro una missa approbata dicatur alia missa similiter approbata. Nec videtur esse latum praecipuum proprie, & in rigore dicendi missam de festo, aut de feria; Nam cum Sacerdos non teneatur hodie missam dicere, non est cur obligetur ad dicendam hanc determinate, ut ratio cinatur Trull.; Secus autem dicendum de divino officio, quia datur praecipuum & de dicendo officio, & de tali officio dicendo: Quare certum est, non esse saltem mortale dicere diebus, verbi gratia, Apostolorum aliam missam, secluso scandalo, ut notat Dian. loc. citat. resol. 30., & aliquando ex gravi causa, nec est veniale; ut si his diebus exponatur solemniter Venerabile Sacramentum, & dicatur missa votiva de Sacramento, cum commemoratione festi duplicis, aut Dominicae; aut si solemniter celebretur in gratiarum actionem, vel pro necessitate pluviae ingruentis, belli, pestis, &c., vel pro eo, qui iter periculosum aggreditur; aut si quis celebret in Ecclesia, in qua agitur dies festus loci proprius, ut notat Busemb. ex Gavant; vel si cadaver insepultum sit praesens in Ecclesia: Immo si quis ducatur non modica devotione ad dicendam aliquam missam, possit sine culpa, etiam veniali, illam dicere, etiam occurrente aliquo festo duplici, ut habet Tamb. loc. citat., cap. 6. num. 11., saltem quia probabilis est sententia Suar. disp. 83. sect. 3., quod

in missis privatis ne leve quidem peccatum sit sine causa celebrare aliquando aliam missam a corrente, etiam si currens sit duplex, quia non putat haberi de hac re Rubricam praecipivam, & timorati sine scrupulo id faciunt. Hinc qui diu stare propter aegritudinem non potest, poterit dominica palmarum, & tribus diebus sequentibus recitare privatim missam votivam de Passione ex Tamb. loc. citat., quamvis Dian. part. 9. tract. 8. resol. 53. ex declaratione Cardinalium doceat, id sine causa non esse permittendum.

IV. Quaritur tertio, in quibus casibus liceat missam interrompere?

Respondeo, licere primo, si ingruat incendium, terramotus, hostes, &c., praesens tamen scandalo, & periculo contemptus; ita ut, quo partes missae sunt propinquiores consecrationi, & communioni, eo majus periculum motus requiratur. Facta tamen consecratione, si non potest missa perfici, statim sumantur species Eucharisticae, si vacet, omissis caeremoniis intermediis, ex Villal., & Trull.

Secundo, si Sacerdos deficit ante consecrationem, debet missa interrompi; post consecrationem vero etiam solius hostiae debet Sacrificium eodem die perfici ab alio Sacerdote, si haberi possit: Secus sumi debent altero die species consecratae in altero Sacrificio: Quamvis Tamb. lib. 2. cap. 8. putet, posse sequenti etiam die perfici illud Sacrificium, quando deest, aut longe distat, qui eodem die illud perficiat; possitque perfici etiam ab excommunicato, suspenso, &c., si desit Sacerdos aptus. Tertio, si Sacerdos ante canonem recorderetur se non esse jejunum, aut esse in mortali, vel censura innodatum, debet desistere, si possit, sine scandalo, aut sui diffamatione: Quod tamen vix accidere potest, ut notat Bonac. qu.

6. punct. 1.; unde fere semper in his calibus missa est perficienda concepta contritione, &c. Quarto, si vinum, vel hostia veneno inficiantur ab aliquo animali, verbi gratia ab Aranea, ante consecrationem, debet vinum, vel hostia mitti in piscinam, & novum apponi, mente illud offerendo; Quod si contingat post consecrationem, debet illud animal abluui, comburi, & cineres una cum ablutione in Sacrarium mitti; Sanguis vero si non possit citra periculum vomitus, vel salutis sumi, debet honeste conservari, donec corrumpatur, & tunc mitti in Sacrarium: Vel potest panno imbibi, exiccari, & combusto panno, cineres in Sacrarium mitti. Interim abluto calice, debet novum vinum cum aqua imponi, & incipiendo a *Simili modo postquam canatum est*, prosequi Sacrificium. Idem dicas proportionaliter de hostia; Notatque Gavant. cenferi hæc venenata, si fulmine tangantur. Quinto, si Sacerdos ante consecrationem advertat, aquam calici non imposuisse, debet imponere; non tamen post consecrationem, quia non est de necessitate Sacramenti; Sexto, si quis post consecrationem advertat consecrasset acetum, vel aquam, debet hæc in piscinam mittere, quando advertit esse aquam, etiam si aliquid illius ebiberit; (cum non debeat eam projicere, ne projiciat particulam hostiæ consecratæ, & indecens est, aquam in calicem expuere, ut notat Con., & Trull.) & consecrare calicem, ut alias diximus, juxta Rubricas Clem. VIII.: Expediit enim erit, præsertim in præsentia populi, novum vinum, & aquam imponere, mente offerre, & consecrare, incipiendo a *Simili modo postquam canatum est*, & sumere; Quamvis D. Th. putet juxta Rubricas Pii V. novam hostiam etiam, & vinum esse consecrandum, incipiendo a *Qui pri-*

die, perinde ac nihil consecratum esset, ut notat Trull. dub. 23., & Dian. resol. 70., & idem proportionaliter docet, si advertat, hostiam consecratam non esse triticeam. Sed Rubricis Clementis VIII. potius adhærendum, utpote posterioribus, quam sint Rubricæ Pii V.

V. Quaritur quarto; Quid faciat Sacerdos, si advertat aliquid essentielle formæ omisisse, aut si dubitet, an habuerit intentionem consecrandi?

Respondeo: Conveniunt universim Doctores, quod teneantur Sacerdotes vitare omnes defectus, & si quid ex substantialibus omiserint, supplere juxta regulas Missalis. In dubio autem proposito dicendum, quod si Sacerdos certitudinem moralem habeat, se omisisse aliquid essenziale formæ, aut quod ne virtualementem habuerit intentionem consecrandi, tunc debeat iterum consecrare, repetendo secreto totam formam supra eandem materiam cum intentione debita, dummodo id contingat ante sumptionem; immo post sumptionem hostiæ, si advertat, defectum esse in sola consecratione calicis, debet idem facere; At si defectus fuit in utraque specie, post sumptionem, non debet iterum consecrare, cum non sit jejunus, ut notat Trull. Quod si non habeat certitudinem moralem, sed solum dubium, prudens tamen, notabile, & rationabile, debet repetere verba consecrationis sub conditione, saltem mente retenta, ex Suar. disp. 83, loc. citat., quia defectus est substantialis; Quod etiam dicendum, si certo sciat, omisisse aliquod verbum in consecratione, de quo dubitatur apud Doctores, an sit essenziale; ut notat Bonac. punct. 10. num. 12.; Qui addit ex Henr.; quod si Sacerdos dubitet prudenter, an habuerit intentionem consecrandi particulas pro communione populi, nec possit dubium prudens

de-

deponere per rationem probabilem ex iis, quæ diximus quæst. 4. in calce artic. 3., debet illas aut sumere post consumptionem utriusque speciei, aut relinquere, ut alius Sacerdos deinde in missa eas consecret sub conditione.

Ex quibus sequitur primo, quod Sacerdos, qui malitiose noluit hostiam consecrare, consecravit tamen calicem, sed post sumptionem calicis ipsum pœnitet erroris, debeat hostiam consecrare, etiamsi non sit jejunus, ut Sacrificium sit perfectum: (nisi aliud tamen suadeat necessitas vitandi scandalum) Ratio est, quia præceptum divinum de integritate Sacrificii fortius est præcepto ecclesiastico de jejunio naturali: Contra vero, si neutrum consecravit, non debet quicquam consecrare, quando jam non est jejunus, ut notant etiam Suar., & Bonac.

Sequitur secundo, quod si totum vinum consecratum e calice effundatur, ita ut nihil remaneat, debet pariter novum vinum consecrari modo dicto: Idemque similiter observandum, si hostia dispareat vento, aut ab aliquo animali subtrahatur: Quod si difficillime nova hostia possit haberi, quia quod est multum difficile, reputatur moraliter impossibile, & strictius obligat jus naturæ de vitanda offensione populi, quæ sequeretur, quam jus divinum de integritate Sacrificii; ideo tunc in una tantum specie Sacrificium perfici debet, prætermittendo, juxta Rubricas Missalis, verba, & signa, quæ pertinent ad speciem deficientem.

Notandum tamen, quod Sanguis eadens super corporale, vel super lintheum debeat lavari super calicem, & ablutio nisi sumatur ab eodem Sacerdote, debet projici in piscinam; quod etiam fieri debet, si super tapetum, vel alium pannum cadat: at

si cadat super aram, debet a Sacerdote sorberi, deinde lapis lavari, & ablutio in piscinam mitti. Si cadat super tabulam, debet lambi, & abradi; sicut etiam debet abradi, si cadat super terram, & quod abraditur comburi, & cineres in piscinam condi. Quod si sacra hostia super terram, vel super tabulam, &c., cadat, sumpta reverenter hostia, locus mundetur, aliquantulum abradatur, & abrasio in Sacrarium mittatur; si ceciderit super lintheum, aut pannum sericum, &c., diligenter lavetur, & lotio in Sacrarium mittatur: poterit autem lavari a Clerico, vel Sacrista, a quo lavari possunt corporalia: Solum si effundatur sanguis, ablutio fieri debet a Sacerdote, vel saltem, si ille desit, a Diacono, quia tangendus est sanguis, qui in panno imbibitur; quod non contingit in lotionem purificatorii, quia aut sanguis non fuit in eo imbibitus, aut est exiccatus; Præterquamquod non datur lex universalis de eo, quod raro, & per accidens occurrit; unde purificarium etiam a Sacrista lavari potest. Demum si hostia cadat intra pectus fœminæ, quia habenda est ratio decentiæ, & honestatis, ipsa potius melius debet illam accipere, & in pyxidem mittere, & si deperdatur aliquod fragmentum, committatur Angelis, & Deo; quod etiam faciendum, si Sacerdos videat fragmentum aliquod in pectus mulieris, aut intra barbam viri cadere, nec possit sine gravi turbatione illorum, & adstantium offensione illud perquirere: hæc enim pati voluit, qui dignatus est nobis sese in cibum dare. Certe si hostia tangat barbam vel communicati, vel celebrantis, debet barba ter lavari juxta Rubricas, & consuetudinem, non vero radi, & comburi, ut notat Trull.; lotio autem debet in Sacrarium mitti: Quando ta-

men

men sequeretur non modica turbatio viri ex tali lotionem, eo quod ipse non adverterit ad talem contactum Sacrae hostiæ, putat Tamb. contra Dian. part. 10. tract. 12. resol. 10., omittendam esse talem lotionem, quia præstat vitare turbationem fidelium, quam Rubricarum apicem observare; possumus enim uti Epicheja, rationabiliter interpretando mentem Legislatoris, quod voluerit talem casum excipere.

VI. Rogabis, quid, si contingat, quod Sacrae species evomantur?

Respondeo, quod si judicentur corruptæ, totus vomitus debet comburi, & cineres in Sacrarium projici; Sin appareant integræ, debent reverenter assumi, ut dicitur in Rubricis Missalis num. 14., nisi nausea habeatur; aliter separentur, & in loco Sacro reponantur, donec corumpantur; deinde comburendæ sunt, & cineres in Sacrarium projiciendi. Non est autem illicitum provocare vomitum, quando quis advertit, quod species Sacramentales a se sumptæ veneno fuerint infectæ; & quod nisi statim evomantur cum cibo, imminet periculum grave mortis, ut notat Tamb. de Commun. cap. 3. §. 4.

VII. Quæritur sexto; quando quis paululum in missa procedens advertit, se aliquid omisisse, tenetur ne illud repetere?

Respondeo cum Suar., & Trull., regulariter loquendo, defectus accidentales, postquam commissi sunt, non esse supplendos; ut si quis omisit Gloria, vel Credo, &c.; quia non sunt de substantia, & si repeterentur, facile aderit scandalum, aut nota, & invertitur ordo missæ: dixi tamen, Regulariter, quia si parva esset mora, & omisium esset aliquod notabile, non est inconveniens, imo necessarium ex Suar. disp. 85. sect. 2. §. 2., quod repetatur, præsertim in iis, quæ secreto dicuntur.

VIII. Quæritur ultimo; quid faciat Sacerdos, si sumpto calice, remaneat particula in fundo calicis?

Respondeo, posse vel digito illam ad calicis labrum perducere, & sumere, vel infundere vinum, & totum sumere, ut habetur in novo Missali: Quod si prima vice non potuit sumi, potest iterum novum vinum infundi, ut sumatur: quod idem dicendum, si hostia conglutinetur palato Sacerdotis; nam non censetur tunc Sacerdos communicare non jejunus, prout notat Lugo disp. 15. de Euchar. sect. 7. num. 79.; præstatque id facere, quam digitum ori imponere ad trahendas species agglutinatas palato.

ARTICULUS ULTIMUS

De Missæ Stipendio.

- I. *Qua de causa Stipendium pro Missa licite sumatur?*
- II. *Justum Missæ stipendium quodnam sit?*
- III. *Num diebus festis accipi possit stipendium majus, quam diebus profestis?*
- IV. *Possit ne pro eadem Missa duplex stipendium accipi, alterum scilicet pro Officiatura, alterum pro applicatione Sacrificii?*
- V. *Quid si alter petat Impetrationem; alter Satisfactionem Sacrificii?*
- VI. *Num possit Beneficiarius, vel Capellanus, si per alium satisfaciatur, dare illi solum consuetam elemosynam pro Missa?*
- VII. *Sub gravi Sacerdos, qui per alium celebrat, universim tenetur illi integram elemosynam manualement tribuere.*
- VIII. *Num Rectores Ecclesiarum possint aliquid sibi retinere pro expensis necessariis ad celebrandum?*
- IX. *Si quis plura exigua stipendia accipiat, promittendo singulis Sacrificium,*

ficiam, poterit ne eandem Missam pro iis omnibus applicando, obligationi suae satisfacere, si necessitate ductus id promiserit?

X. Videtur id non licere cum secundum se, tum etiam ex decreto Urbani VIII.

I. **P**Lurima huc spectantia diximus art. 5. ; Quærimus nunc, qua ratione stipendium accipi pro Missa possit? Quodnam sit justum Missæ stipendium? Num possit duplex stipendium aliquando pro eadem missa accipi? & alia his affinia; omittentes quæ olim apud Doctores agitabantur, sed post decretum Urbani VIII. de Celebratione Missarum, cum declarationibus Sacrae Congregationis, sunt jam extra controversiam; sicut etiam post proscriptionem octavæ, nonæ, ac decimæ Theses factam ab Alex. VII., in quarum expositione plurima diximus in Trutina Thesium damnatarum. Theses autem a Pontifice proscriptæ sunt huiusmodi: Octava, quæ habet: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licite accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII. Pariter nona, dicens: Post decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui missa celebranda traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta: Et decima, ubi dicitur: Non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: Neque etiam est contra fidelitatem, cum promissam promissione etiam iuramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Quæritur nunc primo, quibus titulis accipi possit stipendium pro missa absque labe Simonie?

Respondeo, certum esse, quod si stipendium recipiatur ut pretium ipsius

fructus spiritualis, sit vera simonia; sicut etiam si recipiatur ut pretium laboris necessario requisiti ad sacrificandum. Quando enim talis labor missæ intrinsicè venderetur, censetur ipsa missa vendi, ut Doctores docent communiter in de Simonia. Habetur enim in cap. *Si quis obseceris* quaest. 3. *Qui horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum in venditum derelinquit.* Quare potest stipendium accipi, vel pro sustentatione Sacerdotis, juxta illud, *Qui altari servit, de altari vivet:* Nam sicut artifex, verbi gratia Pictor, dicitur gratis pingere, si in domo tua sit, nec aliud a te habeat præter sustentationem; ita dicitur gratis celebrare Sacerdos, si accipiat solum stipendium pro sustentatione. Vel potest accipi stipendium propter circumstantias aliquas extrinsecas, verbi gratia, quod sacrificet in tali loco distanti, tali tempore incommodo, &c. Vel demum, ut elemosyna, vel ut donum liberaliter datum.

II. Quæritur secundo, quodnam sit justum missæ stipendium?

Respondeo cum Suar. disp. 86. sect. 2., & aliis apud Trull. dub. 52., justum stipendium non esse taxandum, habita ratione congruæ sustentationis; nam actio sacrificandi non exigit integrum diem; unde potest Sacerdos etiam in aliis exercitiis occupari, ut lucretur, & habeat, unde sustentetur, verbi gratia, concionando, cantando in Choro, &c. Præterquamquod ex usu, & præscripto Ecclesiæ nemo potest ad Sacerdotium ascendere, nisi aliunde valeat se congrue sustentare; quare illud stipendium dicitur justum, quod est a Superiore taxatum. Ratio est, quia licet stipendium non sit pretium, servat tamen pretii proportionem, quatenus in ea servanda est ratio iustitiæ: unde sicut in temporalibus illud dicitur pretium justum, quod

quod est taxatum a Principe ; ita in casu nostro .

Dubium tamen est , an Religiosi exempti teneantur stare taxæ factæ ab Episcopo ? sicut eadem ratione quaeritur apud Doctores , An Ecclesiastici teneantur stare taxis , & metis in pretio rerum , quas Principes sæculares legitime taxant ? Communiter cum Vasq. , Molin. affirmant apud Pal. lib. 1. tract. 3. de legib. disp. 1. punct. 24. num. 6. (quamvis Navar. apud Tamb. putet , ad id non obligari sub mortali) Ratio est , quia posita tali taxa , illud est pretium justum , atque adeo si plus accipiatur , contra justitiam accipitur .

III. Quod si missæ stipendium non fuerit a Superiore taxatum , illud dicitur justum , quod communiter receptum est ; ita ut supra illud exigi non possit ; quamvis possit Sacerdos contentus esse de minori stipendio . In Italia justum stipendium est argenteus : In diebus autem festivis in Diœcesi Mediolanensi permittitur duplex argenteus , teste Bonac. punct. ult. num. 13. ; alibi argenteus cum dimidio . Dian. tamen part. 1. tract. 14. resol. 9. docet , opinionem hanc , quod scilicet possit majus stipendium accipi die festo , damnatam esse in decreto Sacrae Congregationis §. 3. Quod tamen Tamb. loc. cit. negat , siquidem ibi solum veratur , ne die festo recipiatur stipendium duplicatum ; qui tamen accipit duos carolenos die festivo , non dicitur accipere duplicatum stipendium , nec majus justo , ubi pro die festo taxatur vel a superiore , vel a consuetudine duplex argenteus ; sicut enim rerum pretia decrescunt , quando pauci sunt emptores , crescunt vero , quando emptores multiplicantur ; ita justum missæ stipendium (quod ad normam pretii regulatur , quamvis pretium non sit) diebus feriatis potest esse minus quam festivis , quando

ad populi commoditatem multi missas quaerunt . Distinguit tamen Tamb. in missa Applicationem , & Officiaturam , docetque pro Applicatione non posse die festo exigi stipendium majus , cum semper sit eadem ; secus vero pro Officiatura , quæ die festo magis exposcitur , eo quod majus decus Ecclesiæ , & majorem populo commoditatem afferat : eademque ratione non pro Applicatione , sed pro Officiatura Missæ cantatæ potest accipi majus stipendium , ex Suar. disp. 86. sect. 2. , quam pro Officiatura missæ privatae .

Notandum tamen , quod si stipendium non sit manuale a fidelibus voluntarie oblatum , sed ex titulo ecclesiastico , illud censetur justum , quod ob eam causam relictum est Beneficiario , vel Capellano , quamvis sit maximum : Si tamen sit ita tenue , ut non attingat stipendium pro illo loco sufficiens , pertinebat olim ad Episcopum reducere onus missarum ad minorem numerum ; nunc tamen post decretum laudatum pertinet ad solum Pontificem , quamvis non sit improbabile apud March. , & Tamb. lib. 3. cap. 1. §. 2. num. 9. , quod possint Episcopi hoc facere , antequam Ecclesia tale onus acceptet ; quia in decreto solum prohibetur , ne Episcopi moderentur onera missarum imposita ; quod autem nondum est acceptatum , non dicitur proprie impositum . Quare si Ecclesia acceptat onus dicendi , verbi gratia , viginti missas pro decem carolenis , non potest tale onus moderari nisi solus Pontifex ; & quamvis si omnino sine culpa beneficiarii cessent redditus beneficii , cesset etiam omnino statim onus missarum ; si tamen redditus diminuantur , non per hoc potest diminui onus missarum absque recurſu ad Pontificem , cum hoc in decreto prohibeatur .

IV. Quæritur tertio , an possit Sa-

cer:

cerdos accipere duplex stipendium, alterum pro Applicatione Missæ, alterum pro præsentia, seu Officiatura in loco sibi præstituto?

Respondeo, Dian. loc. citat. resol. 80. negare, quia S. Congregatio decrevit, quod Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficii, Capellania, aut Salarii, si elemosynas pro aliis etiam missis susceperint, non possint eadem missa utrique obligationi satisfacere. At Lugo de Euch. disp. 21., & Tamb. loc. citat. num. 14. affirmant, dummodo constet, unum voluisse solum præsentiam, alterum vero solum applicationem Sacrificii; quia stipendium pro præsentia recipitur propter laborem extrinsecum missæ, quod scilicet in tali loco, vel tempore celebretur, ad quod non tenetur Sacerdos obligatus pro alio celebrare; stipendium vero pro applicatione missæ recipitur pro parte sustentationis congruæ Sacerdotis, ut diximus: Decretum autem adductum a Dian. loquitur solum de iis, qui tenentur ratione beneficii, &c. ad præsentiam simul, & applicationem Sacrificii, non vero de iis, qui solum tenentur ad præsentiam. Quamvis autem Barbof., & Lug. doceant, quod qui petit missam in aliquo loco, petat etiam implicite sibi missam illam applicari; quia cum non constet contrarium, præsumendum est, quod communiter contingit: March. tamen apud Tamb. docet, non satis esse talem præsumptionem, quia onus grave non est imponendum, nisi clare constet. Præterea ex Leg. *Quicquid astringendæ* de Verbor. obligat. dicitur, quod propositum mente retentum nihil extra operetur; unde lex Principis mente retenta non obligat: ergo si testator non declarat, quod velit etiam applicationem Missæ, non obligatur Sacerdos ad illam, etiamsi aumus fundatoris fuisset obligare Sa-

cerdotem: Quare si petantur missæ in tali loco celebrandæ, nihil aliud exprimendo, ex quo colligatur exigere etiam applicationem, videtur Sacerdos obligatus dumtaxat ad præsentiam; si enim ille voluisset applicationem missæ, expressisset, dicendo verbi gratia, illam velle pro anima sua, vel defunctorum suorum, &c. Etenim ex Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 17. num. 7. in oneribus imponendis hæc regula servanda est, *Si voluisset, expressisset*. Verum quidem est, in rebus dubiis præsumendum esse, quod communiter contingit: in casu autem nostro non raro accidit, quod fundatores Capellania, & qui petunt missam die festo, verbi gratia in aliquo loco, solum inspiciant ad honorem altaris, vel ad commoditatem populi, non ad suorum delictorum satisfactionem.

Equidem censeo, non esse recedendum a sententia opposita Barbof., & Lugon.; cum regulariter contingat, quod petens missam in aliquo loco, non solum velit commoditatem populi, aut cultum Sancti illius loci, sed etiam Missæ applicationem; Ex hoc autem, quod regulariter contingit, rationabiliter id præsumitur; ac propterea Sacerdos in tali casu tenetur etiam missam applicare pro dante elemosynam.

V. Ex dictis resolvitur alia quaestio, An possit Sacerdos accipere stipendium ab eo, qui petit tantum fructum impetrationis missæ, petendo, verbi gratia, illam pro infirmo; & alterum integrum stipendium ab eo, qui petit fructum satisfactionis, petendo, verbi gratia, illam pro defuncto? Petrus Navar. apud Tamb. docet, id non esse improbabile. Sed communiter cum eodem Navar., & Tamb. docent, id non licere; quia præsumendum est in rebus dubiis, quod communiter contingit: Commu-
niter

niter autem contingit, quod petens missam utrumque fructum velit sibi applicari, nisi aliud explicet, aut ex aliqua circumstantia contrarium colligatur. Præterquamquod in tali casu duplex stipendium pro eadem missa reportaretur; quod in decreto Urbani VIII. vetatur: Quare nisi diserte consentiant offerentes stipendium, quod uni solum impetratio, alteri satisfactio applicetur, non poterit Sacerdos hoc duplex stipendium pro eadem missa accipere. Illud a nonnullis admittitur, quod si gratis uni promissum missam pro salute parentis ægroti, verbi gratia, alteri pro anima fratris defuncti, possis eadem missa utrique obligationi satisfacere; Nam ex modo promittendi, non promittitur nisi uni fructus impetrationis, alteri fructus satisfactionis: nec communiter contingit, quod offeratur semper uterque fructus Sacrificii; sicut communiter contingit, quod petens missam, & erogans pro illa stipendium, petat utrumque fructum; neque in tali casu duplex stipendium pro eadem missa accipitur.

VI. Quæritur quarto; An peccet mortaliter, non solum qui tenetur missas celebrare ob eleemosynas manuales, sed etiam Capellanus, ac Beneficiarius, si accepto pro missis celebrandis stipendio majori, det easdem celebrandas alteri pro stipendio minori?

Respondeo, indubitatum esse id non licere relate ad missas celebrandas ob stipendium manuale, juxta decretum laudatum Urbani VIII., & juxta thesimum nonam Alex. VII.; etenim id saperet turpe lucrum. Nihilominus Sacra Congregatio rogata, an Beneficiarius, qui potest per alium celebrare, teneatur huic alii dare stipendium ad rationem reddituum Beneficii? respondit, Satis esse, si det eleemosynam congruam secundum morem regionis, si aliud in fundatione cautum

non fuerit. Disparitas est, quia qui dat eleemosynam manualement pinguem pro missa, totam illam eleemosynam dat pro missa; unde non debet aliquid sibi retinere, qui per alium celebrat: Contra vero Fundator Beneficii non dat pingues redditus Beneficii pro sola missa, sed etiam pro commodiore sustentatione Beneficiarii, ut alacrius seruiat, &c. & propter eandem rationem Dian. loc. citat. resol. 11., Lug. disp. 21. sect. 2., & Tamb. concedunt etiam Capellano id, quod a Sacra Congregatione conceditur Beneficiario; & Croix putat, id verum esse, etiam si Capellania sit amovibilis: Imo idem concedunt legatario pingui, quando hic non accipit eleemosynam manualement; Verbi gratia, si Titio relinquatur centum aurei cum onere, quod faciat celebrari centum Missas; quia talis eleemosyna non videtur relicta solum intuitu missæ, ut eleemosyna manualis solet conferri, sed intuitu personæ; Idemque dicas, si Sacerdoti relinquatur prædium reddens quotannis centum aureos cum onere, quod celebret quotannis centum missas.

VII. Docuit Bordon. resol. 26. num. 28. apud Tamb., quod qui hoc decretum non servaret, non peccaret mortaliter; quia in eo decreto nulla adsunt verba indicantia culpam mortalem; & ex alio capite nulli fieret injuria. Verum communiter cum Peyr., & Tamb. damnant id de mortali, quia tam subtilis distinctio Sacra Congregationis in re tam gravi gravem prohibitionem demonstrat; Præsertim, quia decreto Urbani VIII. successit deinde condemnatio dictæ propositionis facta ab Alex. VII. Universim autem lex Ecclesiastica obligat sub gravi, quoties usus, & consuetudo ita obligationem interpretatur, ut lex de servandis festis, de jeuniis, & similibus; usus vero in casu nostro obliga-

tionem gravem interpretatur, ut docent communissime.

VIII. Rogata pariter Sacra Congregatio, An Rectores Ecclesiarum possint ab eleemosyna manuali aliquid sibi retinere pro expensis necessariis, videlicet pro candelis, paramentis, vino, &c.?

Respondit, id posse solum Rectores Ecclesiae pauperis, non vero quae sufficientes habet redditus. Ex redditibus tamen beneficii, aut Capellaniae poterunt universim pauperum Ecclesiarum Rectores illam portionem dumtaxat accipere, quae nullatenus excedat valorem expensarum, quae pro ipsomet Sacrificio sunt subeunda.

Præterea docet Dian. loc. citat. resol. 12., quod Sacerdos, qui a Petro habuit aureum pro missa, non intuitu solius missae, sed etiam intuitu personae sibi amicissimae, cui voluit hoc beneficium præstare, possit per alium Sacerdotem satisfacere, collato illi iusto stipendio: sicut etiam quando sponte excessus consueti stipendii ab alio Sacerdote condonatur, ex eodem Dian. resol. 13., Notat tamen Tamb., duos in hac re scrupulos esse vitandos: primus est, ne ille non sponte condonet, sed coactus metu, ne non inveniatur in posterum eleemosynas pro Missis: alter, ne tu incidas in periculum fordidae negotiationis, & damnabilis lucri. Denum Collectores missarum, qui plura stipendia congregant, & deinde inter stipendiarios Sacerdotes distribuunt, probabiliter ex Trull. dub. 11., & Tamb. possunt pro labore in colligendis, vel transportandis stipendiis moderatam mercedem retinere; quia talis prohibitio directe est contra sacerdotes, qui missas celebrandas accipiunt; reliqui igitur solum servare tenentur id, ad quod iure naturae obligantur.

IX. Queritur quinto, An qui accipit plura exigua stipendia, promit-

tens singulis missam, possit unica missa pro omnibus satisfacere; Verbi gratia, si recepit quinque asses a Titio, & quinque a Caio, potest ne eandem missam pro utroque applicare, ita ut debitum caroloni stipendium pro ea accipiat?

Respondeo, Azor. 3. part. lib. 12. cap. 8. quaest. 3., & Cordub. apud Trull. dub. 6. id permittere, quia iustum stipendium debetur Sacerdoti. At communissime negant, quando sponte promisit applicare integram missam pro exiguo stipendio, quia quilibet tenetur stare promissis, & potest Sacerdos liberaliter donare, quod requiritur usque ad stipendium iustum; Si tamen nihil promisit, sed tacuit, dum offerretur stipendium exiguum pro missa, Corduba, Nugnus, Fraxinellus apud eundem Trull., & apud Dian. part. 2. tract. 14. resol. 7. facilius permittunt. Sed communius etiam negant, quia qui tenuem acceptavit eleemosynam ab offerente stipem pro missa, videtur consentire ad mentem petentis, quae est, ut integra missa sibi offeratur: Quare sicut qui accepit tenuem Capellaniam, tenetur ad omnia missarum onera, donec a legitimo Superiore reducantur ad minorem numerum; ita in casu nostro.

Verum Trull., & Tamb. lib. 3. cap. 1. §. 3. probabilem putant sententiam Suar. disp. 86. sect. 4. docentis, in eo casu posse id concedi Sacerdoti pauperi, quando paupertate coactus consentit; poterit enim ab injusto pacto resilire, & missam pro stipendio iusto applicare: Sicut enim (inquit Suar.) operarius, cui digna merces non tribuitur, potest damnum sibi compensare, etiamsi ob paupertatem consenserit in mercedem exiguam; (quamvis non possit exigere mercedem majorem illa, qua alius facile contentus esset in magna turba operario-

reriorum) Et sicut qui ob necessitatem cogitur emere triticum pretio injusto, potest sine injustitia se indemnem servare alia via; quia venditor dum extorquet consensum ad pretium injustum, debet putare, quod qui ob necessitatem emit, vere non consentiat tali pretio: Additque Lugo de justit. disp. 16. sect. 4. num. 82., quod sicut qui in necessitate petit mutuum, & promittit usuras, non tenetur illas solvere, etiamsi fraudulenter promiserit ad extorquendum mutuum; quia cum obliget se mutuator sponte ad mutuandum, obligat etiam se ad leges mutui, atque adeo ad non accipiendam usuram; Ita pariter qui in necessitate vendit infra justum pretium, potest exigere justum pretium; quia emptor eo ipso quod voluit libere emere, voluit implicite obligare se ad solvendum pretium justum, prout ferunt leges emptionis: Quod idem dicendum in conductione; Idemque videtur etiam dicendum in casu nostro; quia quamvis stipendium missæ non sit vere pretium, servat tamen in omnibus rationem pretii. Dian. tamen part. 1. tract. 14. resol. 7. cum Lug. loc. citat., March. hanc doctrinam in casu nostro non permittit; quia oppositum decrevit Sacra Congregatio dicens in laudato decreto: *Deinde ubi plura stipendia, quamvis incongrua & exigua, collata fuerint Sacerdotibus, precipit, ut absolute tot missa celebrentur, quot ad rationem attributa elemosyna prescripta fuerint, ita ut alioquin graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Verum Tamb. putat, verba hæc Sacre Congregationis non esse contra sententiam Suarii; quia dicunt, missas celebrandas esse ad rationem elemosyna attributa; unde si elemosyna attributa sit dimidium justii pretii, non nisi medietas fructuum missæ pro eo applicari debet. Advertit

Pars V,

tamen idem Tamb., quod si offerens exiguum stipendium pro integra missa facile invenisset alios Sacerdotes, qui pro eodem tenui stipendio celebrarent, non posset Sacerdos se indemnem servare applicando pro illo partem tantum fructus missæ: quia promittendo fraudulenter integram missam pro tenui stipendio esset causa injusti damni; Quod pariter docet de operario promittente suas operas pro tenui mercede; non posset enim solitam mercedem exigere, quando Dominus facile invenisset alios operarios, qui eadem tenui mercede contenti essent; etenim fraudulenter id promittendo esset causa injusta damni; & idem docet de mutuuario, qui si promittendo usuras est causa, ut mutuans damnum aliquod patiatur, vel lucrum amittat, debet partem saltem usurarum solvere, ita ut resarciat damnum emergens, aut lucrum cessans mutuantis, cui fraudulenter usuræ promissæ sint.

Equidem tamen, spectato jure naturali, cenfeo primo, quod sicut promittens usuras ob necessitatem non tenetur resarcire lucrum injustum cessans mutuanti per hoc, quod, verbi gratia, aliter mutuasset alteri, qui solvisset usuras: & sicut promittens ob necessitatem injustum pretium pro tritico non tenetur resarcire emptori lucrum injustum, quod illi cessat, per hoc, quod facile verbi gratia alteri eodem pretio injusto vendidisset: ita promittens ob necessitatem integram missam pro tenui stipendio, aut suam operam pro tenui mercede, non tenetur resarcire damnum injustum, quod patitur promissarius per hoc, quod verbi gratia aliter facile reperisset alios Sacerdotes, aut operarios pro eodem tenui injusto stipendio: In eo casu admitto doctrinam Tamb., quando qui offert stipem, facile invenisset alios, qui celebrarent sponte ob eandem e-

N

xi.

xiguam stipem, non coacti necessitate; Vel quando sicut ex copia operariorum decrevit pretium operarum, quod non est a lege taxatum, ita ex copia Sacerdotum decreveret stipendium, quod non esset a Superiore, vel consuetudine taxatum, in indivisibili consistens: Quod si taxatus sit carolenus pro missa, tunc doctrina Suar. videtur absolute vera secundum se.

X. Censeo tamen secundo cum Lug. & Dian. ex verbis citatis Sacrae Congregationis prohiberi, ne isthæ sententia Suar. in praxim deducatur; quippe quæ multum animabus Purgatorii nocet; cum passim reperiantur, qui bona fide petant integram missam pro tenui stipendio: Quare si Sacerdotes non satisfacerent juxta opinionem Suar., animæ purgantes heu quot Sacrificiis privarentur! Unde merito Sacra Congregatio id vetuit, & explicatio Tamb. videtur omnino aliena a mente Sacrae Congregationis; sicut merito prohibitum est ne reducantur onera missarum ad minorem numerum, quamvis reditus non sint sufficientes ad stipendium justum.

Et hinc confirmatur mea sententia; nam si quis acceptat Capellaniam reddentem quotidie quinque asses cum onere celebrandi quotidie, tenetur quotidie celebrare, nec potest reducere onus missarum ad minorem numerum sine licentia Pontificis; idque puto verum esse, etiamsi coactus ne-

cessitate in id consentiat: ergo etiam in casu nostro.

Censeo tertio, sententiam Suar. absolute esse falsam, quia taxa stipendii pro missa non est facta a Superiore, ita ut consistat in indivisibili, sed a consuetudine: Quare sicut ex Tamb. lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 35., possunt die festo exigi aliquando duo caroleni, quin fiat contra decretum prohibens, ne die festo exigatur duplex stipendium, quia scilicet duo caroleni aliquando, ubi est copia petentium missas ad commoditatem populi, non sunt in rigore stipendium duplicatum, sed stipendium debitum majus: Ita in casu nostro, ubi est copia Sacerdotum offerentium missas, stipendium justum decrevit; atque ad eò justum stipendium dat, qui daret, verbi gratia, pro ea Missa quinque asses; unde qui promittit integram missam pro exigua stipe, quæ sit justa, spectata copia Sacerdotum in simile stipendium consentientium, tenetur integre illam offerre. Contendunt quidem multi apud Bonac. punct. 7. §. 2., quod elemosyna justa pro missa debeat esse, quæ sufficiat ad sustentationem Sacerdotis integram: Sed hoc merito negatur ab eodem Bonac., quia ex usu, & institutione Ecclesiæ, nemo potest promoveri ad Sacerdotium, nisi aliunde habeat, unde congrue valeat se sustentare.

QUÆSTIO VI.

De Extrema Unctione.

Sacramentum hoc appellatur Extrema unctio; tum quia confertur homini in extremis constituto; tum quia hæc est ultima Sacra unctio, quæ homini confertur: Primo enim ungitur in baptismo; Secundo in confirmatione; Tertio in collatione Sacerdotii (Presbyteri enim in manibus, & Episcopi in capite, & manibus ungentur; sicut Reges in humero, vel brachio) Quarto demum in collatione hujus Sacramenti. Ex Trid. autem scs. 7. can. 1. constat Sacramentum hoc a Christo Domino esse institutum, & a Beato Jacobo promulgatum: Probabiliter institutum fuit, quando Christus Dominus Apostolos misit, Marci 6. ut ungerent oleo infirmos, & sanarent. Non fit mentio ab Evangelistis de hoc Sacramento, quia solliciti fuerunt de iis tantum, quæ sunt necessaria ad salutem, & ad dispositionem Ecclesiæ: Sacramentum autem Extremæ unctiois ad salutem non est necessarium; sicut nec Sacramentum Confirmationis, de quo nec ulla mentio fit in Evangelio.

Definitur Extrema unctio, quod sit *Signum rei Sacrae, quo aliqua partes corporis infirmi ungentur oleo benedicto sub præscripta forma verborum, juxta Christi institutionem, ad salutem animæ, & corporis*; Brevius definitur, quod sit *Sacramentum novæ legis ad ungendum infirmos ordinatum, in salutem animæ, & corporis*, quod constat, tum ex iis, quæ dicemus, tum ex verbis Jacobi Apostoli dicentis cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros, & orent super eum, ungentes oleo in nomine Domini, & oratio fidei alleviabit infirmum, & salvabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittuntur ei.* Est autem unum numero Sacramentum in quolibet suscipiente, conflatum tamen ex materiis, & formis partialibus ordinatis ad eundem finem; Neque enim gratia confertur, nisi completa ultima unctioe essentiali, ut dicemus cum Suar. disp. 40. scs. 4.; Sicut enim Sacramentum Eucharistiæ est Sacramentum per modum convivii, quod integratur per cibum simul, & potum; ita Sacramentum hoc ex D. Th. in 4. dist. 23. quæst. 1. est Unctio omnium sensuum exteriorum, quibus hauritur morbus interior, & integratur pluribus unctioibus; Curatio enim multorum vulnerum non potest adumbrari perfecte, nisi per applicationem medicinæ ad diversas vulnerum radices; sicut convivium non potest perfecte adumbrari, nisi per cibum simul, & potum. Discutimus primo hujus Sacramenti materiam, & formam: Secundo, Ministrum: Tertio, Subjectum: Quarto, Effectus.

ARTICULUS I.

De Materia, & Forma hujus Sacramenti.

- I. *Oleum olivarum dumtaxat est materia remota hujus Sacramenti.*
- II. *Necessitate Sacramenti opus est, ut illud sit benedictum.*
- III. *Proxima materia est Unctio, qua fieri solet in formam Crucis.*
- IV. *Unctiones a Florentino enumeratae sunt septem: At non omnes sunt de essentia Sacramenti.*
- V. *Quomodo caecus, & surdus inungendi sunt? Et quid tempore pestis?*
- VI. *Forma proferri debet deprecatorio modo.*
- VII. *Quanam verba sint essentialia, ac de necessitate Sacramenti?*
- VIII. *Num sensus, qui inungitur, exprimens sit?*

I. **Q**uæritur primo; Quanam sit materia remota extremæ Unctionis.

Respondeo, esse oleum olivarum. nam Jacobi 5. dicitur, *Ungentes cum oleo*: oleum autem absolute dictum significat oleum expressum ex baccis olivarum. Ex Innocentii autem Papæ epistola, ut notat Trull., debet oleo misceri balsamum; usus tamen communis Ecclesiæ nunc est, ut balsamum non misceatur; quia odor bonæ vitæ balsamo significatus non est necessarius morientibus, sed viventibus: Quare peccaret, qui contra consuetudinem Ecclesiæ oleo balsamum misceret (ut notat Suar. loc. citat.) In necessitate autem deficiente oleo extremæ unctionis, licitum est uti oleo Chrismatum, in quo admixtum est balsamum, ut notat Trull., & Dian. part. 3. tract. 4. resol. 176., & part. 5. tract. 3. resol. 90.

II. Notandum, essentialiter requiri,

atque adeo non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate Sacramenti, quod oleum sit benedictum ab Episcopo, ut constat tum ex traditione, tum ex Florentino: Probabiliter tamen ex dispensatione Pontificis benedici potest, & consecrari a simplici Sacerdote, ut diximus, cum de Chrismate. Probabiliter etiam ex Bonac. ad validitatem Sacramenti sufficit oleum benedictum ab Episcopo, quamvis alia benedictione ab ea, quæ præscribitur in Rituali: ex consuetudine tamen debet eo anno esse benedictum. Verum notat Leand. hic disp. 7. quest. 11. post longam consultationem sensisse Theologos, & utriusque Juris Doctores non dari præceptum sub mortali de illo renovando singulis annis; quia id de solo Chrismate præscribitur in cap. *Si quis de alio de Consecrat. dist. 4.* Licet autem esse Parocho, oleum non consecratum miscere consecrato, quando timet fore, ut oleum consecratum non sufficiat pro toto anno; tunc enim utrumque censetur consecratum; dummodo quod additur sit minoris quantitatis, quam consecratum; major enim pars trahit ad se minorem, ex cap. *Aqua de Consecrat.*; sicut tota aqua censetur benedicta, si aquæ benedictæ admisceatur minor quantitas aquæ non benedictæ: Contra vero non est totum vinum consecratum, si vino consecrato misceatur non consecratum, quia ex institutione Christi Domini non consecratur vinum, nisi per verba consecratoria; aqua vero remanet benedicta etiam per immixtionem cum aqua benedicta, ex cap. citat. *Aqua de Consecrat.*

III. Quæritur secundo; Quanam sit materia proxima hujus Sacramenti? Respondeo, esse Unctionem; dicitur enim a D. Jacobo; *Ungentes cum oleo*. Quamvis autem unctio fieri soleat in formam crucis, id tamen non est

est de necessitate Sacramenti; imo neque de necessitate præcepti; cum nullum de hoc extet præceptum, ut probat Suar. contra Sylv. Nec talis consuetudo ex Suar., & Trull. obligat sub mortali, secluso scandalo, aut contemptu; cum non videatur res gravis, nec constet, illam introductam esse cum existimatione, quod obliget sub mortali.

IV. Quaritur tertio; Quænam unctiones sint de essentia materiæ proximæ hujus Sacramenti?

Respondeo, quamvis Florentinum septem unctiones numeret, in oculis, in auribus, in naribus, in ore, in manibus, in pedibus, in renibus; Communiter tamen docent, non esse omnes de essentia; plerumque enim, ut testatur Suar., omittuntur unctiones pedum, & renum, præsertim in feminis propter honestatem. Quare neque omnes septem sunt de necessitate Sacramenti, neque de necessitate præcepti; cum circa unctiones pedum, & renum servanda sit loci consuetudo, ut notant Filliac., & Trull. An autem omnes aliæ quinque unctiones sint de essentia? dubium est apud Doctores: Aliqui apud Dian. part. 8. tract. 1. resol. 21., & part. 3. tract. 4. resol. 159. cum Bell. cap. 10. putant, unam unctionem in quacumque parte corporis infirmi esse de essentia Sacramenti; reliquas vero Sacramentum integrare; Sicut in Eucharistia una species pertinet ad essentiam Sacramenti, altera ad integritatem: At communius cum D. Th., & Suar. docent, omnes quinque esse de essentia, ita ut non conferatur gratia, nisi completa quinta unctione. Ratio est, quia cum hoc Sacramentum sit institutum ad delendas reliquias peccatorum, & radices, seu origines omnium peccatorum sint in sensibus; (nihil enim est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu) ideo

Pars V.

quinque unctiones in quinque sensibus videntur de essentia Sacramenti: Et hæc sententia in praxi sequenda est, quando nulla urget necessitas in contrarium; universalis quippe usus Ecclesiæ saltem evincit omnes quinque esse de necessitate præcepti; Præterquamquod, seclusa gravi necessitate, non possumus a consuetudine discedere in dubio de valore Sacramenti: Ex quo fit, quod cum consuetudo sit, ut in utroque oculo, aure, manu, &c. fiat unctio, ideo nec licet ab hac consuetudine discedere, quamvis videatur satis esse unctio in uno tantum oculo, aure, &c.

V. Quod si quis careat oculis, vel manibus, tunc unctio fieri debet ex D. Th., & Bonac. in parte corporis magis propinqua: esto enim cæcus, verbi gratia, a nativitate non peccarit videndo, tamen quia potuit peccare desiderando, verbi gratia, turpes aspectus, ideo convenienter etiam cæcus ungitur in oculis. Sacerdotes autem non unguuntur in palma, in qua jam fuerunt semel uncti, sed in superiore parte manus. Denique, ut notat Dian. part. 3. tract. 4. resol. 168., & part. 5. tract. 3. resol. 89. in casu necessitatis, præsertim in morbis contagiosis, ad evitandum periculum contagii, posset aliquis sequi priorem sententiam, quod scilicet sit de essentia Sacramenti una tantum unctio, & ungere unum tantum organum sensus magis obvium, dicendo: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum deliquisti*: nam teste Conink tota Universitas Lovaniensis cum Archiepiscopo id approbavit anno 1588. Immo ad vitandam contagionem potest ungere infirmum virgula argentea, lignea, &c., ut notat Dian. part. 3. tract. 4. resol. 167., & part. 5. tract. 3. resol.

N 3 79. i

79. ; Suar. etiam disp. 41. sect. 2. apud Bonac. putat, quod si periculum est in mora, possit Parochus, inuncta singulorum sensuum unica parte, proferre unicam formam complectentem plures formas partiales modo dicto; nam quando urget evidens necessitas, potest Sacramentum cum materia dubia sub conditione ministrari, eo quod tunc non possit haberi materia certa: Et propter hanc eandem rationem tempore pestis potest Sacramentum hoc conferri conditionate cum unica unctione, ut dictum est; quia scilicet quod sine magno incommodo, & sine periculo vitæ haberi non potest, dicitur moraliter impossibile; unde cum non possint quinque unctiones poni sine periculo vitæ, dicitur ista materia certa esse impossibilis, ideoque potest poni Sacramentum cum materia dubia, seu cum unica unctione.

VI. Quæres quarto, quænam sit forma hujus Sacramenti?

Respondeo, ex Florent., & Trid. sess. 14. can. ult., esse hæc verba prolata a Sacerdote: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid per visum deliquisti; Amen.* quando scilicet unguuntur oculi; deinde quando unguuntur nares, &c. dicendo: *Quicquid per auditum, per odoratum, per oris vitium, per tactum, per incessum, per ardorem libidinis deliquisti.* Forma itaque hujus Sacramenti proferri debet modo deprecativo, ut constat, tum ex illis verbis D. Jacobi, *Inducat Presbyteros, & orent super eum;* tum ex traditione Ecclesiæ. Unde communius docent contra nonnullos, non sufficere, si per verba indicativi modi sine ulla oratione proferatur, dicendo verbi gratia, *Ungo te oleo salutis in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti:* Non est tamen improbable ex Trull. contra Nugn. apud Dian. part.

3. tract. 4. resol. 175. valere hanc formam: *Ungo te oleo Sancto, ut Deus tibi remittat peccata, quæ per visum commisisisti;* quia jam additur sufficiens deprecatio.

VII. Porro in hac forma sunt de essentia illa verba, *Per istam unctionem,* quia in forma Sacramenti debet exprimi actio ministri, ut *Baptizo te &c.*, non sunt vero de essentia illa verba, *Et per suam piissimam misericordiam;* cum sufficienter impleretur misericordia divina per verba sequentia: Sunt tamen de præcepto, ita ut sine mortali omitti non possint, ex D. Th., Suar., Trull.; sicut nec verbum illud *Sacram,* vel *Sanctam,* idest unctionem. Si pro verbo *Indulgeat* dicatur *Parcat, Ignoscat,* &c., mutatio esset accidentalis. Invocatio Sanctissimæ Trinitatis post unctionem singulorum sensuum non est de essentia, nec de præcepto; cum neque in Conciliis, neque in Cæremoniali Romano habeatur; nec hoc Sacramentum est professio fidei, ut Baptismus.

VIII. Dubium est apud Doctores; An sit de essentia expressio sensus, qui ungitur, dicendo verbi gratia: *Quicquid per visum peccasti;* ita ut non satis sit, si dicatur, *Indulgeat tibi Deus; quicquid peccasti.* Nonnulli cum Con. docent, esse tantum de præcepto, quia absque ea expressione sufficienter significatur committi peccatum, quod originem trahit a sensibus: Quare ex Dian. part. 3. tract. 4. resol. 175., & 180., solum sunt de essentia ista verba, *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti,* & reliqua sunt de præcepto: At communius docent, expressionem sensus, qui ungitur, esse de essentia. Unde in praxi a communi sententia citra gravem culpam recedere non possumus; ut notat Bonac.

ARTICULUS II.

De Ministro hujus Sacramenti.

- I. Solus Sacerdos illud ministrare valide potest, etiamsi sit excommunicatus.
- II. Probabiliter potest valide a pluribus Sacerdotibus relate ad diversas unctiões ministrari.
- III. A Sacerdote proprio ministrari debet, nisi necessitas urgeat.
- IV. Num Parochus sub mortali teneatur Sacramenta Extrema Unctiões, aut Eucharistia ministrare cum periculo vite? & quando?
- V. An possit hoc Sacramentum sine sacris vestibus in necessitate ministrari?
- VI. Num aliquando tempore Interdicti ministrari possit?

I. **Q**uæritur primo; Quinam sit Minister, qui possit valide Extremæ unctiões Sacram. conferre?

Respondeo, esse solum Sacerdotem, ex Florent., & Trident.; quod eruitur ex verbis Jacobi 5. *Inducat Presbyteros*: cum enim ordinatum sit ad tollendas reliquias peccatorum, debuit ministrari a Sacerdote, qui potest a peccatis absolvere: Quare Diaconus invalide illud confert, nec potest Pontifex in hoc dispensare, cum sit juris divini: Valide vero confertur a Sacerdote etiam excommunicato, suspenso, &c., quia ministratio hujus Sacramenti est actus Ordinis, non jurisdictionis; unde jurisdictione non requiritur ad valide administrandum, ut in Sacramento Pœnitentiæ. Et ratio est, quia solum Sacramentum Pœnitentiæ est institutum per modum judicii, in quo essentialiter requiritur jurisdictione.

II. Quæritur secundo, An valide ministratur a pluribus, ita ut unus un-

gat unum sensum; alter alterum, &c.?

Respondeo cum communi affirmative; unde in necessitate, si statim cessurus timeretur infirmus, possent ei unctiões simul adhiberi a pluribus Sacerdotibus, qui proferrent singulas suas formas correspondentes, ut docet Mærat. apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 88. Imo si Sacerdos post aliquas unctiões moreretur, posset alius Sacerdos alias unctiões perficere: Sicut si Sacerdos moriatur post consecratam hostiam, debet alius Sacerdos calicem consecrare. Putat tamen Mærat. apud Dian. loc. citat. resol. 89., quod in tali casu potest secundus Sacerdos unctiões repetere ab initio, quia utilius id poterit esse infirmo, eo quod solum probabile fit, non certum, quod hoc Sacramentum possit a pluribus ministrari. Equidem tamen dico, quod non solum id possit, sed etiam quod debeat, ne exponat periculo frustrationis Sacramentum.

III. Quæritur tertio, Quinam sit Minister, qui possit licite illud ministrare?

Respondeo, esse Parochum proprium, quia ministrare Sacramentum est officium Pastoris; unde graviter peccat, qui sine illius licentia illud ministrat; Et Religiosi excommunicationem Clementinæ primæ de Privilegiis incurrunt. Sufficit tamen in necessitate licentia implicita, seu interpretativa, quæ censetur, quando jamjam aliquis moritur, & Parochus opportune inveniri non potest. Imo ex Henr., Laym., Dian. part. 3. tract. 4. resol. 170. si Pastor absit, vel non possit, aut nolit injuste hoc Sacramentum conferre, potest quilibet Sacerdos, tam secularis, quam regularis, etiam renitente Parocho, illud ministrare, quia in tali casu Episcopus, vel Pontifex censetur illi licentiam præbere, ut no-

rat Trull.; Ubi notandum ex Palud., Con., Laym. apud eundem Dian., quod Sacerdos inferior solum sub veniali teneatur hoc Sacramentum conferre ex charitate, si commode potest, non vero sub mortali; nisi quando infirmus graviter indigere censeatur, eo quod aliter sine omni Sacramento decederet. Verum tenetur sub mortali Sacerdos ministrans hoc Sacramentum recte se disponere, ut sit in gratia, saltem per contritionem existimatam: Quod si sit excommunicatus, vel suspensus, debet suas vices alteri committere; Si tamen alius desit, probabile est ex Fill., quod possit ab eo ministrari. Et quamvis Suar. disp. 44. apud Trull. probabilius putet, quod non possit ab excommunicato, vel suspenso vitando conferri, quando infirmus alia Sacramenta suscepit; certum tamen est, quod excommunicatus toleratus ad hoc requisitus potest illud conferre, quia solum illi prohibetur, ne se ingerat ad divina ministranda.

IV. Quæritur quarto; An Parochus teneatur sub mortali hoc Sacramentum suis ovibus ministrare?

Respondeo cum communi affirmative; nam illi competit ex officio, & iustitia suas oves pascere, & ordinaria salutis remedia præbere; unde peccabit mortaliter, tam si illud neget, quam si notabiliter differat cum periculo infirmi: Idemque dicitur de Episcopo, deficiente Parocho. Tempore pestis, negat Navar. apud Trull. cum Suar., Fill., quod teneatur Parochus cum periculo vitæ hoc Sacramentum ministrare, quia non est Sacramentum necessitatis; & alioquin satis subvenitur necessitati infirmi per Sacramentum Confessionis, & Communionis; tenetur tamen Parochus tentare omnia remedia convenientia, ut illud sine periculo vitæ ministretur. Imo Nugn. putat apud Dian. part. 3.

tract. 4. resol. 174., & part. 5. tract. 3. resol. 96., quod teneatur cum periculo vitæ peste infectis ministrare tria Sacramenta, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis. Tenetur certe Sacramentum Pœnitentiæ etiam cum periculo vitæ ministrare: (quamvis Suar. disp. 44. sect. 2. num. 15., & Fill. apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 93. excusaret Parochum, si moraliter certus esset, quod infirmus non habeat conscientiam peccati mortalis, & alioquin periculum propriæ vitæ esset magnum) At Sacramentum Extremæ Unctionis communius docent, quod non teneatur ministrare cum periculo vitæ. Imo Hurt. apud eundem Dian. putat, quod nec teneatur, etiamsi infirmus aliud Sacramentum, puta Confessionis, & Communionis, suscipere non potuisset; quia ex una parte potest ille sibi consulere per contritionem; ex alia vero parte non est certum, quod hoc Sacramentum, quod est vivorum, ex attrito faciat contritum, & deleat mortalia quoad culpam. Huic tamen sententiæ non subscribo; cum contritio non omnibus sit facilis; & probabilitas ista, quod Sacramentum vivorum ex attrito per accidens possit facere contritum, causando primam gratiam, satis est, ut eatenus teneatur Sacerdos in casu adducto hoc Sacramentum ministrare. Denique quamvis ex Fill. tom. 1. tract. 3. cap. 5. teneatur Parochus cum periculo vitæ Eucharistiam moribundis ministrare, quia ad illam tenetur infirmus ex præcepto divino, & est medium moraliter necessarium ad salutem; Molfes. tamen apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 174., & part. 5. tract. 3. resol. 53. putat, non teneri ad id Parochum cum tanto periculo, quia non est Sacramentum præcise necessarium.

V. Notandum demum ex Tanner. apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 91., de-

debere ministrum Extremæ Unctionis adhibere respondentem, & præmittere preces Ritualis: si tamen urgeat necessitas, potest utrumque omittere: At sine vestibus ab Ecclesia præscriptis ex Bonac. ministrare in necessitate non debet, ut dicitur de Eucharistia. Observat etiam Barbosa, quod Parochus non debeat absque lumine Sacrum Oleum deferre; nec possit domi illud tenere, ut noctu vocatus citius accurrat: si tamen utrumque hoc fieret sine periculo irreverentiæ, aut scandali, non esset mortale.

VI. Tempore autem Interdicti ministrari non potest, cum non sit Sacramentum necessarium; si tamen ægrotus aliud Sacramentum suscipere non potest, tunc posset hoc Sacramentum illi conferri, ex Palud. apud Trull.

ARTICULUS III.

De Subjecto Extremæ Unctionis.

- I. *Invalide confertur non ægroti, ac de vita periclitanti, quamvis sit baptizatus, & usum rationis habuerit.*
- II. *Qui de vita periclitatur, sed non ratione ægritudinis, incapax est hujus Sacramenti.*
- III. *Probabile est, Beatissimam Virginem hoc Sacramentum suscepisse.*
- IV. *Num citra mortale negligi illud possit?*
- V. *In eadem ægritudine tunc poterit iterari, quando novum vita periculum supervenerit post congruum tempus.*

I. **Q**uæritur primo, Quinam sit capax hujus Sacramenti? Respondeo, esse capaces solum baptizatos in extremo vitæ laborantes, qui usum rationis saltem habuerint. Ita Florent. Hinc sequitur primo, pueris,

& perpetuo amentibus invalide conferri, ut communiter docent contra Majorem; quia falsa redditur in iis forma, Quicquid deliquisti, non potuit enim delinquere, qui nunquam habuit usum rationis. Potest tamen sub conditione conferri pueris, si dubitetur, an lumen rationis iis irradiarit, ex Lugo apud Dian. part. 3. tract. 7. resol. 169., & part. 5. tract. 3. resol. 85.; sicut quando dubitatur, an aliquis sit mortuus.

Sequitur secundo, Amentibus, & phreneticis, qui aliquando habuerunt usum rationis, dari debere, nisi ante phrenesim fuissent in peccato notorio, & nullum signum Pœnitentiæ dedissent. Ratio est, quia quilibet fidelis præsumitur habuisse intentionem suscipiendi Sacramentum in articulo mortis; & hujusmodi intentio habitualis non retractata satis est ad valide suscipiendum hoc Sacramentum. Quamvis autem debeat esse in gratia, qui illud suscepturus est, quippe quod est Sacramentum vivorum: at si præferit solum attritionem inculpabiliter, adhuc gratiam probabiliter recipiet; quia omnia Sacramenta non ponentibus obicem gratiam causant, nec dicitur ponere obicem, qui cum attritione peccati commissi accedit, ut patet in Sacramento Baptismi, & Pœnitentiæ: Quamvis peccet, qui ad Sacramentum vivorum culpabiliter non se disponit per contritionem, aut per attritionem cum confessione; Ad Eucharistiam vero nullatenus sufficit per solum contritionem se disponere, sed debet etiam præmitti mortalium confessio; nisi tamen physica, aut moralis impotentia obset, & urgeat necessitas communicandi.

II. Sequitur tertio, Sacramentum hoc esse conferendum periclitantibus de vita solum ratione infirmitatis, ut patet ex verbis Divi Jacobi dicentis, *Infirmatur quis in vobis? Quare inca-*
pa-

paces illius sunt navigantes, aut beligerantes cum periculo vitæ, nec non qui suspendendi sunt, & mulieres in partu existentes, quamvis vi doloris sint in periculo vitæ: Contra vero potest conferri senibus morti propinquis, cum senectus ipsa sit morbus, nec non periclitantibus de vita ob pestem, ob rabidum morsum, ob tactum viperæ, ob vulnus: Non est autem expectandum, ut infirmus sit in extremo vitæ, sed administrandum est, si fieri potest, quando infirmus adhuc usu rationis gaudet, ut se magis ad fructum recipiendum disponat; cum Sacramenta magis disposito uberiores fructus caufent, instar canfarum naturalium, ut alias diximus. Probabilius autem est, quod sit invalidum, si conferatur agro, qui revera non sit in periculo vitæ, quamvis putetur esse in tali discrimine: At Con. quaest. 19. dub. 7. probabiliter putat, valide conferri, si bona fide credatur infirmus esse in vitæ periculo, quamvis revera non sit; præsertim quia Florentinum dicit debere dari iis, de quorum morte timetur; unde satis est, quod appareat periculum mortis; non solum ut licite, sed etiam ut valide conferatur; aliter deberet dari jamjam agenti animam, ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis.

III. Sequitur quarto ex Suar., Con. contra Sanc., & Nugn. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 181., non esse necesse, quod suscipiens hoc Sacramentum aliquando peccaverit, sed satis esse, quod usum rationis habuerit. Ratio est, quia D. Jacobus dicit, *si in peccatis fuerit, remittentur ei*: unde non requiritur, quod peccaverit. Et quamvis in forma dicatur, *Ignoscat tibi Deus quicquid deliquisti*, sensus videtur esse, *Ignoscat, si quid deliquisti*. Finis enim hujus Sacramenti est gratia prædiativa, & corroborativa in extrema lucta; unde licet non

inveniat vulnera, quæ sanet, adhuc habet finem suum, cum inveniat hostes aggredientes. Hinc Suar. existimat valde probabile esse, quod Beatissima Virgo hoc Sacramentum suscepit: Ad eum modum, quo communius docent illam suscepisse Sacramentum Baptismi, non quidem ut ab originali culpa emundaretur, sed ut caractere baptismali insigniretur. Alii tamen negant, quia Beata Virgo non solum erat immunis a culpa, sed etiam a laboribus morbi, & a tentationibus hostium.

IV. Quæritur secundo; An teneatur sub mortali ægrotus suscipere hoc Sacramentum?

Respondeo cum communi contra Sot. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 170., & part. 5. tract. 3. resol. 97., non esse mortale illud negligere, secluso scandalo, & contemptu; cum nullum de eo suscipiendo sit præceptum. Notat tamen Tröll., vix inter Christianos vitari posse scandalum, si quis adeo utile Sacramentum nolit in tali statu suscipere. Immo nonnulli contra Tanner. apud eundem Dian. putant, quod præsumatur contemnere illud, qui in extremis positus nolit suscipere, quando commode potest habere: Quare certum saltem erit, non excusari a veniali qui illud negligeret, quia videretur habere magnam rerum spiritualium prodigalitem.

V. Quæritur tertio; An possit Extrema Unctio reiterari?

Respondeo cum communi apud Dian. part. 5. tract. 3. resol. 96., in eadem infirmitate non posse iterari, durante eodem periculo mortis, quia semel suscepta est medicina sufficiens ad effectum, quo infirmus eget; & quia ita fert usus Ecclesiæ. Unde Trident. sess. 14. cap. 3. habet: *Si infirmi post susceptam hanc unctionem convalescerint, iterum hujus Sacramen-*

si subsidio juvari poterant, cum in aliud simile vita discrimen inciderint. Si tamen infirmitas sit longa, & infirmus post unctionem liberatus sit a periculo mortis, & deinde antequam plene convalescat, iterum incidat in novum periculum, poterit juxta communiorem sententiam iterum ungi, elapso aliquo tempore, arbitrio prudentis viri, verbi gratia, ex Trull. post mensē a prima unctione. Ratio est, quia Sacramentum hoc cum non imprimat characterem, est de se iterabile; & causa, cur conferatur, non est morbus, sed periculum mortis: ergo si durante eadem infirmitate, iterum veniat periculum mortis, poterit Sacramentum iterari: Et Gobat advertit, Parochum in hoc non debere esse adeo scrupulosum.

ARTICULUS IV.

De Effectibus Extremæ Unctionis.

- I. Tridentinum hujus Sacramenti effectus recenset.
- II. Quinam sit effectus primarius? Num gratia corroborativa? Num peccatorum remissio? Num utrumque?
- III. Quid veniat nomine reliquiarum peccatorum, qua hoc Sacramento absteruntur?
- IV. Quandonam Extrema Unctio causat effectus suos?

I. **Q**uæritur primo; Quinam sint effectus hujus Sacramenti? Respondeo, illos significari a Trident. sess. 14. cap. 2. his verbis: *Hujus Sacramenti res est gratia Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si qua sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & agroti animam allevat, & confirmat, magnam in eo divina misericordie fiduciam excitando, qua infirmus sublevarus, & morbi in-*

commoda, & labores levius fert, & tentationibus demonis calcaneo insidians facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti anime expedierit, consequetur. Quare effectus hujus Sacramenti est gratia habitualis habens secum adjuncta auxilia ad expellendam proclivitatem ad malum, ad delenda venialia, & reatum pœnæ, ex Suar. & ad conferendam corporis sanitatem, quatenus expedierit. Triplex igitur potest assignari fructus hujus Sacramenti, ex Bonac., & Suar. Primus est gratia non solum sanctificans, sed etiam delens venialia, & habens annexa auxilia adversus tentationes, & demonis incursum, qui sciens quoniam modicum tempus habet, magno tunc impetu irruit. Secundus est abstergere reliquias peccatorum, idest proclivitates ad malum, & reatum pœnæ. Tertius est sublevare infirmum a corporali ægitudine, & sanitatem conferre, si expediat ad salutem animæ.

II. Disputant hic Scholastici; Quinam sit primarius effectus hujus Sacramenti? Suar. contendit, esse gratiam corroborativam contra tentationes diaboli, & difficultates morbi. Alii contendunt, esse remissionem culpæ; cum in forma dicatur: *Indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti*: Alii probabilius docent, utrumque hoc indivisibiliter sumptum primario esse intentum; est quippe Sacramentum illud (quod ex Trident. nuncupatur Sacramentum exeuntium) præsidium firmissimum finis vitæ: præsidium autem firmissimum non habetur, nisi agrotus contra omnes hostes, a quibus potest timere, valide muniatur; Et quia timere potest non solum a tentationibus, sed etiam a peccatis nondum expiatis, quæ indignitate sua pugnant contra infirmum, reddendo illum indignum beneficii Dei, ideo utrumque debet

bet ab hoc Sacramento conferri, videlicet tum gratia expiatiua peccatorum, tum etiam auxilia contra tentationes, & contra molestias morbi, quæ ad varia peccata impatientiæ, desperationis, &c. solent incitare.

III. Rogabis, quid sint Reliquiæ peccatorum, quæ ex Trident. per hoc Sacramentum absterguntur?

Respondeo, quosdam velle, quod significant peccata venialia occulta non deleta per aliud Sacramentum. Alii putant, quod significant habitus vitiosos, seu proclivitates ad peccatum, quatenus per hoc Sacramentum dantur auxilia corroborativa, ne facile succumbamus in illo articulo mortis. Alii cum Suar. disp. 41. sect. 1. docent, quod significant reatum pœnæ temporalis, ita ut per hoc Sacramentum tollatur, non quidem totaliter, ut in baptismo, sed juxta devotionem, & dispositionem recipientis. Demum alii censent, per hoc Sacramentum abstergi reliquias peccatorum, quatenus ex vi peccatorum debitum erat homini, ut suæ fragilitati relictus, auxiliis gratiæ, præsertim extraordinariis, privaretur: per hoc autem Sacramentum tollitur hoc debitum, seu indignitas; unde multa auxilia extraordinaria infirmo conferuntur; Et quia sæpe ob peccatum datur infirmitas corporalis, ut patet ex verbis Christi Domini dictis leproso, quem curavit: *Vade, & noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*; & sæpe etiam ob peccatum datur mors, juxta illud Apost. *Stipendium peccati mors*; idcirco per hoc Sacramentum sæpe tollitur debitum hoc infirmitatis, & mortis, & confertur ægro salus corporis; si tamen saluti animæ expediat, ut notat Trident.; aliter non conferretur per hoc Sacramentum bonum expetibile. Equidem tamen censeo, omnia hæc bene intelligi per reliquias pecca-

torum, atque adeo omnes hujusmodi effectus ab hoc Sacramento causari.

IV. Queritur secundo; quando hoc Sacramentum causet suos effectus?

Respondeo, gratiam hujus Sacramenti conferri in eo instanti, in quo illud essentialiter completur: Quare, si vera est opinio Becan. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 179., quod hoc Sacramentum unica unctiōe perficiatur, certe post primam unctiōem causatur gratia, & reliquæ unctiōes pertinent tantum ad Sacramenti integritatem, ita ut moraliter tantum causent gratiam post primam unctiōnem, cum qua faciunt unum moraliter; sicut diximus, quod in aliis Sacramentis verba, quæ integrant formam essentialiter jam completam, moraliter tantum causant gratiam, quatenus faciunt unum moraliter cum iis verbis, quæ pertinent ad essentialitatem formæ: quod idem dicendum, tum in Baptismo, (in quo licet triplex immersio, aut ablutio fiat, una tamen pertinet ad essentialitatem Baptismi) tum pariter in Eucharistia, si verbi gratia, Sacerdos successive sumat unam partem hostiæ post aliam, post sumptionem primæ partis causatur gratia Sacramentalis, & sumptio secundæ partis causat moraliter tantum cum eadem prima sumptione eandem gratiam; Quicquid sit, an per sumptionem calicis sumatur alia gratia Sacramentalis, cum sit sumptio diversæ speciei; non secus ac per Sacerdotium confertur alia gratia Sacramentalis Ordinis, quam per Diaconatum. Si tamen vera sit sententia communis, quod quinque unctiōes pertinent essentialiter ad hoc Sacramentum perficiendum, tunc gratia hujus Sacramenti confertur post quintam unctiōnem, & reliquæ duæ pertinent modo dicto ad Sacramenti integritatem.

QUÆ

Q U Æ S T I O VII.

De Sacramento Ordinis.

IN hac postrema quaestione investigandum, Primo, quid, & quotuplex sit Ordo? Secundo, quanam sit singulorum Ordinum materia, & forma? Tertio, quisnam Minister? Quarto, quodnam subjectum? Quinto, quos effectus pariant?

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Ordo.

I. Multifariam definitur Ordinis Sacramentum.

II. Cur septem enumerentur Ordines?

III. Prima tonsura non est Ordo, sed dispositio ad Ordines?

IV. Est quidem Ordo Episcopatus; sed non est Ordo distinctus a Sacerdotio; huius tamen est extensio, & complementum.

V. Potestas, quae per Episcopatum superadditur, est inferior potestate Sacerdotali praesupposita.

VI. De fide est, Sacerdotium esse Sacramentum; ac certum omnino, quod pariter Diaconatus. Communiter etiam idem docent de Subdiaconatu; & probabiliter etiam alii Ordines minores; Cur tres Ordines majores dicantur Sacri?

VII. Singulorum Ordinum officia recensentur.

VIII. Num peccet mortaliter universim, qui actum Ordinis solemniter exercet in statu peccati mortalis?

Certum est ex Trident. sess. 23. cap. 1., inter septem novae legis Sacramenta recenseri Ordinem, institutum a Christo Domino in nocte Cena, quando protulit illa verba Lucae 22. *Hoc facite in meam com-*

memorationem; Quamvis autem videatur institutus tunc temporis solus Ordo Sacerdotalis; communiter tamen docent, omnes Ordines tunc fuisse institutos; tum quia non apparet commodior locus institutionis; tum etiam quia Ordo Sacerdotalis omnes alios eminenter continet, cum ad illum reliqui ordinentur, illique inserviant. Idcirco enim hoc Sacramentum vocatur Ordo, quia ordinatus constituitur in certo quodam ordine dignitatis Ecclesiasticae ad conficiendum Christi corpus.

Quæritur nunc primo; Quid sit Sacramentum Ordinis?

Respondeo, ex D. Th. quaest. 34. add. art. 2. esse Sacramentum, quo spiritualis potestas traditur circa Eucharistiam in Sacrificio Missae; vel brevius ex Bonac. est Sacramentum, quo specialis potestas traditur in ordine ad Eucharistiam; ex aliis apud Dian. est Sacramentum, quo homines aliqui in Dei ministerium, spirituali potestate tradita, deputantur. Dicitur Sacramentum, in quo convenit cum reliquis Sacramentis, tum in hoc, quod sit signum sensibile, quod est, verbi gratia, impositio manuum, seu instrumentorum traditio, & sensibilis verborum prolatio; tum in eo, quod causat gratiam; nam 1. Timoth. 4. dicitur, *Noli negligere gratiam;* & 2. Timoth. 1. *Admoneo, ut resuscites gratiam.* Dicitur secundo, *Quo specialis potest.*

potestas traditur, quod significatur per formam illam, qua solet conferri, *Accipe potestatem*: Dicitur tertio, *In ordine ad Eucharistiam*, quod intelligitur, vel immediate, ut in Ordine Sacerdotali, vel mediate, ut in reliquis: nam illorum ministeria ad Eucharistiam, tamquam ad finem ordinantur, ut ex dicendis constabit: Notat D. Th. idcirco dici, quod per hoc Sacramentum conferatur potestas, non potentia, quia potentia indifferens est ad activam, vel passivam; nam verbi gratia, in baptismo traditur potentia passiva ad valide recipienda alia Sacramenta: potestas vero solam potentiam activam significat; in solo autem Sacramento Ordinis datur potentia activa conficiendi Eucharistiam; Hæc tamen potestas, quamvis non sit ipse character, nihilominus est stabilis, & immobilis, sicut ipse character.

H. Queritur secundo; quotuplex sit Ordo?

Respondeo, septem in Trident. sess. 23. cap. 2. Ordines enumerari, videlicet, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum. Hic autem numerus colligitur, ut notat Trull., ex actibus, quos singuli exercent circa Eucharistiam, vel conferendo, ut Sacerdotes; vel immediate ministrando, ut Diaconi; vel ordinando materiam in vasis, ut Subdiaconi; vel præparando, & præsentando Subdiaconis, ut Acolythi; Alii vero versantur circa recipientes Eucharistiam, vel arcendo indignos, ac eos, quibus non licet interesse Sacris, ut Ostiarii; vel inserviando, ut Lectores; vel liberando oppressos a Dæmone, ut Exorcistæ.

III. Dubium est, an prima tonsura, & Episcopatus sint Ordines ab iis distincti?

Respondeo cum communi negati-

ve. Admittimus enim, Episcopatum esse Ordinem, non tamen esse Ordinem distinctum a Sacerdotio, sed complementum illius, ut mox explicabimus; Et sane, quod præter illos septem Ordines nullum aliud detur Ordinis Sacramentum, constat, quia Trident. ubi enumerat septem Ordines, loquitur dogmatice contra Hæreticos, qui aliquos admittebant, aliquos negabant; contra quos intendebat docere, quinam, & quot sint veri Ordines; Quod si Ordines essent plures, quam septem, dedisset doctrinam diminutam, quod non est asserendum; sicut male fecisset Trident. enumerando septem Sacramenta contra Hæreticos, si Sacramenta essent plura, quam septem.

Prima itaque tonsura non est Ordo, ut communiter Doctores docent contra quosdam Canonistas apud Dian. part. 6. tract. 8. resol. 29. Ratio est, quia quamvis tonsuratus habeat ex deputatione, & privilegio Ecclesiæ gradum quemdam inter Clericos, & sit capax beneficiorum, & jurisdictionis Ecclesiasticæ, non per hoc habet ullam specialem potestatem circa Eucharistiam, seu circa ministerium altaris; Quare prima tonsura est solum præparatio quædam, seu dispositio ad Ordines, non secus ac Novitatus ad professionem, & Catechismus ad Baptismum. Neque dicas cum Adversariis, dari tonsuratis potestatem canendi Psalmos in Choro: Hoc enim est falsum, tum quia nulla sunt verba, quæ hanc potestatem dandam tonsurato significant; tum etiam, quia talis potestas traditur Lectori, qui cum libro Prophetarum potestatem accipit canendi prophetias.

IV. Deinde, Episcopatum esse Ordinem, & Sacramentum, concedimus cum communi contra Capreol., Sot., & alios ex antiquis Theologis, qui

pu-

putabant, non esse Ordinem ut Sacramentum, sed esse Ordinem ut quoddam officium, & dignitatem. Vasqu. tamen docet, non posse post Trident. sine gravi nota negari, quod sit Ordo, & Sacramentum. Ratio est, quia verbis, & signis exterioribus perficitur, & gratiam confert ex opere operato; (cum in eo conferendo dicatur, *Accipe Spiritum Sanctum*) ac per ipsum datur Episcopo potestas ordinandi, & confirmandi, seu conferendi Ordines Sacros; Quare cum per Episcopatum conferatur specialis aliqua potestas spiritualis, non est cur negetur, quod sit Sacramentum Ordinis habens suum specialem characterem; ubi enim nova potestas spiritualis, ibi novus character: Unde non placet Vasq., alique, qui quamvis velint Episcopatum esse Ordinem, & Sacramentum, nolunt tamen, per illum imprimi novum characterem, sed solum extendi moraliter characterem Sacerdotii; Aliter possemus dicere, quod in anima non fit nisi unus character, qui moraliter extendatur in collatione novae potestatis spiritualis.

Hinc tamen non sequitur, quod sicut Episcopatus fert secum novam potestatem, & novum characterem, ita sit novus, & distinctus Ordo a Sacerdotio; Etenim cum non possit valide conferri Episcopatus sine Sacerdotio; (sicut potest, verbi gratia, Presbyteratus sine Diaconatu, & Diaconatus sine Subdiaconatu) inde fit quod non debeat dici Ordo distinctus a Sacerdotio, sed potius extensio Ordinis Sacerdotalis: Sicut enim potestas absolvendi a peccatis non est novus Ordo, licet addat characteri Sacerdotali, & potestati consecrandi novam potestatem, & novum characterem, sed est extensio Sacerdotalis Ordinis; quia potestas absolvendi essentialiter praesupponit pote-

statem consecrandi; Et sicut Virginitas non censetur nova virtus distincta a castitate, quam essentialiter includit, licet addat aliquid; ita in casu nostro Episcopatus non est novus Ordo, quamvis novam potestatem addat Sacerdotio, quod essentialiter includit. Ratio autem, quare Episcopatus includat essentialiter Sacerdotium, est, quia munus primatum Episcopi est ordinare Sacerdotes, hoc est, ut loquitur Epiphanius, generare Patres, (& ideo olim quilibet Episcopus vocabatur Papa, nam Pappas idem sonat, ac Avus) Virtus autem generativa debet esse conjuncta cum natura communicanda genito: ergo conveniens non foret, quod inesset Episcopo vis generativa Sacerdotii, si non praehaberet in se Sacerdotium.

V. Notandum tamen, quod potestas, quam habet Episcopus supra potestatem propriam Sacerdotis, sit inferior potestate Sacerdotis; magis enim est posse consecrare Corpus Christi Domini, quam posse ordinare Sacerdotes, & confirmare. Dicitur tamen Episcopus superior Sacerdote, non solum dignitate, & jurisdictione, sed etiam ordine, quia Episcopus utramque potestatem, & characterem includit.

VI. Quiritur tertio; An quilibet ex septem Ordinibus sit Sacramentum?

Respondeo, collationem singulorum Ordinum probabiliter esse Sacramentum. Ita D. Th., Bellar., Bonac., Ledesm., Trull. Et sane, quod Sacerdotii collatio sit Sacramentum, est de fide, videturque a Trident. definitum sess. 17. Certum etiam videtur de Diaconatu, adeo ut plures Auctores apud Dicant putent, id etiam esse de fide. Ratio est, quia in ejus ordinatione dicitur, *Accipe Spiritum Sanctum*: atque adeo gratia conferatur, ut diximus de Episcopatu. Circa

Sub.

Subdiaconatum, licet non sit adeo certum, est tamen communissima sententia inter Theologos, paucis exceptis, quod sit Sacramentum, ut notat Bellar. cap. 7; si enim etiam Ordines minores, ut mox dicemus, probabiliter sunt Sacramentum, & imprimunt characterem, utpote irreiterabiles, a fortiori erit Sacramentum Subdiaconatus, qui est Ordo Sacer, vel quia Subdiaconus proxime inseruit Sacerdoti cum Diacono in Sacrificio Missæ, ut multi autumant; vel quia habet annexum votum castitatis, quo Subdiaconus Deo sacratur, ut docent communius apud Dicast. Major autem est controversia de Ordinibus minoribus. Nav., Sot., Vasq. disp. 237. cap. 2. docent, non esse Sacramenta, sed Sacramentalia; Communius tamen docent, quod etiam sint Sacramenta, ex Bellar. cap. 8., cum Concilia eodem modo loquantur de Ordinibus majoribus, ac de minoribus, assignata singulis sua materia, & forma: habere enim materiam, & formam est proprium Sacramenti; Sicut autem unum dicitur esse Sacramentum Eucharistiæ, licet tam species panis, quam vini suam gratiam conferant, quia ordinantur ad representandum idem convivium; ita unum dicitur esse Sacramentum Ordinis, quia omnes ordinantur ad potestatem illam supremam consecrandi corpus, & sanguinem Christi, hoc est ad Sacerdotium, vel tamquam dispositiones, ut alii sex, vel tamquam appendix, & extensio illius, ut Episcopatus, qui ordinatur ad generando sacerdotes. At tres Ordines majores, Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus dicuntur Sacri; quia, ut diximus, habent annexum votum castitatis, quo ita Deo consecrantur homines, ut non possint amplius fieri faculares, nec matrimonium contrahere. Olim in primitiva Ecclesia

subdiaconatus non erat Ordo Sacer, non quia non erat tunc etiam Sacramentum, sed quia per illum non contrahebatur obligatio non contrahendi matrimonium, & servandi castitatem, sicut contrahitur nunc; & ideo nunc dicitur esse Ordo Sacer, quia per votum castitatis homo censetur corpore, & animo Deo sacratus.

Ex dictis sequitur, quod suscipere in mortali Ordines, etiam minores, sit mortale, juxta communio-rem sententiam, quod isti sint Sacramentum; quia ponitur obex gratiæ, quæ per illud confertur. At exercere actus Ordinum etiam majorum, non videtur mortale, ex Bonac., Henr., Trull., dempto tamen Sacerdotio.

VII. Quæritur quarto; Quodnam sit exercitium singulorum Ordinum?

Respondeo, Sacerdotii officium esse celebrare, populum doctrina, & exemplo pascere, aquam, & res similes benedicere, baptizare, absolvere a peccatis, & cetera Sacramenta ministrare, dempto Ordine, & Confirmatione, quæ ab Episcopo tantum conferri possunt; Cujus etiam est consecrare Ecclesias, ungerere Altaria, consecrare Chrisma, benedicere populum, distribuere officia Ecclesiastica, benedicere Virgines, prædicare Verbum Dei, ut fuse docet Barbosa cum de potestate Episcopi, & de potestate Parochi.

Diaconi officium est assistere Sacerdoti, & illi ministrare in Sacrificio missæ, præsertim in oblatione; legere, aut canere Euangelium in Ecclesia publice; baptizare in absentia Episcopi, & Sacerdotis; necnon Eucharistiam ministrare, ut supra diximus, & de licentia Episcopi prædicare.

Subdiaconi munus est assistere Diaconi, & illis ministrare in Sacrificio, deferendo calicem, &c., legere Epistolam in Sacrificio Missæ.

Acolythi, hoc est subsequentis, & pedisequi, munus est, luminaria præparare ad Sacrificium, dare urceolos cum vino, & aqua, portare cereum accensum ad altare. Exorcista imponit manus super energumenos ad demones arcendos, legit super eos exorcismos Ecclesiæ, & sic eos præparat, ut Sacro possint interesse. Lector legit in Ecclesia lectiones prophetarum, & Catechumenos docet rudimenta fidei. Ostiarius claudit, & aperit templum, illud custodit, admittitque, qui Sacro digne possint interesse, excludendo indignos; quæ omnia ex Conciliis constant apud Trull. dub. 1.

VIII. Utrum autem exercere Ordines solemniter in mortali, sit mortale universim? Affirmat Faber apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 196. putans, Acolythum peccare mortaliter, si solemniter cereum ferat in statu peccati mortalis. Sed communiter id negatur de exercitio Ordinum minorum, quia istorum exercitia remota se habent ad ipsum Sacrum mysterium, seu ad Sacrificium. Magis dubitatur de exercitio Subdiaconatus, & Diaconatus, quæ proximius se habent ad Mysterium Sacrum. Plures cum Cajet., Tolet., Fill., Sylv., & aliis apud eundem Dian. resol. 195. putant peccare mortaliter Diaconum, & Subdiaconum, si in statu peccati mortalis exercent actum sui Ordinis canendo solemniter Euangelium, aut Epistolam. Vasq. tamen, Suar., Con. & alii plures id negant, quia iis actionibus non dispensantur merita Christi Domini, ut in administratione Sacramentorum.

Ex dictis constat, Papatum non importare novum Ordinem, nec novum characterem, sed solum jurisdictionem majorem; quia Papa idem est, ac Supremus Episcopus; unde quando eligitur, non consecratur de novo Episcopus. Cardinales autem

Pars V.

non habent Ordinem jure divino institutum distinctum a Sacerdotio, & Episcopatu, sed jure pontificio introductum. Dicuntur autem Cardinales, quasi Principales, sive sint Episcopi, sive Presbyteri, sive Diaconi, ad quos etiam post Nicolaum Papam II. spectat electio Pontificis.

ARTICULUS II.

De materia, & forma singulorum Ordinum.

- I. *Materia, & forma Ordinum non sunt universim in specie atoma a Christo Domino determinata.*
- II. *Recensetur singulorum Ordinum materia, & forma.*
- III. *Materia Subdiaconatus probabiliter conflatur ex duplici materia partiali; sicut materia Diaconatus.*
- IV. *Num valide in Ecclesia Latina conferatur Diaconatus per solam manuum Episcopi impositionem, sicut in Ecclesia Græca?*
- V. *Num Neo-Sacerdoti per impositionem manuum Episcopi in fine Missæ conferatur nova potestas? Et num sine illa possit in casu necessitatis absolutionem Sacramentalem impendere sub conditione?*
- VI. *Num satis sit, quod moraliter tangantur instrumenta, quæ ab Episcopo traduntur Ordinando?*
- VII. *Num valide ordinentur Subdiaconi, si in calice sit vinum; aut Sacerdos, si desit vinum in calice?*

I. **S**upponendum, materiam in hoc Sacramento aliam esse remotam, aliam proximam. Remota est instrumentum illud, quod traditur ordinandis, in signum potestatis spiritualis, quam recipiunt, ut eo instrumento suum Ordinem exequantur; sicut etiam est manus Episcopi;

Q sequi.

liquidem eius impositio spectat ad materiam proximam; at materia proxima universim est traditio instrumenti facta ab Ordinante, ejusdemque acceptatio facta ab Ordinando; Sicut etiam in aliquibus Ordinibus Episcopi manuum impositio supra caput Ordinandi: Et supra hanc materiam proximam cadunt verba prolata ab Ordinante, quæ sunt forma Sacramenti, cum qua materia proxima perficit Sacramentum.

Recolendum etiam, quod diximus cum de Sacramentis in genere, Christum aliquas materias Sacramentorum ordinasse in specie, alias vero tantum in genere, præcipiendo solum, ut pro materia adhiberetur aliquod signum sensibile aptum ad significandum effectum Sacramenti, & relinquendo Ecclesiae, ut illud in specie determinaret: Quod Christus Dominus fecit speciatim in materia liquorum Ordinum; unde orta est aliqua varietas in Ecclesia; nam neque eadem est apud Græcos, & apud Latinos, neque fuit semper, & ubique eadem apud eosdem Latinos, quod contingere non potuisset, si determinata fuisset in specie a Christo Domino.

II. Quæritur nunc primo; Quænam sit materia, & forma singulorum Ordinum?

Respondeo, & dico primo: Materia Ostiarii est traditio clavium Ecclesiae, & tintinnabuli. Nam, ut notant Bonac., & Fill., debent custodire Ecclesiam, & campanis populum convocare: Forma vero sunt illa verba: *Sic agite, quasi rationem reddaturi*, &c., alia vero cæremonia, videlicet, aperire, & claudere ostium, pulsare campanam, &c. sunt accidentales, & adhibentur ad magis declarandum munus commissum. Materia Lectoris est traditio libri lectionum Sacrae Scripturae: Forma vero: *Accipite, & estote Verbi Dei relatores*.

Exorcistæ materia est traditio libri Exorcismorum Ecclesiae, vel, ut dicitur in Pontificali, traditio Missalis, aut ipsius Pontificalis: Forma vero: *Accipite, & commendate memoria, &c.* Acolythis materia est traditio candelabri cum cereo extincto: Forma vero: *Accipite cerosferarium cum ceres, &c.* Præterea traduntur etiam ab Episcopo Acolythis urceoli vacui, vel saltem unus urceolus sub prolatione illorum verborum: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum*; proinde communius apud Dicastil. putant, traditionem etiam urceoli pertinere ad materiam essentialem Acolythatus.

III. Dico secundo; Materia Subdiaconi, saltem partialis, est traditio Calicis vacui, & patenæ superpositæ sub illis verbis, quæ Episcopus, postquam singulis ordinandis tradidit calicem cum patena, dicit: *Videte cuiusmodi vobis traditur*, &c., ut expresse docet Florentinum in decreto; & Concilium Carthaginense 4. can. 5.; unde de hoc non licet dubitare: (quavis, ut notat Con., Viguerius putaverit, materiam hujus Ordinis esse traditionem libri Epistolarum sub illis verbis: *Accipe potestatem legendi, &c.*) Sed probabiliter, me iudice, Filliacum Comitulo putat, esse materiam partialem hujusmodi traditionem, ut notat Dian. part. 3. tract. 4. resol. 189.; Sicuti enim in Diaconatu, ut mox dicemus, traditio libri Evangeliorum probabilius est materia partialis, quæ simul cum impositione manuum Episcopi constat materiam totalem; ita videtur traditio libri Epistolarum esse pariter materia partialis in Subdiaconatu, quæ cum traditione Calicis vacui, & patenæ constat materiam totalem.

Utrum autem Calix, qui est materia remota Subdiaconatus, debeat necessario esse consecratus, probabiliter negat Henr. apud Dian. loc. citat., sed

sed in praxi peccaret, qui uteretur materia ista probabili, omittendo certam.

Dico tertio; quamvis apud Græcos, ut notat Lug. de Sacramentis disp. 4. sect. 5. Diaconi materia adæquata sit sola manuum impositio facta ab Episcopo cum illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. etenim non aliter ordinantur Diaconi apud Græcos; apud Latinos tamen, præter hujusmodi manuum impositionem, requiritur etiam, tamquam materia partialis, traditio libri Euangeliorum cum illis verbis: *Accipe potestatem legendi Evangelium*, &c. Ita communiter docent contra Durand. Ratio est quia Florent. clare asserit Diaconum ordinari per libri Euangeliorum traditionem. Rejicienda pariter videtur opinio Valentia, & aliorum apud Dian. part. 3. tract. 41. resol. 188., quod traditio libri Euangeliorum sit materia adæquata. Nam Concil. Carthaginense 4. can. 4. dicit, Episcopum, dum ordinat Diaconum, manus illi imponere, dicendo, *Accipe Spiritum Sanctum*: quæ verba ex Trid. non dicuntur frustra, & sine collatione gratiæ; unde etiam impositio manuum dicenda est materia partialis Ordinis Diaconatus, quæ cum altera materia partiali, videlicet cum traditione libri Euangeliorum, constat materiam totalem.

Notandum hic primo, gratiam non conferri, quando habetur manuum impositio, utpote quæ est materia partialis; sed quando post manuum impositionem habetur traditio libri Euangeliorum, quia tunc habetur materia, & forma adæquata.

Notandum secundo, Christum non instituisse, quod per traditionem libri Euangeliorum conferretur Diaconatus: Nam primum Evangelium scriptum fuit a D. Matthæo anno octavo post Christi Ascensionem, ut advertit Bellarm. apud Con., quare

Christus Dominus præcepit conferri Diaconatum per manuum impositionem, relinquendo arbitrio Ecclesiæ, ut pro materia partiali assignaret etiam traditionem rei, quæ officium Diaconi designaret; quæ, ut multi putant, ante Euangeliorum conscriptionem, erat forte pagella, in qua aliquid Bibliorum contineretur. Deinde vero successu temporis Ecclesia determinavit traditionem libri Euangeliorum pro Latinis, quod non determinavit pro Græcis: & ideo valide in Ecclesia Græca confertur Diaconatus sine traditione libri Euangeliorum.

IV. Utrum autem valide Latini conferrent Diaconatum sine traditione libri Euangeliorum, sicuti valide consecrant Latini in fermentato, sed illicite? Respondeo cum Dicast. disp. 1. de Sacram. dub. 20. negative. Ratio est, quia quamvis materia, & forma Sacramentorum, quæ alicubi est valida, ubique sit valida, & ideo valide Latinus consecraret in fermentato; nihilominus materia Diaconatus apud Græcos non est manuum impositio, nude sumpta, sed est manuum impositio sub tali forma verborum, quæ abunde explicat in particulari Ordinem Diaconatus; dicendo: *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt supplet, creat, seu promovet N. venerabilem subdiaconum in diaconum: Oremus igitur pro eo &c.* quod si hanc materiam, & formam adhiberent Latini, valide, sed illicite conferrent Diaconatum. At in Ecclesia Latina de facto adhibetur manuum impositio sub verbis illis generalibus, quæ non exprimunt in particulari Ordinem Diaconatus, dicendo, *Accipe Spiritum Sanctum ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini: & ideo ad valide conferendum Diaconatum requiritur etiam traditio libri Euangeliorum sub illa forma, Accipe potestatem legendi Evangelium*

velium in Ecclesia Dei, &c. : Quod fufius explicavi in tractatu de Sacram. Scholastico disp. 1. quaest. 1. num. 19.

V. Dico quarto ; Materia Sacerdotii, licet apud Græcos, ut notat Lug. loc. citat., fit etiam sola manuum impositio ; apud Latinos tamen ex Florent. laud. partialiter habetur per traditionem patenæ cum hostia, & calicis cum vino sub illis verbis : *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, &c.* ; partialiter vero etiam per impositionem manuum, quæ fit in fine Missæ sub illis verbis : *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, &c.* . Notandum tamen, quod quia Sacerdoti duplex confertur potestas, altera consecrandi, altera remittendi peccata, prior potestas, quæ est veluti essentia Sacerdotii, confertur adæquate per traditionem calicis, & patenæ cum pane, & vino ; unde fit, quod possit statim post illam valide consecrare ; & de facto simul cum Episcopo consecrat in ea Missa, antequam alteram potestatem accipiat.

Hæc autem secunda potestas, quæ est veluti passio consequens ad primam, quam supponit, confertur deinde in fine Missæ per impositionem manuum, quando explicatur calicula a tergo complicata ; ut denotetur, tunc esse completam, & integram ordinationem ; Quod si manuum impositio omissa fuisset, ex Con., & Bellar. lib. 9. de Ordine cap. 2., illa solum supplenda esset ; quia prior independentem a secunda collata fuit. Putat tamen Trull. disp. 2. ex Sot., & Ledesm. contra Suar. de censuris disp. 41. sect. 4., Bonac., Bellar., quod utraque potestas simul conferatur per traditionem calicis, ac deinde in fine Missæ non detur potestas remittendi peccata, sed solum declaretur id, quod antea erat datum ; Ratio hujus Sententia est, quia Florentinum omisit mentionem facere hujus formæ, quam profert E-

piscopus imponendo manus, dicendo, *Accipe potestatem, quorum remiseris peccata, &c.* ; quod si hæc forma esset essentialis, ita ut per illam acciperetur potestas absolvendi, non omissa fuisset a Florentino ; & hanc opinionem probabilem putat Dian. part. 3. tract. 4. resol. 187. . Certum tamen est, quod apud Græcos utraque potestas simul tradatur per manuum impositionem ; Sicut autem potestas consecrandi apud Latinos juxta communio-riorem sententiam confertur adæquate antecedenter, & independentem a potestate remittendi peccata, quæ in fine Missæ, ut diximus, confertur Sacerdoti ; ita pariter quando Episcopus consecratur per impositionem manuum factam a tribus Episcopis, tunc, ut notat Con., & Trull. disp. 2., ea nova potestas, novus character, & nova gratia Sacramentalis confertur, quin conferatur Ordo distinctus a Sacerdotio, quod supponitur.

Notandum tamen primo ex Con., aliquos contra communio-riorem velle ex cap. *Presbyter de Sacramentis non iterandis*, quod impositio manuum sit materia essentialis relate ad collationem Ordinis Sacerdotalis : Quod si verum esset, non deberet intelligi de impositione manuum, quæ fit in fine Missæ, quando confertur potestas absolvendi ; cum de facto simul cum Episcopo novi Sacerdotes consecrent ; sed esset intelligendum de impositione manuum, quæ fit ad Tractum ante Evangelium, & ante traditionem calicis ; aliter non possent simul cum Episcopo consecrare, si expectanda esset potestas consecrandi ab impositione manuum faciendâ in fine Missæ.

Notandum secundo, aliquos cum Henr., Fill., & Bonac., probabiliter putare, quod valide conferatur Sacerdotium, si vas cum una tantum specie tradatur, verbi gratia, solum calix cum vino, aut sola patena cum hostia ;

stia; nam qui potest unam speciem consecrare, potest & aliam; siquidem Christi Corpus cum sanguine conjunctum est, & e converso Sanguis cum Corpore. Communiter tamen docent cum Trull., in tali casu iterandam esse ordinationem sub conditione, ut videre est apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 186.

Inquiri solet, Utrum Neo-Sacerdotes, accepta solum potestate consecrandi, & nondum accepta potestate in fine Missæ remittendi peccata, possent in casu necessitatis absolutionem Sacramentalem impendere? Ad quod dicendum, quod possent illam impendere sub conditione, quatenus in casu necessitatis extremæ licitum est Sacramenta conferre sub conditione etiam cum materia, & forma dubia. In casu autem nostro, posita varietate sententiarum, quas retulimus, incerta esset validitas talis absolutionis; & ideo solum in necessitate posset ea impendi sub conditione.

Inquiritur etiam, Num valide conferatur Ordo habenti aliquod impedimentum occultum; puta irregularitatem, defectum Patrimonii, &c., si Episcopus protestetur, nolle se ordinare habentes ullum ex impedimentis? Certum omnino est, ut notat Lug., quod si talis intentio in Episcopo perseveraret, invalida esset Ordinis collatio post illam protestationem: Ea tamen videtur fieri solum ad terrorem, ac deinde Episcopus ad tollendos scrupulos, mutata intentione, vult ordinare quotquot accedunt, etiam si habeant impedimentum occultum. Quod si dubitetur, an intentionem mutaverit, procul dubio esset sub conditione reordinandus, qui sic Presbyteratum suscepisset, cum ex ejus invaliditate multa incommoda trahantur.

VI. Quæritur secundo; An res, quæ traditur ordinando, debeat im-

Pars V.

mediate, & physice tangi ad validitatem Sacramenti?

Respondeo, probabilius esse, quod docent Sà, Henr., Regin., Laym. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 185., non requiri contactum physicum ad valorem Sacramenti; tum quia bene possumus signo aliquo aliquid acceptare per solum contactum moralem; ut quando acceptamus equos, nummos, &c. tum quia aliter valide non possent ordinari pueri, qui non possunt signo externo exprimere consensum internum liberum acceptandi: Communiter tamen docent, debere physice tangi calicem, & patenam, saltem necessitate præcepti; quin satis sit tangere solum calicem; (quamvis id forte sufficeret ad valorem Sacramenti) Sed quia non possumus exponere Sacramentum periculo frustrationis, debet tam Calix, quam patena physice tangi: Quamvis autem contactus fieri soleat utraque manu, puto tamen, id non esse necessarium, sed satis est, quod fiat una. Nec est ullo pacto necessarium, quod simul cum patena tangatur hostia; sicut non requiritur contactus physicus vini; Nam in rebus humanis, quando unum in altero continetur, qui tradit id, quod continet, dicitur tradere id, quod continetur, sine contactu speciali: Sic qui tradit bursum plenam aureis, dicitur tradere aureos: Quia tamen in receptione Sacramentorum omni moda securitas quæri debet, ut notat Dian. part. 1. tract. 8. resol. 19., & part. 8. tract. 1. resol. 40., ideo adhibendus est contactus etiam hostiæ, quantum fieri potest. Et Croix num. 2153. putat, consultum esse, repetere sub conditione Ordinationem, si quis forte hostiam physice non tetigerit; sicut etiam, si omiſsa fuerit prior manuum impositio.

Ex dictis patet, quare in baptismo, & Extrema Unctione requiratur con-

O 3

ta-

tactus immediatus, & physicus materiae ad valorem Sacramenti; non vero in Sacramento Ordinis, nisi solum ad maiorem securitatem. Ratio est, quia non potest dari vera ablutio, & vera unctio sine contactu physico aquae, & olei: Contra vero traditio, & acceptatio alicujus rei potest esse vera sine contactu physico.

VII. Quæritur tertio; An valide Subdiaconus ordinetur, si casu detur illi calix cum vino; sicut etiam An valide Sacerdos ordinetur, si detur illi pro materia Sacramenti calix sine vino?

Respondeo, a multis apud Lug. in Respons. moralibus, & apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 186. existimari, quod, speculative loquendo, valida sit utriusque isthæc Ordinatio. Communissime tamen docent, quod licet Ordinatio Subdiaconi non esset repetenda sub conditione, quia satis est, quod juxta probabilem opinionem is sit Subdiaconus, quia nullum incommodum sequeretur, si forte non esset Subdiaconus: nihilominus ordinatio Sacerdotis esset sub conditione iteranda, quia ex defectu Sacerdotii sequerentur innumera absurda: non enim valide consecraret, nec valide absolveret: Sicut itaque Baptismi Sacramentum iterandum est sub conditione, si per accidens collatum sit juxta opinionem probabilem de ejus validitate: quia scilicet, si deesset Baptismus, invalide reliqua Sacramenta reciperentur: ita pariter Sacerdotalis Ordo repetendus sub conditione, si forte juxta opinionem probabilem dumtaxat, & non juxta tutam, sit collatus.

ARTICULUS III.

De Ministro Ordinum.

I. *A quonam possint valide, & licite Ordines conferri?*

II. *Quisnam dicatur Episcopus proprius? Episcopus originis quisnam sit, juxta constitutionem Innoc. XII. Quisnam domicilii? & Quisnam Beneficii, juxta eandem constitutionem.*

III. *Potest unus Ordo a proprio Episcopo, verbi gratia, domicilii, suscipi, & alter ab altero, puta originis.*

IV. *Littera dimissoriales, & testimoniales a quo danda sint?*

V. *Collatio prima Tonsura, & Confirmationis non videtur ad actus Pontificales pertinere.*

VI. *A quonam possint Regulares ordinari?*

VII. *Quandonam possint Ordines conferri?*

VIII. *De Temporum interstitiis requisitis.*

IX. *Quisnam possit in hisce interstitiis dispensare?*

X. *Num possint Regulares omnes ordinari extra tempora tribus diebus festivis?*

XI. *Nomine diei festi, quo possunt Ordines conferri, num veniat solum festum in foro, an etiam festum in choro?*

XII. *Transcribitur Constitutio Innoc. XII. circa ordinationes alienorum Subditorum.*

I. **C**ertum est, quemlibet Episcopum posse valide, sed non nisi proprium Episcopum posse licite Ordines conferre, ex Trident. sess. 23. potest etiam Episcopus alienus, si habeatur vel dimissoria, vel licentia proprii; Aliter incurrit ille penam suspensionis per annum ab Ordinum administratione, quam etiam suspensionem ab Ordine incurrit ordinatus, cum incapacitate ad Beneficium. Abbates habentes jus mitræ, & baculi conferre possunt primam tonsuram, & Ordines minores suis subditis regularibus; a-

liis

liis vero non nisi de consensu Ordinarii loci cum literis dimissorialibus: Simplices Sacerdotes etiam possunt de licentia Papæ primam tonsuram, & Ordines minores conferre, ex Reginal. Henr., & aliis apud Bonac.: At Episcopus non potest hanc facultatem Sacerdoti concedere, ut comprobatur communis usus, & sensus Doctorum; Nec Pontifex non Sacerdoti, quia collatio Ordinis est actus Ordinis, & supponit potestatem supra corpus Christi verum, ex cap. *Ex literis De excessibus Prælatorum*. Nec potest valide simplex Sacerdos Ordines majores conferre, quia jure divino est determinatus Episcopus, ut notat Bellarm. de Sacram. Ordinis cap. 7. Et ratio est, quia Ordo Sacer est quædam publica dignitas Ecclesiastica; ad Principes autem Ecclesiasticos publicos, ut sunt Episcopi, spectat, has publicas dignitates distribuere. Putat Fill., & Henr. apud Trull., quod possit Pontifex dare facultatem simplici Sacerdoti conferendi Subdiaconatum; quia olim hic Ordo a Correpiscopis conferebatur: Sed ostendit Bellarm., & Bonac., Correpiscopos non fuisse simplices Sacerdotes, sed Episcopos suffraganeos.

II. Quæritur nunc primo; Quisnam dicatur Episcopus proprius?

Respondeo cum communi, Episcopum proprium, quoad Ordines conferendos, esse illum, qui est Episcopus originis, vel domicilii, vel Beneficii.

Primo igitur Episcopus ratione originis is dicitur, in cujus diœcesi natus est vel ordinandus, vel ejus pater, dummodo non sit natus fortuito, dum illac mater transfret, sine animo permanendi, ut notat Diana part. 8. tract. 2. resol. 11. Additque Molphest. apud eundem Dian. part. 4. tract. 4. resol. 148. quod dicatur etiam E-

piscopus originis is, in cujus diœcesi natus est pater ordinandi, quamvis tempore nativitatis in aliam diœcesim domicilium transfulisset. Quando tamen filius est illegitimus, tunc non respicitur origo patris, sed matris, ex Leg. *Ejus qui ff. de eod.* apud Trull. Verum ex ultima Constitutione Innoc. XII., quæ incipit *Speculatores*, subditus originis dicitur, qui natus est in ea diœcesi, in qua vult promoveri ad Ordines, dummodo non sit ibi natus ex accidenti, videlicet occasione itineris, officii, mercatura, &c. sui patris; tunc enim naturalis origo Patris est attendenda. Quod si in loco, in quo ex accidenti natus est, usque adeo moram traxerit, ut potuerit aliquo impedimento canonico irretiri, ab Ordinario ejus loci obtinere debet literas testimoniales. Si vero pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, domicilium de jure contraxerit, tunc pro filii ordinatione non est attendenda origo, sed hujusmodi domicilium patris.

Secundo, dicitur Episcopus domicilii is, in cujus diœcesi habet domicilium ordinandus; nam ratione domicilii fit ejus subditus, & diœcesanus: Contrahitur autem domicilium per hoc, quod aliquis cum sua familia, & suppellectili in aliquem locum se transferat, animo ibi permanendi perpetuo; non vero si velit post aliquod tempus ad proprium domicilium regredi, ut accidit Scholaribus, & mercatoribus. In foro autem externo requiritur cum habitatione reali etiam declaratio, & expressio talis animi; Quod si non constet de tali animo, & declaratione, non debet ordinari, quia non præsumitur animus ibi permanendi, nisi forte aut per decem annos ibi permanserit, aut ibi domum emerit, & majorem bonorum suorum partem eo transtulerit, aut aliud signum dederit talis animi. Ex quibus

bus sequitur, Baronem, ejusque filios posse ordinari ab Episcopo, in cujus diœcesi habet feudum; Quod verum est, etiamsi Baro ibi non habitet, sed alibi retineat domicilium, ut notat Campanil. apud Trull.; Idemque dicas de Senatore, aut Officiali perpetuo alicujus Principis. Demum qui in duobus locis habet æqualiter domicilium, potest a quolibet Episcopo illorum locorum ordinari; fecus vero si alterutrum domicilium sit principalius. Ex Constitutione tamen Innoc. XII. subditus domicilii relate ad Ordines suscipiendos censetur, qui adeo stabiliter in aliquo loco fuerit, ut vel per decennium ibi manserit, vel transferendo majorem bonorum suorum partem per aliquod considerabile tempus commorando, animum ibi perpetuo permanendi demonstraverit; & in utroque casu hunc animum jurejurando affirmaverit. Quod si potuerit in loco originis impedimentum canonicum contrahere, præsentare debet testimoniales litteras illius Episcopi.

Tertio, dicitur Episcopus beneficiis, in cujus diœcesi ordinandus habet beneficium, etiamsi sit tenue, & exiguum, etiamsi residentiam non requirat. Verum ex Constitutione Innoc. XII. nemo potest ordinari ab Episcopo, qui non sit originis, vel domicilii sub prætextu beneficii statim post tonsuram conferendi. Et qui a proprio Episcopo accepit tonsuram, aut ordines minores, non potest ab alio Episcopo ad alios Ordines promoveri ratione, ac titulo beneficii absque testimonialibus literis proprii Episcopi, tam originis, quam domicilii. Nec subjicitur jurisdictioni Episcopi, ubi situm est beneficium, nisi hoc sufficiat ad congruam sustentationem independentem a patrimonio. Non venit tamen nomine beneficii pensio, nec præbenda, seu Ca-

pellania temporalis; venit vero nomine beneficii, tam commenda perpetua, quia hæc habet vim tituli canonici, quam Præstimonium; quod scilicet dari solet adolescentibus in subsidium studiorum, ex *Cap. fin. de Consec. præben. in 6.*, ut notant Trull., Med., Garz., Less. contra Navar., Rodrig., Quamvis Laym. cap. 5. putet, tunc præstimonium esse proprie beneficium, quando habet annexum aliquod obsequium spirituale, & datur in titulum perpetuum, unde obliget ad horas; non vero quando consistit in solo temporali obsequio, quod potest per laicum præstari. Cum autem Trident. sess. 23. cap. 9. Episcopis concedat, quod possint suos familiares, (seu illos, qui expensis Episcopi aluntur, unde dicuntur etiam commensales, nam si in regione remota interserviunt, non dicuntur familiares) ordinare, si per triennium illis interservierint, & Episcopi beneficium illis contulerint, declarat, ac statuit Innoc. XII. in sua constitutione, quod non possint hujusmodi familiares ordinari sine literis testimonialibus Prælati proprii originis, seu domicilii, & nisi eos per completum triennium in suo actuali servitio secum Episcopi retinuerint, ac suis sumptibus aluerint; Beneficium autem statim illis deinde conferant, hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis.

III. Dubium est, an qui unum Ordinem suscepit ab uno Episcopo, verbi gratia originis, possit deinde alios suscipere ab alio Episcopo, verbi gratia domicilii, aut beneficii. Barbosa, Quarant., & alii negant: Trull. tamen, & alii apud Dian. part. 8. tract. 2. resol. 8., & part. 6. tract. 7. resol. 35. affirmant, quia id nullibi prohibetur; & per hoc, quod ab uno suscepit unum Ordinem, non desinit esse subditus alterius.

IV. Qua-

IV. Quæritur secundo, quisnam possit literas dimissoriales, seu Reverendas concedere?

Respondeo, posse Episcopos relate ad illos, quos ipsi possunt immediate ordinare. Secundo, Vicarios generales, quando tamen Episcopus in remotis agit, ex cap. *Cum nullus de temp. Ordin.* Riccius autem, & Barbof. apud Trull. examinant, quid sit agere in remotis? Tertio, Regulares Generales, Provinciales, quia relate ad suos subditos habent potestatem quasi Episcopalem, ex Trident. sess. 23. cap. 8. Quarto, Capitulum Sede vacante; in duobus tamen duntaxat casibus, ex Trident. sess. 7. cap. 10., videlicet, vel si elapsus sit annus a die obitus Episcopi; vel si quis arctatus fuerit ad recipiendos Ordines, occasione alicujus beneficii recepti, aut recipiendi, puta, si habeat jus, seu sit vocatus, aut præsentatus ad aliquod beneficium vacans, seu Capellaniam requirentem certum ordinem, quo careat. Verbi gratia, si quis obrinuit Parochiam, ratione cujus tenetur intra annum ascendere ad Sacerdotium; vel si obtineat Capellaniam requirentem ex institutione servitium personale.

Utrum autem Superiores Ordinum Religiosorum teneantur dimissorias, seu Reverendas pro suis subditis ordinandis dare ad Episcopum diocesenum, si affuerit, ut declaravit S. Congregatio anno 1596. apud Croix num. 2236. An vero possint dimissorias dare ad quemcumque Episcopum, si sint exempti? Variant Doctores. Sanch., Pal., Laym. laudati ab eodem Croix putant, posse ad quemcumque Episcopum illas dare; quod tamen Averf. negat. Religiosi Societ. Jesu possunt juxta sua privilegia a quocumque Episcopo ordinari, & tribus diebus festivis, etiam continuis, Ordines Sacros suscipere. Et S. Congregatio

apud eundem Croix num. 194. declaravit in decreto edito ab eadem S. Congregatione anno 1693. de moderandis indultis Religiosorum circa ordinationes extra tempora, non comprehendendi Religiosos Societatis Jesu, nec ejus privilegii derogari. Hoc autem privilegium Greg. XIII. Societati concessit incommunicabiliter, seu ita ut non communicetur aliis, qui sua Privilegia cum ipsa Societate copiose participant, ut mox fusius dicemus.

Notandum hic primo, quod Vicarius Papæ potest statim post mortem Papæ literas dimissorias concedere; sicut etiam Collegium Cardinalium, sede vacante, quia Trident. loc. citat. solum limitat hanc potestatem (quam Jure antiquo habebant) Capitulis, sede vacante: Potestque Nuncius Apostolicus intra annum Sedis Episcopalis vacantis dimissorias concedere, ut probat praxis; dummodo ordinandus afferat literas testimoniales a Vicario Capitulari.

Notandum secundo ex Bonac. hic, quod quamvis in aliis casibus non possit Capitulum, sede vacante, intra annum concedere literas dimissorias; potest tamen dare literas testimoniales de vita, & moribus alicujus, seu testimonium facere idoneitatis illius, ut possit ordinari ab aliquo Episcopo, quando a Sede Apostolica ille obtinuit potestatem, ut ab aliquo Episcopo ordinetur; cum ex Trident. sess. 23. cap. 8. qui hanc facultatem a Sede Apostolica obtinuit, non possit ordinari sine literis testimonialibus proprii Ordinarii; aliter remaneret suspensus ab executione Ordinum susceptorum, & Ordinans remanet suspensus a collatione Ordinum per annum.

Notandum tertio, quod Episcopus (sicut etiam Vicarius Capitularis post annum sedis vacantis) concedentes

ex justa causa dimissorias, debeant ex Trident. sess. 14. cap. 3., & sess. 23. cap. 3., examinare prius, & approbare illas petentem: Quamvis ex Barbof., si Episcopus sit absens, possit hoc examen demandare illi Episcopo, ad quem mittitur ordinandus. Hic tamen non tenetur illum iterum examinare, si fuerit prius a suo Episcopo examinatus; quamvis possit, si velit, ut docent Bonac., Barbof., & alii, ex declarationibus S. Congregationis. At quod attinet ad Religiosos Societ. Jesu anno 1681. rogata fuit S. Congregatio, an Ordines susceperunt debeant se subicere examini, prout ceteri Regulares? Et respondit negative, nisi adsit consuetudo in contrarium; ut videre est apud Croix num. 2194.

Notandum quarto, quod Episcopus in aliena diocesi existens, si habeat a proprio Episcopo loci licentiam conferendi Ordines, potest solum ordinare subditos Episcopi talis loci; alios vero non potest sine licentia propriorum Episcoporum. Quare si Episcopus in literis dimissorias concedat alicui subdito facultatem, ut possit a quocumque alio Episcopo in sua diocesi residente ordinari, communius docent, quod non possit ordinari ab alio Episcopo, qui sit in aliena diocesi, etiam cum licentia Episcopi illius loci. Quamvis contraria sententia non sit improbabilis, ex Ledesm. apud Trull., & Dian. part. 3. tract. 4. resol. 191.; quia videtur concessa licentia generalis. Probabiliter etiam ex Majol. apud Bonac. potest Episcopus ordinare extraneum, quando praesumitur rati habitio proprii, ex facto Divi Epiphani. cap. ult. quaest. 2.; quamvis communius id negent; excusant enim Epiphanium, qui id fecit, ratione bona fidei, & inadvertentia. Demum probabiliter qui a Papa habuit licentiam, ut extra tempora ordinaretur a proprio Episcopo,

potest de licentia proprii Episcopi ab alio ordinari.

V. Notandum quinto, Henr. lib. 3. cap. 6. apud Bonac. putare, quod prima tonsura, & confirmatio possint ab Episcopo conferri suis subditis extra diocesim, quia haec non videntur pertinere ad actus pontificales, cum possint privatim in cubiculo conferri.

Ceterum praeter literas dimissoriales requiruntur literae testimoniales, juxta Trident. loc. citat., & juxta Constitutionem Innoc. XII., quam in calce hujus articuli referemus.

VI. Quiritur tertio; A quonam Episcopo debeant Regulares ordinari? Communiter docent apud Barbof. relatum a Croix num. 2193., quod ordinari debeant, per se loquendo, ab Episcopo loci, in quo est Monasterium; & si Monasterium sit in loco nullius diocesis, debeant ordinari a viciniori Episcopo, juxta decretum laudatum S. Congregationis 1595. Ex privilegio tamen Pauli III. anno 1549. concessum est, quod possint Religiosi Societ. Jesu a quocumque Antistite ad Ordines promoveri, si a Praeposito Generali comprobati fuerint.

VII. Quiritur quarto; Quo tempore Ordines conferri licite possint?

Respondeo, primam tonsuram quolibet die posse conferri, ut constat ex consuetudine generali Ecclesiae: Consecratio Episcopi quolibet die dominico potest fieri: Ordines majores, secluso privilegio, conferri possunt in sex Sabbatis, videlicet in quatuor Sabbatis quatuor temporum, in Sabbato ante Dominicam Passionis, & in Sabbato Sancto, ex Trident. sess. 23. cap. 8.: Ordines minores quolibet die festo privatim conferri possunt; publice tamen conferuntur ex consuetudine feria 6. ante Sabbatum, quo conferri possunt Ordines majores.

VIII. Quiritur quinto; Quana interstitia servari debeant?

Re-

Respondeo ex Trident. sess. 23. cap. 10., non posse suscipi Subdiaconatum, nisi elapso anno a suscepto ultimo minori Ordine; nec Diaconatum, nisi elapso anno post Subdiaconatum; nec Sacerdotium, nisi elapso anno a Diaconatu, ut interim ordinandus in Ordine suscepto se exerceat, intelligatque altius Ordinis pondus, & dignitatem; Hic tamen annus computatur, non ratione trecentorum sexaginta quinque dierum, sed verbi gratia, a quadragesima ad quadragesimam, a Pentecoste ad Pentecosten. Inter minores Ordines non datur præceptum de interstitiis, sed relinquuntur prudentiæ, & arbitrio Episcopi, ut eos vel simul, vel per temporum interstitia conferat, prout expedire iudicaverit, ex Trident. loc. citat. cap. 11. Quare possunt eodem die simul cum prima tonsura omnes quatuor Ordines minores suscipi. Imo Vasq. in 3. part. tract. 3. disp. 246. cap. 5. apud Dian. part. 2. tract. 16. resol. 28., & part. 5. tract. 10. resol. 36. contra Reginal. & Bonac. putat, posse eodem die conferri eidem cum quatuor Ordinibus minoribus Subdiaconatum, quia nullibi prohibetur; Quod tamen Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 8., & alii apud Busemb. admittunt solum ubi est talis consuetudo.

IX. Quæritur sexto; Quisnam possit in Interstitiis dispensare?

Respondeo, Episcopum ex Trident. loc. citat. dispensare posse cum suis subditis in temporum interstitiis, ex iusta tamen causa; major autem causa requiritur in dispensatione ad Sacerdotium, quam ad Diaconatum, & major ad Diaconatum, quam ad Subdiaconatum. Causa autem iusta ad dispensandum in interstitiis pro Subdiaconatu, & pro Diaconatu est ex Trident., vel necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, remittendo hoc prudentiæ Episcopi juxta circumstantias loci, &

temporis, & conditionem personæ; Communiter tamen putant, non debere esse hanc utilitatem extraordinariam, aut publicam. At ad dispensandum pro Sacerdotio requirit Tridentinum utilitatem simul, & necessitatem Ecclesiæ; quamvis aliqui apud Bonac. putent, etiam sufficere alterutrum, quando ita expedire iudicaverit Episcopus. Siquidem necessitas non sejungitur ab utilitate; & non levis utilitas est etiam quædam necessitas. In specie tamen Hurt. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 209., & part. 6. tract. 8. resol. 23. docet, posse absque interstitiis ordinari, qui habet Beneficium, aut Capellaniam cum onere celebrandi; Et ex declaratione Cardinalium, qui in literis, aut virtutibus multum profecit; quia hic ordinatus erit utilis Ecclesiæ.

Præterea potest etiam in Interstitiis dispensare Capitulum, sede vacante, ex Barbof., & Quarant. V. *Capitulum*; necnon Episcopi cum suis familiaribus non subditis, quando possunt illis Ordines conferre, ex Dian. part. 3. tract. 4. resol. 190.: Regulares tamen habentes quasi Episcopalem jurisdictionem, ut sunt Generales, & Provinciales, possunt quidem dare suis subditis dimissorias; at non possunt cum illis dispensare in interstitiis, sed debent Episcopi id facere ex causa sibi per attestationem Superiorum manifestata. Verum Barbof. apud Trull. refert, declaratum esse a S. Congregatione, debere Episcopum se conformare cum attestatione, & supplicatione Regularium; quia ad eos spectat providere circa utilitatem, & necessitatem suarum Ecclesiarum. Gregorius tamen XIII. concessit Societatis Jesu Religiosis, ut possint extra tempora tribus Dominicis, vel aliis diebus festivis, etiam continuis ordinari, non servatis interstitiis, prohibendo tamen, ut diximus, aliis hujusmodi privilegia commu-

municationem; Qua in re aliqui contra Vasqu. apud Dian. part. 3. tract. 2. resol. 31., & part. 5. tract. 13. resol. 57. docent, hoc privilegio gaudere Mendicantes omnes: tum quia alii Pontifices post Gregor. XIII. omnia privilegia Societatis communia fecerunt aliis Religionibus: tum quia simile privilegium concessum fuit a Clem. VIII., Patribus Congregationis S. Joannis Euangelistae in Portugallia. Unde Dian. part. 3. tract. 2. resol. 32. docet, posse probabiliter Superiores Regularium dispartire in interstitiis cum subditis suis, sicut possunt Superiores Societatis Jesu. Verum Tamb. tom. 2. disp. 2. quaest. 25. apud Sum. Dian. V. Ordines num. 30. adducit declarationem S. Congregationis, quod id non possint Superiores Regulares: necnon Peyrin. apud Dian. part. 3. tract. 12. resol. 112.: esto Rodrig. oppositum putet probabile.

X. Equidem, quod attinet ad Privilegium Societati concessum incommunicabiliter, cum passim Regulares contendunt, posse ex suis privilegiis extra tempora diebus tribus festivis ad Sacros Ordines promoveri, renuentibus etiam passim Episcopis in id consentire, expono utriusque Sententiae rationes, ac fundamenta, ex quibus argui possit, num sit solide probabilis sententia affirmativa: quam sustinent Portell., Villalob., Homob., Monet., Barbof. Hieron., & Ludovicus Rodrig., Cælestin., & alii apud Dian., qui docet, eam non solum esse probabilem, sed etiam tutam; ita ut non raro in praxim deducta sit: Quod pariter affirmat Averfa quaest. 3. sect. 9. asserens apud Croix num. 2304. pro suo Ordine Clericorum Regularium Minorum saepius id factitatum esse in pluribus diocesis, & in ipsa Romana Urbe.

Primum hujus Sententiae fundamentum est, quia apud Pal. punct. 13.

num. 11. Eugen. IV., & Alexand. VI. hoc privilegium Religiosis S. Hieronymi, ac S. Benedicti olim concessere; nec videtur illud revocatum fuisse a Trident., ut probat Rodrig. ex Villal. apud eundem Dian.

Alterum fundamentum, quod passim obtruditur, est, quia quamvis Gregor. XIII. hoc privilegium concesserit Societati Jesu incommunicabiliter, dicens in sua Bulla: *Præsentis gratia communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia copiose participant, participareque poterunt quomolibet in futurum, fieri omnino prohibemus*: nihilominus cum alii Pontifices successores Gregor. XIII. concesserint aliis Religionibus (præsertim Clericis Regularibus, ut habet Dian. ibid., alique apud Tamb. de Ordine cap. 9. num. 18.) absque ulla limitatione omnia privilegia Societatis Jesu concessa, videtur hoc etiam privilegium iisdem concessum; atque adeo omnibus Regularibus, qui in privilegiis aliarum Religionum communicant.

Tertium est, quia hoc privilegium suscipiendi Sacros Ordines extra tempora tribus diebus festivis concessum fuit a Clem. VIII. Patribus Congregationis S. Joannis Euangelistae in Portugallia; necnon, ut notat Cespèd. apud Pelliz. tract. 8. cap. 2. num. 173. Capellanis S. Joannis Hierosolymitani; atque adeo Regulares omnes, qui cum istorum privilegiis communicant, libere possunt hoc privilegio uti.

Verum Ledesin., Suar. de legib. lib. 8. cap. 17., Vasq., Mirand., Peyrin., & alii apud eundem Dian. part. 1. tract. 2. resol. 31., apud Pasqual. quaest. 356., & apud Pelliz. loc. citat. putant, fundamenta adducta non evincere solidam probabilitatem Sententiae affirmativæ.

Ad primum enim respondent, Privilegia concessa ab Eugen. IV., & Alexan.

lexan. VI. fuisse vivæ vocis oracula; cum autem omnia vivæ vocis oracula deinde revocata sint ab Urban. VIII., idcirco vi illorum privilegiorum non videntur Regulares posse extra tempora ordinari; Quicquid sit, an illa etiam a Trident. revocata fuerint, ut nonnulli putant apud Rodrig. laudatum; ut ea de causa nonnulli Antislites renuerent, Nostros ad Sacros Ordines, non servatis interstitiis, promovere, putantes hujusmodi privilegium olim Nobis a Paul. III. collatum fuisse, & postmodum a Trident. revocatum, ut in laud. Bulla testatur Gregor. XIII., qua de causa exprimit Pontifex nobis iterum privilegium confirmare, esto revocatum fuisset a Tridentino.

Ad secundum respondet Suar. loco laudato, Concessionem Privilegiorum Societati Jesu factam a Pontificibus Gregor. XIII. Successoribus aliis Religionibus, quamvis non exprimitur ullam limitationem, non posse includere hoc Privilegium incommunicabiliter concessum; quia ex Regula Juris 81.: *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter concessurus*: Sicuti autem facultas generalis absolvendi a casibus, & censuris non se extendit ad reservata, quippe quæ indigent speciali mentione; ita generalis concessio Privilegiorum Societ. non se extendit ad hoc, quod est veluti reservatum, utpote incommunicabile, indigetque speciali mentione, ut aliis communicetur. Et sane (ut ratiocinatur Suar.) si Pontifex aliquis Prædecessor Gregor. XIII. contulisset alicui Religioni communicationem Privilegiorum, etiam futurorum Societatis absque ulla limitatione, nemo diceret, quod pariter intelligeretur concessum hoc privilegium Gregor. XIII., quippe quod conceditur expresse ut incommunicabile; ergo pariter si Pontifex Gregor. XIII. Suc-

cessor conferat alicui Religioni communicationem omnium privilegiorum præteritorum Societatis, neque intelligitur concessum illud, quod concessum est ut incommunicabile; Eadem quippe est ratio in utroque casu: Præfertim quia ex verbis laudatis Gregor. XIII. non solum prohibetur communicatio in hoc privilegio aliis Regularibus, qui sua privilegia copiose participant cum Privilegiis Societatis; sed etiam iis, qui poterunt deinceps sua privilegia cum iisdem communicare; quæ verba videntur indicare, quod si in posterum privilegia Societatis, non exprimendo ullam limitationem, aliis Religionibus concedantur, non intelligatur hoc concessum, quippe Religiosis Societatis Jesu collatum ob finem illis specialem, videlicet, ut habet Pontifex, *quia sunt veluti viatores, omni tempore parati, expectantesque diem, & horam, qua vel ad extremas Orbis regiones, cum venit usus, emittantur*. Propterea S. Congregatio Concilii post editum decretum anno 1693. apud Croix num. 2295. de moderandis Indultis quoad susceptionem Ordinum extra tempora in Jure statuta, ubi exposuit causas, propter quas poterit in posterum tale indultum concedi, inter illas recenset pro Regularibus penuriam Sacerdotum in Monasterio, addendo, quod nunquam tale indultum concedatur pro festivis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio, arbitrio Episcopi definiendo.

Quamvis autem hoc decretum non videretur includere Religiosos Societatis Jesu, qui ex Bulla Gregor. XIII. laudata possunt tribus diebus festivis, etiam continuis, Sacros Ordines suscipere; nihilominus ad cautelam anno 1695., ut videre est apud eundem Croix num. 2194. P. Thyrsus Generalis Societat. Jesu supplici libello rogavit S. Congregationem, ut dignaretur

retur declarare, an tali decreto etiam Societas involveretur. Et factio verbo cum Sanctissimo declaravit, eo decreto Societatem non comprehendi; atque expresse mandavit, ut pro Religiosis Societatis ad Sacros Ordines promovendis servaretur Bulla laudata Gregor. XIII. Quare cum decretum istud loquatur de aliis Regularibus, quibus solum ob penuriam Sacerdotum in Monasterio concedi potest, ut tribus diebus festivis, non tamen continuis, ad Sacros Ordines promoveantur, & S. Congregatio ab eo decreto solum excipiat Religiosos Societatis ob privilegium illis incommunicabiliter concessum, non videtur posse asseri, quod isto privilegio etiam alii Regulares uti possint, ex eo motivo, quod sine limitatione Privilegia Societatis post Gregor. XIII. aliis Religionibus fuerint concessa.

Ad tertium respondet Pelliz. loc. citat., Privilegium illud Clem. VIII. fortasse esse etiam viva vocis oraculum, & minus authenticum; quamvis Portell. dicat, se illud vidisse. Privilegium vero Pii V. relatum a Cesp. ped., si verum esset, non indignisset Societas Privilegio Gregor. XIII.; quandoquidem vi Bullae ejusdem Pii V. communicaret cum aliorum Ordinum, ac Congregationum Privilegiis. Et decretum nuper laudatum S. Congregationis permittens tale indulgentiam, quando in Monasterio est penuria Sacerdotum, videtur supponere, quod alii Regulares non gaudeant eo Privilegio suscipiendi universim Ordines extra tempora. Hæc habui, quæ in hac re paucis apponerem veritatis gratia, quin velim quicquam derogare auctoritati aliter sentientium. Praesertim quia Auctores, qui favent Sententiæ affirmativæ, sunt magni nominis, & non pauci (ut videre est apud Pasqual. qu. 356., & apud Dian. part. 3. tract. 2. resol. 31.) Illorum

etiam ratiocinationes non sunt levis momenti. Praxis in multis diocesis probabilitatem talis sententiæ valde confirmat, ut fusc hæc omnia profertur in quodam erudito Opusculo de hoc Messana edito anno 1682. P. Franciscus Lentinus Clericus Regularis Ministrantium infirmis; Gaudeant itaque omnes probabilitate, quæcumque illa sit, sua, quam ipse extenuare non ausim.

XI. Dubium est, An nomine dierum festivorum, quibus possunt ex privilegio conferri Ordines, intelligendi sint dies festi in foro, seu de præcepto, an etiam dies, qui sint festi in Choro, licet non sint in populo, ut sint omnia festa duplicia?

Respondeo, Nald. apud Dian. part. 5. tract. 13. resol. 97. putare, quod debeant intelligi dies festi toti populo, in quibus prohibita sunt opera servilia; nam denuntiationes Matrimonii, quæ ex Trident. faciendæ sunt tribus diebus festivis, faciendæ sunt diebus festis de præcepto: Praepost. tamen, & Fagund. part. 1. lib. 1. cap. 2. docent probabiliter intelligi posse dies festos in Choro, quando scilicet festum est duplex; quia sic intelligitur in Pontificali Romano dies festus, quando præcipitur, ut Ordines minores die dominico, aut festo conferantur, ut observat Gavant. in Ench. V. Ordines minores; & hanc Sententiam vocat in praxi tutam Dian. part. 5. tract. 13. resol. 47. Lug. tamen lib. 1. Resp. moral. disp. 43. apud Busemb. monet, opinionem hanc rejectam esse ex decreto Urbani VIII.

XII. Denique in calce hujus articuli subijcio Constitutionem Innoc. XII. editam anno 1694. ad tollendos abusus, & fraudes circa Ordines alienorum subditorum, ut præ manibus habeatur; viderique circa illam poterit, quæ Croix in de Sacramento Ordinis annotavit.

Inno-

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei
Ad Perpetuam rei memoriam.

Speculatores Domus Israel, Hac generali nostra, & perpetuo valitura constitutione decernimus, & declaramus, nulli Episcopo, seu cujusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere externam quempiam, ac sibi ratione originis, seu Domicilii, juxta modum inferius declarandum, legitime contracti, non subditum, ad Clericalem tonsuram promoveri, cujusvis Beneficii Ecclesiastici, ei statim, ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit, seu ad quod is a Patronis jam presentatus, seu nominatus fuerit, pretextu, etiamsi Beneficium predictum de novo ea expresse adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post Clericalem Characterem susceptum ad illud instituat: Præterea Clericum, qui legitime jam a proprio Episcopo ad eandem Clericalem tonsuram, seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione, ac titulo cujuscumque Beneficii in illius Diœcesi obtenti, ad posteriores Ordines promoveri, nisi ante eorundem susceptionem Testimoniales literas proprii Episcopi, tam Originis, quam Domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit; easque Episcopo ordinanti in actis illius Curie conservandas exhibuerit. Licet vero Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena Diœcesi obtenti subijci dicatur Jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi Beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cætero hac in re inconcussa servari volumus Regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium predictum ejus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat; illudque ab Ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii, cum adjunctione Patrimonii, etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem, seu alia quavis Diœcesi obtineret; ac Episcopus sic ordinans, tam de predictis testimonialibus literis, quam de redditu Beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debet. Cæterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in illo loco; quo casu nullatenus ejusmodi foruita natiuitas, sed vera tantum, & naturalis Patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci literas testimoniales, ut supra, obtinere, illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas, præsentare teneatur. At si Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tandiu, ac eo animo permanferit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non ori-

go Patris, sed domicilium per Patrem legitime, ut præfertur, contractum pro Ordinatione ejusdem filii attendi debeat. Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac suorum bonorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; & nihilominus ulterius utroque casu se vere, & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales literas, ut supra, asserre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum literis facienda erit. Ad hæc nullus Episcopus alienæ Diæcesis subditum familiarem suum ad aliquos Sacros, seu Minores Ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat, absque ejus proprii, originis scilicet, seu domicilii, Prælati testimonialibus literis, ut supra, & nisi ad præscriptum Concilii Tridentini præfati sels. 23. cap. 9. De Refor., familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; Beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, juxta modum superius præfinitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factæ Ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in Ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac literarum prædictarum mentionem facere teneatur. Porro, ut quicumque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus, & Apostolica auctoritate statuimus, atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione originis, five domicilii subditos Clericos quoscumque, ab alienis Episcopis, quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis literis promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini supradicti sels. 14. cap. 3. de Reform., quo ad scientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum testimoniales literas, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præsentis Constitutionis forma, & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis bene viso, ad docendum de ejusmodi adimplemento; ita ut quos eo termino elapso id minime præstitisse comperit, a susceptorum Ordinum exercitio, si ita, & quandiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque, ne in Altari, aut in aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno 1694. die 4. Novembris.

ARTICULUS IV.

De subiecto Ordinum .

- I. Diaconissa, & Presbyteria non erant olim capaces Ordinum .
- II. Num peccet mortaliter, qui sine prævia Confirmatione Ordines suscipit ?
- III. De Ætate in singulis Ordinibus requisita .
- IV. Qui ordinatur animo effugiendi forum seculare, & exemptionem a tributis, probabilis solum venialiter peccat .
- V. De scientia requisita in Ordinando, ac de examine prævio; præsertim relate ad Regulares .
- VI. De iis, quæ spectant ad titulum requisitum, sive Patrimonii, sive Beneficii, sive Paupertatis .
- VII. Num Patrimonium sic donatum sit deinde in foro Conscientiæ retrodonandum ?

I. Certum est, solos homines baptizatos esse Ordinis capaces; iure tamen Ecclesiastico excluduntur bigami, homicidæ, cæci, muti, & omnes irregulares. Ut licite suscipiatur, requiritur in suscipiente ætas præscripta, titulus, examen, literæ dimissoria, quod per suos gradus ad Ordines ascendat, interstitia, tempus, locus, status gratiæ, & alia huiusmodi, de quibus egimus articulo antecedenti.

Dices, in cap. *Diaconissa* 27. quæst. 1., & cap. *cum mulieres* dist. 32. fit mentio Presbyterarum, & Diaconissarum, quæ non poterant ordinari ante quadragesimum annum; ergo etiam mulieres sunt capaces Ordinum. Respondet tamen Fil. apud Trull. disp. 11., illas nullo fuisse Ordine insignitas, sed vel fuisse uxores Presbyteri, aut Diaconi, vel habuisse curam aliquarum rerum

Pars V.

Ecclesiæ. Presbyteria autem erat femina senior, quia *Presbyter* græce idem valet, ac latine *Senior*. Diaconissa vero erat Abbatisa, quæ per quandam benedictionem recipiebat potestatem legendi Euangelium cum homilia in matutino, sicut faciunt Diaconi.

II. Quæritur nunc primo; An peccet mortaliter, qui non confirmatus Ordines suscipit?

Respondeo, Tolet. docere apud Dian. part. 2. tract. 6. resol. 4., & part. 3. tract. 4. resol. 24., quod peccet mortaliter, & fiat irregularis. At Sor., Con., Trull., & alii apud Croix num. 2223., quod solum peccet venialiter; quia Trident. sess. 22. cap. 7. non utitur verbis adeo strictis, quæ obligationem gravem significant; quamvis consilium det Episcopis, ut non confirmatos non promoveant.

III. Quæritur secundo; quænam sit Ætas in ordinando requisita?

Respondeo, pro prima tonsura, & tribus Ordinibus minoribus requiri septennium completum, ex cap. *De iis* dist. 18. Pro acolythatu duodecim annos completos. Communiter tamen non initiantur Minoribus ante decimum quartum annum, ut notat Trull. Pro Subdiaconatu Trident. sess. 23. cap. 11. requirit vigesimum secundum, pro Diaconatu vigesimum tertium, pro Sacerdotio vigesimum quintum. Pro Episcopatu requiritur trigessimus ex cap. *Cum in cunctis de Elect.* Ad Beneficium simplex requiritur ex Trident. sess. 21. cap. 6. annus decimus quartus; ad Curatum, ad Dignitatem, vel Abbatiam vigesimus quintus: satis autem est, hos annos attigisse. Quamvis Barbof. cum Riccio, & Molfes. apud Trull. putet, non esse computandum diem bisextilem præsentis anni pro legitima ætate, quia solum quarta pars talis diei pertinet ad complementum anni præsentis; contraria tamen opinio Bonac. est probabilior,

P & ju-

& juxta usum Ecclesiæ; quia eo anno, quo accidit dies bisextilis, habetur complementum quatuor annorum præcedentium. Illud probabile putat Dian. part. 2. tract. 16. resol. 27. & part. 5. tract. 5. resol. 17. ex Sanch., quod si ultimus dies ætatis sit inceptus, possit quis ordinari, etiam ante aliquot horas, quia in favorabilibus dies inceptus habetur pro completo, leg. *Qua ætate ff. de testam.* Quod tamen ipse non admitto; quia cum requiratur in jure ætas, verbi gratia, viginti quinque annorum pro Sacerdotio, satis quidem est vigesimum quintum attingisse, sed non videtur satis attingisse diem, quo post aliquot horas attingendus est annus vigesimus quintus.

IV. Quæritur tertio; Quinam animus requiratur in ordinando?

Respondeo, ex Trident. sess. 23. cap. 4., requiri in initiandis, quod Confirmationem susceperint, & quod de iis probabilis conjectura sit, quod hoc vitæ genus elegerint ad Deo inferendum, non sæcularis judicii fugiendi fraude; Unde ex Barbof., & Ledesm. peccat mortaliter, qui coronam, vel Ordines minores accipit ad fugiendum judicium sæculare, & ut gaudeat exemptione a tributis. Dian. tamen part. 2. tract. 16. resol. 77. cum Sanch., Con., Laym., Pal. probabilius putat, quod solum venialiter peccet, qui eo fine initiatur; quia Trident. non utitur verbis præceptivis sufficientibus ad obligationem gravem, sed tantum vult ostendere, quid possulet ipsa decentia, & reverentia illius status. Qui tamen initiatur ad inferendum Deo in tali statu absque animo ascendendi ad Ordines superiores, & non ad fugiendum judicium sæculare, nullatenus videtur peccare.

V. Quæritur quarto, Quænam scientia in Ordinando requiratur.

Respondeo, ex Trident. loc. citat.

requiri in tonsurando, quod sciat rudimenta fidei, legere, & scribere; saltem ut characteres aliquo pacto figurat, ex declaratione Congregationis Episcoporum apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 27.: In promovendis ad quatuor minores Ordines, ut saltem sciant, & intelligant linguam latinam; Pro Subdiaconis, & Diaconis requiritur præter cognitionem linguæ latinæ, ut sciant, quæ pertinent ad istos Ordines; Pro Sacerdotio demum, quod sciat populum docere necessaria ad salutem, & Sacramenta administrare. In Regularibus tamen, qui solum debent infervere choro, putant Sor., Peyr., Portell., & alii apud Pelliz. tract. 8. cap. 2. num. 165., quod non requiratur tanta scientia, quanta in Clericis: Possunt enim ordinari Sacerdotes, si tantum sciant, quid sit Sacramentum, præsertim altaris, ejusque materia, forma, Minister; sicut etiam ut sciant in necessitate moribundum absolvere sacramentaliter, ut bene legant, & cantent, quamvis sint minus literati; quod pariter docent Henr., Villal. apud Dian. part. 3. tract. 16. resol. 31. contra Ledesm.; quia scilicet defectus scientiæ suppletur maxime ex hoc, quod vivant in communitate; unde facile a sociis corriguntur, si errant; Et propter eandem rationem idem dicendum ex Villal. de Canonicis, Cantoribus, & aliis, qui etiam in communitate sint; præsertim quia Trident. non videtur cum tanto rigore scientiam hanc requirere: quamvis Ledesm. doceat oppositum.

Hinc fit, Episcopos debere examinare ordinandos, (nisi tamen notorie digni sint) in scientia, & moribus. Et circa Regulares, quamvis Episcopus quoad vitam, & mores stare debeat attestationsi suorum Superiorum: circa scientiam tamen subjiciuntur illius examini; ita ut possit illos examina-

nare, esto possit etiam esse contentus de examine factō a Prælatis ipsorum. Quamvis relate ad Religiosos Societat. Jesu, S. Congregatio, ut notavimus art. super., declaravit anno 1681., non esse examinandos, nisi adsit consuetudo in contrarium.

VI. Quæritur quinto; Quinam titulus requiratur in ordinando?

Respondeo, ex Trident. sess. 11. cap. 2., Clericos sæculares non posse ad Sacros Ordines promoveri, nisi habeant aliquem titulum, videlicet aut beneficii, aut patrimonii, aut pensionis, prout Episcopus judicaverit expedire: Requiritur enim, quod habeant id, quod sufficit ad congruam sustentationem, ne cogantur mendicare. Pro Regularibus vero satis est pro titulo ipsa professio, seu paupertas: Et Religiosis Societ. Jesu sufficit paupertas, quam per vota simplicia vovent ex speciali privilegio. Quamvis Avil., & Henr. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 52., & part. 5. tract. 10. resol. 50. putent, posse aliquando Episcopum dispensare in aliquo casu raro, verbi gratia, cum Collegiali docto, & insigni, præsertim Salmanticensi, & Complutensi, quia huic non deficiet cathedra, aut præbenda, aut beneficium; Campanil. tamen adducit declarationem S. Congregationis in contrarium. Ad suscipiendos autem minores Ordines, & coronam nullus titulus requiritur; quia potest hic ab Ordine Clericali retrocedere, & uxorem ducere; Quare arbitrio, & prudentia Episcopi id committitur, prout utilitati, aut necessitati Ecclesiæ erit expediens. Disputant Doctores apud Tamb. de Ordin. cap. 7. §. 7. Num sit ipso facto suspensus, qui sine ullo titulo, aut cum ficto patrimonio Sacros Ordines suscipit? Probabilis id multi negant apud Dian. part. 2. tract. 16. resol. 5., quia quamvis hæc pœna olim in Sacris Canonibus imposta fue-

rit, deinde ab Innoc. III. abolita fuit; & Trident. sess. 21. cap. 2., innovando pœnas antiquas probabilius solum innovavit pœnam Episcopis alendi sic ordinatos, non vero pœnam suspensionis relate ad ordinatos; cum enim hæc sublata fuerit ab Innoc. III. facienda esset mentio hujus abolitionis, si eam pœnam innovare voluisset. At quod mortaliter peccent, qui sic ordinantur, non revocatur in dubium.

Nihilominus in Synodo Diœcesis Neapolitanæ pœna suspensionis Archiepiscopo reservata ipso facto incurrenda imponitur iis, qui Patrimonium fictum exhibent, etiamsi ad primam tonsuram, aut ad Minores Ordines promovendi sint; & ad id concurrentes excommunicantur ipso facto excommunicatione pariter reservata.

Porro circa Beneficium notandum, debere esse sufficiens ad victum honestum ordinandi; Quamvis autem Villal. doceat, victum debere esse sufficientem ad honeste vivendum, inspecta qualitate personæ; communius tamen docent, quod satis sit, si sit honestus respectu Ordinis Clericalis juxta consuetudinem loci: Si tamen beneficii reditus non sufficiant, poterunt suppleri per patrimonium. Debet præterea beneficium pacifice possideri, & esse perpetuum; Unde non potest aliquis ordinari ad titulum servitii in aliqua Ecclesia, cui ascribitur, nisi tale servitium sit perpetuum; Nec ad titulum Coadjutoria, aut Capellania, aut Vicaria, nisi hæc sit perpetua, & non amovibilis ad arbitrium alterius. Unde fit, non posse ordinatum resignare beneficium, ad cujus titulum fuit ordinatus, nisi de hoc fiat expressa mentio; nec potest talis resignatio admitti, nisi constet, quod aliunde possit vivere.

Circa Patrimonium, vel pensionem debet pariter esse sufficiens ad honestam sustentationem Ordinandi, &

perpetuum : nec alienari potest sine licentia Episcopi ex Trident., donec beneficium Ecclesiasticum succedat loco patrimonii. Quare Azor. putat apud Trull., quod pro foro interno non requiratur licentia Episcopi ad alienandum patrimonium, si quis adeptus sit beneficium, unde vivat. Dubium tamen est, an alienatio patrimonii sine licentia Episcopi sit solum illicita, an etiam invalida, quando non succedit loco illius beneficium? Barbof., & alii putant, quod invalida, quia Trident. dicit, quod *alienari nullatenus possit* sine tali licentia: Ledesm. tamen, & alii apud Trull. docent, quod solum sit illicita; quia verba illa Trident., quod alienari nullatenus possit, explicari possunt, quod non possit licite, & absque peccato alienari. Et Turrianus apud Dian. p. 5. tr. 10. resol. 67. cum Gordono putat ob tale peccatum non incurri suspensionem.

Notat Dian. part. 4. tract. 4. resol. 52., & part. 5. tract. 5. resol. 20 dari in patrimonio parvitatem materię, quatenus ubi patrimonium est, verbi gratia, triginta sex aureorum, si non sit notabiliter minus, adhuc satis sit, ut possint Ordines conferri, quia de modico non est curandum, leg. *Si oleum ff. de dolo*. Sanch. autem putat, quintam partem esse modicam, unde qui haberet, verbi gratia, viginti novem aureos pro patrimonio, adhuc ordinari posset. Equidem tamen hanc quintam partem non censeo esse modicam. Advertendum tamen, posse Episcopum requirere in ordinando beneficium, & nolle admittere eum, qui patrimonium habet sufficiens; quia Trident. sess. 21. cap. 2. vult, Episcopos posse ordinare titulo patrimonii, vel pensionis illos, quos judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum. Ita Ledesm., Barbof., & alii cum Trull. dub. 11.

Notandum etiam cum Campanil. apud Trull., quod licet donatio inter Patrem, & Filium sit invalida; si tamen fiat causa patrimonii ad Ordines suscipiendos, est valida; imo potest filius cogere patrem, ut justum patrimonium constituat pro Matrimonio spirituali; sicut potest illum cogere ad dandam dotem pro Matrimonio carnali; Et Garz. probabilius putat, donationem factam pro Ordinibus suscipiendis non esse computandam in legitimum. Quando autem ordinatus, aut ordinans incurrant suspensionem ob defectum supradictorum, lege apud Trull., & alios.

VII. In dubium revocatur; Num teneatur ordinatus retrodonare Patrimonium sicte donatum? Negat Ledesm., & alii apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 184; quia promissio retrodonationis, cum sit contraria juri, non est obligatoria; ut proinde in foro externo rescindi possit in pœnam ejus, qui sicte donavit ad decipiendum Episcopum. Avil. tamen cum aliis docet, in foro conscientię esse restituendum, quia donatio valet solum juxta intentionem donantis.

ARTICULUS ULTIMUS.

De Effectibus Ordinum.

- I. Recensentur effectus Ordinum, & genera iisdem annexa.
- II. Num peccent mortaliter Clerici non gestantes habitum, & tonsuram?
- III. An teneatur ad Castitatem, & ad Horas recitandas, qui Sacros Ordines coacte suscipit, & vi metus iniusti?
- IV. Infantes in Sacris ordinati quando nam ad Castitatem teneantur? Et quid de ordinatis ante pubertatem?
- V. Ordinati in Sacris ex voto ne, an ex precepto etiam Ecclesia ad Castitatem obligentur?

VI.

VI. Num ex voto teneatur, qui scienter ordinatur ignorando Ordini Sacro annexi votum castitatis?

VII. Qualis debeat esse Habitus Clericorum?

I. Quæritur primo; Quinam sint effectus Ordinum?

Respondeo, ab omnibus Ordinibus (quos cum communiori diximus singulos esse Sacramentum) conferri gratiam sacramentalem, & characterem, necnon privilegium Canonis, & fori: Sacrorum vero Ordinum effectus sunt, obligare ordinatum ad servandam castitatem ratione voti annexi, & ad horas Canonicas recitandas; necnon impedire usum facultatis medicæ, & chirurgiæ (quamvis possint consanguineis, & miserabilibus gratis mederi, qui Sacros Ordines habent, ut notat Dian. part. 6. tract. 6. resol. 50.) Præterea omnes Clerici sunt immunes a laica potestate; unde non tenentur legibus civilibus spectantibus bonum commune quoad vim coercitivam, ita scilicet ut possint puniri a laico iudice, aut subire pœnam impositam a lege civili; quamvis teneantur eas servare quoad vim directivam, seu in conscientia: Verbi gratia tenentur pretio legis vendere res suas, ut communiter docent apud Dian. part. 1. tract. 2. resol. 1., & fusc. Bonac. lib. 2. disp. 16. quæst. 9. Sunt etiam Clerici, ac perionæ religiosæ, necnon eorum bona exempta a tributis, ac vengalibus impositis a laica potestate.

II. Verum Clerici tenentur habitum, & tonsuram gestare, ex cap. penult. de vita, & honest. Cler., ita ut Clericus in Sacris, aut beneficiatus mortaliter peccent, non gestando tonsuram, & habitum clericalem ad longum tempus absque iusta causa. Prohibentur etiam Clerici gestare arma absque iusta causa, vel absque dispensatione Pontificis; Nam Episcopus,

Pars V.

per se loquendo, non potest dispensare in iis, quæ sunt juris communis. Alias obligationes Clericorum, verbi gratia, de non negotiando, de non ludendo aleis, & taxillis, &c., vide apud Reginald. lib. 30. tract. 3. num. 1. cap. 7., Henr. lib. 10. & alios.

III. Quæritur secundo; An qui metu injusto gravi coactus Ordines Sacros suscipit, teneatur ad castitatem, & ad horas canonicas?

Respondeo, aliquos affirmare, quia metus non tollit voluntarium simpliciter. Sed probabilius Henr., Fill., Bonac., Sanch. lib. 7. disp. 29. negant; quia vel teneretur ad castitatem ex voto, vel ex præcepto Ecclesiæ; non quidem ex voto, quia communius docent, quod non solum votum religionis ex cap. 1., & 6. De his, quæ vi, &c., sed etiam paritate rationis quodlibet votum sit irritum, jure saltem Ecclesiastico, si sit coactum; Neque teneretur præcepto Ecclesiæ; (sicuti teneretur, qui, verbi gratia, volens suscipere Ordines Sacros, nollet sacrilege votum castitatis emittere) nam Ecclesia non intendit facere inhabilem ad Matrimonium, nisi cum, qui sponte suscipit Ordines, ut ex multorum sententia docet Henr. lib. 14. de Ord. cap. 4. Bonac., Sanch., Trull. disp. 12. Hinc neque teneretur ad divinum officium recitandum; nam vel Ecclesia utramque obligationem imponit, & castitatis, & divini officii, vel neutram, cum non sit major ratio de una, quam de alia.

IV. Circa infantes ordinatos in Sacris, dicendum, non teneri ex voto castitatis; quia votum essentialiter requirit liberum consensum; neque teneri lege Ecclesiastica ad castitatem; sed cum pervenerint ad usum rationis, possunt libere vel itatum Ecclesiasticum eligere, vel sæcularem, ita ut possint uxorem ducere. Quod si tunc libere actum Ordinis exercuerint,

P 3 aut

aut alias suam Ordinationem approbaverint, tenentur statim ad castitatem, & ad horas recitandas, nec possunt amplius mutare sententiam. Idem docent aliqui apud Sanc. loc. citat. de Ordinatis ante pubertatem; Quod tamen negat probabilius Con. loc. citat. num. 136., quia cum sint doli capaces, possunt se voto obligare, nec reperitur tale votum redditum fuisse irritum ab Ecclesia.

Qui vero ordinaretur cum ignorantia istarum obligationum, communiter docent, quod illas contrahat, quia qui vult assumere aliquem statum, vult consequenter implicite omnia onera tali statui annexa; etiamsi de iis in specie nullam habuerit notitiam. Docet tamen Con. num. 141., quod qui habuissent rationes probabiles, quod talis obligatio non subesset, ea non tenerentur.

V. Utrum autem ordinati in Sacris ex solo voto, (quod ex lege Ecclesiastica tenentur emittere) an etiam ex precepto Ecclesie, ad castitatem teneantur? Dubitant Doctores. Probabilius docet Con. disp. 13., quod ex utroque capite. Ubi notandum, jure Ecclesiastico compelli ordinatos in Sacris ad tale votum dirimens matrimonium; Unde fit, posse Pontificem ex gravi causa dispensare in tali obligatione; ut aliquatenus dispensavit cum Ecclesia Græca; cum qua tamen non dispensavit, ut possint post Ordines Sacros Matrimonium valide inire, sed solum ut possint licite uti matrimonio ante Sacros Ordines contracto, ex cap. *Quæstum 7. de pœnitentia, & remissione* apud Con. num. 115.: In Ecclesia tamen Latina id nunquam permittum fuit; nam Divus Paulus, & alii Apostoli, qui ante Apostolatam uxores duxerunt, cum omni continentia vixerunt post Sacros Ordines, ut ex 1. ad Corinth. 7. & ex aliis locis apud Con. colligitur. Ubi autem A-

postolus docet, Episcopum debere esse *Unius uxoris virum*, intelligi debet, quod non debeat esse bigamus, non vero quod possit uti matrimonio antecedenter ad Ordines Sacros contracto.

VI. Dubitatur pariter, an qui scilicet enter ordinatur ignorando annexi Ordini Sacro votum castitatis, teneatur deinde castitatem servare ex voto implicite emisso, an ex sola Ecclesie constitutione?

Respondeo cum Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 27. n. 11. probabilius esse, quod etiam ex voto implicite emisso teneatur; qui enim sciens, & prudens suscipit munus aliquod, aut statum, implicite consentit ad onera ei annexa; quare volens inter Christi Ministros ascribi, vult implicite, & virtualiter facere, quicquid Ecclesia præcipit eligentibus talem statum, atque adeo virtualiter & implicite vult vivere castitatem, quamvis de tali voto nihil expresse cogitarit. Et ita docet etiam Azor. Imol. & alii apud eundem Sanch. contra Sylv. Rosellum, & alios putantes hunc ex sola lege Ecclesie ad castitatem teneri, non vero ex voto, de quo non cogitavit; cum enim votum sit lex privata, quam vovens sibi imponit, videtur quod non possit voto ligari, si de illo non cogitat; At probabilius videtur hanc obligationem posse hominem sibi imponere implicite, & virtualiter modo explicato, quamvis de illa non cogitet.

VII. Quæritur ultimo; Quinam sit habitus clericalis?

Respondeo cum Trull. disp. 15., honestatem vestium clericalium delimitandam esse ex usu regionum; nam in cap. *Clerici de vit., & honest. Cleric.* solum reprobatum nimia brevitatis, vel longitudo vestium. Ex Sisti V. constitutione edita anno 1586., vestes eorum, qui sunt in Sacris, debent

bent esse talares : Trident. reprobat colorem viridem, aut rubrum in vestibus Clericorum, & vestes virgatas, admittendo colorem nigrum, aut alium, quem honestus Clericorum usus admittit. Communiter autem docent, ut supra diximus, quod Beneficiatus, & ordinatus in Sacris peccent mortaliter, si habitum clerica-

lem, & tonsuram apertam non deferant; Idipsum de non beneficiatis Clericis docet Navar., Sylv. contra communiorem apud Regim. lib. 30. tract. 3. : Qui tamen asserit contra Ledesm. apud Trull. dub. 10., beneficii tenuitatem non excusare. Atque hic de Ordinis Sacramento (sed oh ubi æternitatis?)

F I N I S.

A. M. D. G., & B. V.

Sine labe Conceptæ.

SYNOPSES OMNES,

Quæ in singulis Articulis tractatus hujusce de
Sacramentis habentur, hic colliguntur.

QUÆSTIO I. Pag 2

De Sacramentis in genere.

ARTIC. I. *ibid.*

Quid, & quotuplex sit Sacramen-
tum, tam antiquæ Legis,
quam novæ.

I. Sacramenti definitio explicatur. II. Differt Sacramentum a Sacramentalibus, & a Sacrificio. III. Triplaciter est signum, Rememorative, Demonstrative, & Prognostice. IV. In statu naturæ innocentis nulla fuerunt Sacramenta; fuerunt tamen in statu naturæ lapsæ. V. De Sacramentis in statu legis scripta. VI. In quibus differant Sacramenta legis veteris a Sacramentis novæ legis? VII. Quonam pacto Circumcisio gratiam contulerit? VIII. Reliqua veteris legis Sacramenta Sanctitatem dumtaxat legalem conferebant.

ARTIC. II. pag. 7

De Necessitate Sacramentorum.

I. Sacramentorum institutio non fuit necessaria simpliciter, sed secundum quid. II. Sacramenta alia sunt necessaria necessitate mediæ, alia vero necessitate præcepti. III. Eucharistia Sacramentum non est necessarium necessitate mediæ.

ARTIC. III. pag. 9

De Materia, & Forma Sacramentorum.

I. Sacramentorum materia alia est proxima, alia remota. II. Omnia nova legis Sacramenta constant rebus, tamquam materia, & verbis tamquam forma. III. Moraliter dumtaxat concurrunt res, & verba ad Sacramenti constitutionem. IV. Res, & verba, quæ Sacramenta Nova legis constituunt, a Christo Domino determinata sunt, licet non eodem modo. V. In Sacramento Matrimonii non mutavit Ecclesia materiam a Christo Domino institutam, neque contractum, sed solum leges contractus. VI. Quomodo Apostoli baptizarent in nomine Jesu Christi? VII. Solum mutatio essentialis materiæ, aut formæ Sacramentorum illa irritat. VIII. Quanam variatio materiæ, aut formæ sit solum accidentalis? IX. An conficiatur Sacramentum, si variatio sit accidentalis, & putetur esse essentialis? X. Num intentio Ministri constituat Sacramentum, an solum sit requisitum essentialis?

ARTIC. IV. 17

De Causa Efficiente Sacramentorum.

I. Christus Dominus in quantum homo, seu per voluntatem creatam fuit Sacramentorum Institutor. II. Quonam pacto posset pura Creatura instituere Sacramenta. III. Soti homines viatores de facto possunt Sacramenta ministrare. IV. Num semper mortaliter peccet,

cet, qui in mortali Sacramenta ministrat? v. Minister Sacramentorum quando a mortali excusatur, conferendo illa indignis? vi. Requiritur intentio saltem virtualis in Ministro conferente Sacramenta, esto in suscipiente sufficiat habitualis, & in pueris etiam interpretativa. vii. Quando sufficit in Ministro intentio conditionata? vii. Intentio indirecta, & in causa in Ministro non sufficit ad Sacramentum validitatem; secus vero in suscipiente, in quo simul sit intentio habitualis. ix. Si Minister habeat duas intentiones contrarias, utra debeat prevalere? x. Quando error circa Personam obstat validitati Sacramenti? xi. Quid requiratur ad validam, & licitam Sacramenti administrationem? xii. Num liceat sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, omisa tutiore?

ARTIC. V. 32

De Primario effectu Sacramentorum, qui est Gratia.

i. Quid ferat primarius Sacramentorum effectus, quid secundarius? ii. Omnia nova legis Sacramenta causant gratiam ex opere operato. iii. Necnon specialem gratiam Sacramentalem; sicut etiam gratiam virtutum & donorum. iv. At in subjectis inaequaliter dispositis gratia inaequalis causatur. v. Pariter perfectius Sacramentum uberiorem gratiam confert, ceteris paribus. vi. Possunt Sacramenta vivorum per accidens primam gratiam causare. vii. Quonam tempore Sacramenta, praesertim Eucharistia, causant gratiam? viii. Num etiam Eucharistia cum fictione suscepta, sublato obice, reviviscat? ix. Quomodo fictio, seu obex tollatur? x. Physice ne, an moraliter gratiam Sacramenta causant?

ARTICULUS VI. 41

De Secundario effectu Sacramentorum, qui est Character.

i. Quid sit Character Sacramentalis? ii. Quam connexionem inter se habeant Characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis? iii. Quinque sunt Characteris huius proprietates. iv. Congruum fuit, ut solum a tribus Sacramentis irreiterabilibus Character imprimeretur in anima indelebiter. v. Quid in Sacramentis nova legis dicatur esse, Res tantum, Sacramentum tantum, & Res simul, ac Sacramentum?

ARTIC. VII. 44

De suscipiente Sacramentum.

i. Nonnisi Viatores sunt capaces Sacramentorum. ii. Fetus animatus probabiliter est capax Baptismi, quamvis nondum sit egressus ex utero Matris, si possit aequaliter abluui. iii. Quanam intentio requiratur in suscipiendis Sacramentis? iv. Intentio coacta sufficit, non tamen relate ad Matrimonium. v. Quando requiratur intentio expressa, & formalis ad sacramenta recipienda? vi. An possit Extrema Unctio sub conditione conferri iis, qui videntur in statu peccati mortalis decedere? vii. Nec intentio suscipiendi Sacramenta (Matrimonio excepto) sub conditione de futuro, nec intentio indirecta, nisi stet cum intentione habituali, sufficiunt ad valide ea suscipienda. viii. Ad valide Sacramenta suscipienda (Penitentia excepta) nulla requiritur dispositio in suscipiente praeter intentionem consonam. ix. Ad fructum vero Sacramenti recipiendum requiritur sua animi dispositio. x. Quando liceat a Ministris indignis Sacramenta suscipere?

AR-

ARTIC. VIII. 51

De reliquis ad Sacramenta in genere spectantibus.

I. Cur Sacramenta nova legis sint septem? II. Quinam sit ordo enumerationis, quinam dignitatis in Sacramentis? III. De ritu, ac caeremoniis in Sacramentis consiciendis. IV. Quid veniat nomine Ceremoniarum? V. Num effectus aliquis ex opere operato ab his Ceremoniis producat? VI. Quanam dicantur Sacramentalia? VII. Non remittuntur venialia a Sacramentalibus ex opere operato. VIII. Quanam pacto vi Sacramentalium impetratur venialium remissio?

QUÆSTIO II. 56
De Baptismo.ARTICULUS I. *ibid.*
Quid, & quotuplex sit Baptismus?

I. Diversimode Baptismus appellatur, ac definitur. II. Baptismi Sacramentum est unicum, licet triplex sit Baptismus. III. Cur Baptismus sanguinis non sit Sacramentum? IV. Num in adulto peccatore ad Martyrium praequiratur Contritio, an sufficiat attritio ad deletionem culparum? V. Ad Baptismum fluminis in adulto requiritur intentio saltem habitualis, secus vero ad Baptismum sanguinis. VI. Martyrium probabiliter effectus suos ex opere operato confert, dum vulnus lethale recipitur.

ARTIC. II. 60
De Institutione, & necessitate Baptismi.

I. Baptismus probabiliter ante Christi passionem institutus fuit. II. Est necessarius, tum necessitate medii saltem in voto, tum etiam necessitate precepti divini. III. Præceptum Baptismi non vi-

detur obligasse ante mortem Christi Domini. IV. Ignorantes legem Baptismi post mortem Christi Domini, tenebantur ad Circumcisionem, sive ad legem naturæ, si ea nondum erat promulgata; post promulgationem vero talis legis, qui eam invincibiliter ignorant, si legem naturalem servant, illuminabuntur, ut baptizari possint, saltem Baptismo fluminis.

ARTIC. III. 62
De Materia Baptismi.

I. Cur aqua naturalis sit materia remota Baptismi? II. Quanam dicatur aqua naturalis? III. Materia Baptismi proxime est ablutio, sive fiat per asperionem, sive per infusionem, sive per unam, aut trinam immersionem juxta morem Ecclesiarum. IV. Si ante tertiam immersionem infans decedat, eritne baptizatus? V. Quid si abluatur in solo digito? aut si in puteum infans projiciatur animo illum baptizandi?

ARTIC. IV. 64
De Forma Baptismi.

I. Legitima est ex Florentino tam forma Baptismi, qua utitur Ecclesia Græca, quam ea, qua utitur Ecclesia Latina. II. Quomodo debeat Trinitas Personarum exprimi? III. Quanam etiam pacto exprimenda est unitas essentie divine? IV. Non pertinent ad Formam essentiam particula illa, Ego, In, Amen, sed dubitatur de particula, Et. V. Num possit unus plures simul baptizare, & num plures unum? VI. Quanam variatio formæ videatur accidentalis.

ARTIC. V. 66
De Baptismi Ministro.

I. Etiam Turca, & Hæreticus, non Mulier potest hoc Sacramentum ad-

administrare. II. Num iterandus sit sub conditione Baptismus collatus ab Obstericibus? III. Quinam possit baptizare solemniter? IV. In casu necessitatis quinam preferendus sit, qui baptizet? V. Quinam irregularitatem incurram ex illicita Baptismi collatione?

ARTIC. VI. 68
De Subjecto Baptismi.

I. Num etiam infans nondum egressus ex utero matris possit sub conditione baptizari, quando per fistulam abluui potest? II. Inuisis parentibus filii Infidelium baptizari possunt, si habentes usum rationis Baptismum postulent, & a Parentibus subtrahendi. III. Sicut etiam infantes Hæreticorum, & Apostatarum; Necnon filii Infidelium Mancipiorum. IV. Non tamen filii Infidelium, qui aut nullatenus subjecti sunt Principibus Christianis; aut his subjiciuntur solum politice. V. Diluuntur objecta. VI. Si alter tantum ex parentibus Infidelibus consentiat, infantes baptizari possunt. Sicut etiam omnes in periculo mortis; aut si sint extra patriam potestatem; aut si perpetuo amentes. VII. Quid de Mutis, ac Surdis a natiuitate, si sint adulti?

ARTIC. VII. 72
De Effectibus, & Ritibus Baptismi.

I. Primarii effectus Baptismi sunt quinque. Tres vero secundarii. II. Cereemonia ab Ecclesia instituta in collatione Baptismi sub mortali seruanda sunt, nisi paruitas materia excuset. III. Num causent aliquem effectum supernaturalem ex opere operato. IV. Patrinus in Baptismo dumtaxat solemniter adhibendus est, quod si in privato adhiberetur, probabiliter cognationem spirituales non induceret. V. Quid ferat post Tridentinum cognatio spiritualis? VI. Quid re-

quiritur ad cognationem spirituales contrahendam?

QUÆSTIO III. 75
De Confirmatione.

ARTICULUS I. 76
De Materia, & Forma Confirmationis.

I. Tam oleum, quam Chrisma ab Episcopo benedictum est materia remota hujus Sacramenti. II. Ex dispensatione Pontificis potest simplex Sacerdos conferre Confirmationem; quin tamen possit Chrisma nisi a solo Episcopo benedicti, ut valide Sacramentum conferatur. III. Materia proxima est Unctio Chrismatis in fronte confirmandi, facta cum pollice a Ministro in forma crucis. Sed quid si fiat cum indice? IV. Quid si unctio fiat tempore pestis cum pennicillo, prout tempore pestis conferri potest Extrema unctio cum virga oblonga? V. Inuocatio explicita Trium diuinarum Personarum essentialiter spectat ad formam Confirmationis, ut ad formam Baptismi. VI. Grecis non licet uti hac formula, Confirmerur seruus Christi, quamuis huiusmodi formula non irriter Sacramentum. VII. Apostoli non solius manus impositione, sed etiam unctio Chrismatis hoc Sacramentum conferebant.

ARTIC. II. 79
De Ministro, & Subjecto Confirmationis.

I. Episcopus Minister ordinarius hujus Sacramenti nequit simplici Sacerdoti facultatem tribuere, ut illud ministraret; sicut prius solus Pontifex ex plenitudine potestatis. II. Nequit Episcopus licite alienos subditos sine ratihabitione proprii Episcopi confirmare; Nec in aliena diocesi confirmare subditos suos, cum nequeat Pontificalia exercere sine licentia proprii Episcopi sub pa-

na suspensionis. III. Potest tamen primam Tonsuram conferre, dare benedictionem solemnem, & Missam Pontificalem canere; cum hac non veniant nomine Pontificalium. IV. Omnes Baptizati sunt capaces huius Sacramenti; sed non expedit illud conferre pueris ante usum rationis. V. Perpetuo amentibus conferendum est; dummodo non constet in amentiam illos incidisse instanti peccati mortalis. VI. Num peccet mortaliter, qui negligit hoc Sacramentum recipere?

ARTIC. ULT. pag. 82
De Effectibus, & Ritibus huius Sacramenti.

I. Præter characterem, qui est effectus secundarius, confertur primario gratia augmentum, & quidem majus, quam in Baptismo, cum jure ad divina auxilia. II. Inter ritus, & ceremonias servandas est alapa inflictio, Patrini, qui sit confirmatus, & sub mortali adhibendus; & quod vitta ligetur capiti Confirmati.

QUÆSTIO IV. 83

De Eucharistia ut Sacramento.

ARTIC. I. 84
Quid, & quotuplex sit, & quando institutum Eucharistiæ Sacramentum?

I. Variis nominibus a SS. Patribus hoc Sacramentum appellatur. II. Variisque figuris in lege veteri fuit adumbratum. III. Ex huius Sacramenti definitione sequitur, quod constituatur ex corpore, & sanguine Christi Domini, ex speciebus Sacramentalibus, atque etiam ex verbis consecratoriis. IV. Non tamen ex sumptione, seu usu. V. Eucharistia duntaxat est Sacramentum permanens, quatenus ejus materia proxima perma-

net physice, & verba moraliter. VI. Non est multiplex hoc Sacramentum, sed unum specie atoma. VII. Multiplicitas numerica huius Sacramenti unde desumatur? Et an a pluribus pariculis simul sumptis gratia uberior causetur? VIII. Quando, & quomodo Christus hoc Sacramentum instituerit? IX. Et quem ad finem?

ARTIC. II. 85

De necessitate Eucharistiæ, & obligatione illam sumendi.

I. Eucharistia sumptio non est necessaria necessitate mediæ ad salutem. II. Neque ad perseverandum in gratia. III. Etiam adulti obligantur præcepto divini sumendi, Baptismo prius suscepto, Eucharistiam. IV. Præceptum divinum procul dubio obligat ad sumendam Eucharistiam in mortis articulo. V. Quid si quis mane communicarit, & vespere incidat in articulum mortis? VI. Num possit Ecclesia privare reum aliquem Sacro Viatico ad alios perterrefaciendos? VII. Sapius etiam in vita ex divino præcepto tenemur Eucharistiam sumere. VIII. Præceptum Ecclesiasticum quos, & pro quando obliget ad communionem? IX. Pueris, & amentibus ab infantia ne in articulo quidem mortis Eucharistia administratur. Quid de pueris post usum rationis, ac de semisatis? X. Impeditur ne tempore Paschali communicent, ad quid teneantur.

ARTIC. III. 96

De Eucharistiæ Materia.

I. Quinam dicatur panis usualis, & vinum usuale? II. Panis fermentatus valide, sed illicitè a latinis consecratur, exceptis nonnullis casibus. III. Aqua vino miscenda probabilius immediate in Christi sanguinem convertitur. IV. Consecratio fieri debet sub u-

ARTICULUS V. III
De Effectibus Sacramenti
Eucharistici.

I. Quadrifariam potest Christus Dominus in Eucharistia manducari. II. Primarius Eucharistia effectus est Gratia augmentum. III. Conferitur etiam per Eucharistiam fervor charitatis, & quedam spiritualis dulcedo. IV. Nec non gratia propria Sacramentalis, seu auxilia ad culpas declinandas, & ad fomitem compescendum. V. Sicus etiam confert venialium remissionem, aliosque effectus. VI. Remissio pœna peccatis debita ex opere operato competit Sacrificio Eucharistico, non Sacramento. VII. Triplici modo ardorem concupiscentia minuit Eucharistia. VIII. Potest hoc Sacramentum neutraliter suscipi; Et per talem susceptionem satisficit praecepto de Paschali Communionem. IX. Quoniam instanti suos effectus producat Eucharistia? X. Num conferat aliquando novam gratiam Eucharistia, dum in stomacho perseverat? XI. Num gratiam maiorem, ac heterogeneam recipiat, qui communicat sub utraque specie panis, & vini, quam qui sub una tantum?

ARTIC. VI. III
De Suscipiente Eucharistiam. Quinam
sit illius capax.

I. Incapax est hujus Sacramenti, qui non est baptizatus; Sicut etiam Angeli, ac Beati; necnon adulti inviti illud suscipientes. II. Capax vero omnis baptizatus. Infantibus tamen ne in articulo quidem mortis dari debet. III. Si puer ob gulam consecratas particulas sumeret, num perciperet fructum Sacramenti? IV. Quid de perpetuo amentibus, de phreneticis, semisatis, & stolidis? V. Cur Eucharistia non soleat dari parvulis in Paschate ante circiter
de.

traque specie ex praecepto divino. v. Num possit aliquando Pontifex in divinis, positivis, & in naturalibus praeceptis dispensare? VI. Nec potest consecrari quantitas, qua non sit sine miraculo sensibilis, nec remanet consecrata, si ab Hostia dividatur. VII. Materia consecrabilis debet esse moraliter praesens, ita ut possit per pronomen, Hic, demonstrari. VIII. Quid de materia clausa in vase, aut magna nimis, ac nimis distante? IX. Materia consecranda debet esse determinata, & quomodo? X. Quid de guttis vini intra Calicem? Aut de particulis in Pyxide, si sint extra corporale, aut extra Aram? XI. Num possit aliquando, deficiente Hostia majori, consecrari particula, ne Sacrificium desit?

ARTIC. IV. IO5

De Forma Sacramenti Eucharistici.

I. Quanam sint verba essentialia pro consecratione panis. II. Recitative simul, & enunciative ea verba proferuntur. III. Dubitant Doctores, an satis sint ad validam consecrationem Calicis illa dumtaxat verba, Hic est Calix Sanguinis mei? IV. Quandonam forma consecrationis variatur substantialiter? V. Ex veritate verborum fit, quod per consecrationem habeatur Transsubstantiatio. VI. Quomodo se habeat Christus Dominus relate ad accidentia Eucharistica? VII. Christus vi verborum non adducitur, sed producitur sub speciebus. VIII. Quamdiu Christus in stomacho soleat perseverare. IX. Quid veniat sub speciebus vi verborum; quid per concomitantiam? X. Num Personalitas Patris, & Spiritus Sancti veniant per concomitantiam, saltem mediate?

decennium, dari vero debeat solidis, ac semifatnis, qui debiliori usu rationis fruuntur, quam illi parvuli.

ARTIC. VII. 120

De dispositione ex parte animi ad Eucharistiam requisita.

I. Quanta sit peccati gravitas communicare in statu peccati mortalis? II. Num sit culpa venialis ad Eucharistiam accedere cum culpis venialibus non retractatis? III. Obligatur Sacerdos quamprimum post missam confiteri, si deficiente copia Confessarii celebravit cum sola contritione de mortali, quod erat in conscientia, necessitate urgente. IV. Num dicatur esse necessitas sufficiens ad sic celebrandum, ut satisfiat precepto de Missa audienda in die festo? V. Quanam universim censenda siturgens necessitas celebrandi non praemissa confessione? VI. Ad quid tenetur, qui habens peccata reservata simul, & non reservata, nequit adire Superiorem, sed habet copiam Confessarii inferioris? VII. Num liceat simplici Sacerdoti absolvere a mortalibus indirecte? VIII. Qui post Confessionem recordatur alicujus mortalis, teneturne de novo ante Communionem confiteri? IX. Quid si quis recorderetur peccati dubii, sive dubietas sit positiva, sive negativa? X. Quandonam liceat peccatori communicare, neque Confessione praemissa, neque contritione? XI. Num liceat Laicis communicare quotidie?

ARTIC. VIII. 128

De dispositione ex parte corporis ad Eucharistiam requisita.

I. Corporis dispositio fert habitum decentem. Equites Religiosi non debent gladium deponere, dum communicant. Lepra reddit Sacerdotem irregularem propter horrorem circumstantium. II. Pollutio nocturna quandonam impedit com-

munionem? III. Pollutio voluntaria, ac fornicatio quamdiu post confessionem impediatur Communionem? IV. Jejunium naturale excludit materia parvitatem; Musca si casu trajiciatur, veluti per modum salivae, non frangit jejunium naturale, secus vero si de industria. Sicut sanguis e gingivis effluens trajicitur per modum salivae, secus vero, si e digito vulnerato sugatur. V. Quid de auro, creta, cera, nuce avellana, & similibus? VI. Quid de Saccharo vespere ori imposito ad leniendam ranciditatem? VII. Quid de Herba sancta, seu tabaco, quod sive in pulvere, sive in fumo sumatur, sive ore in folio? VIII. Qui post prudens examen adhuc dubitat, num jejunium naturale violaverit, probabiliter potest communicare. IX. Connumerantur plures casus, in quibus licitum est non jejunare communicare.

ARTIC. IX. 134

De tempore, loco, & aliis ad Eucharistiam spectantibus.

I. Tempus communioni congruum quondam sit? II. Communio precepta tempore Paschali fieri debet in propria Parochia, aut in Cathedrali. III. Licentia Parochi praesumpta num sufficiat, ut possit quis alibi communicare? Et quare talis licentia praesumpta non satis sit ad administrandum Penitentiae Sacramentum? IV. Quandonam liceat circa irreverentiam post communionem expuere, aut comedere? V. Et quando similiter liceat vomitum provocare? VI. Num liceat eodem die petere debium?

ARTIC. X. 137

De Ministro Eucharistiae.

I. Num possit Laicus semet communicare in extrema necessitate? II. Num pariter Sacerdos etiam devotionis causa

ARTIC. II. 150

Quanam sint partes essentielles nostri Sacrificii? Quanam res oblata? & Quis sit offerens?

I. Probabilius Missa Sacrificium in sola Consecratione consistit. II. In presenti providentia essentialiter requiritur utriusque speciei consecratio. Num Innoc. VIII. permisit Norvegis, ut in solo pane consecrarent? III. Res oblata in hoc Sacrificio principaliter est Christus Dominus, ea tamen a speciebus panis, & vini integratur, nullatenus vero a panis, & vini substantia. IV. Principalis offerens pariter est Christus Dominus, per hoc, quod ejus nomine Sacerdos offerat, & ut Christi Minister. V. Quonam pacto alii fideles sint pariter offerentes?

ARTIC. III. 153

De Effectibus hujus Sacrificii. Ubi an sit valoris infiniti?

I. Ex opere operato solum mediate, & per modum Impetrationis confertur prima gratia, & peccatorum remissio vi hujus Sacrificii. II. Remissio vero venialium etiam immediate; sicut etiam poenarum temporalium peccatis debiturum; sed an infallibiliter? III. Quatenus Impetratorium obtinet nobis etiam bona temporalia, si conducant salutem. IV. Habet hoc Sacrificium vim causativam suorum effectuum intensivo infinitam. V. Et probabiliter etiam extensivo infinitam, ut habuit Sacrificium cruentum. VI. Cur nequeat Sacerdos eadem Missa pluribus obligationibus satisfacere; si scilicet uni debeat Missam ex stipendio, alteri ex promissione, &c.

A R.

sa? III. Quanam licentia requiratur in Sacerdote ad Eucharistiam aliis administrandam? IV. Deficiente particula, potest Sacerdos partem sua hostia dare aliquando ei, qui avide petit Communionem. V. Quandonam teneatur Parochus ovibus suis Eucharistiam ministrare? VI. Num cum vita discrimine, & quomodo danda sit Eucharistia peste infectis? VII. Num possit pro Viatico dari species Vini ei, qui hostiam deglutire non potest? VIII. Num tempore Interdicti localis administrari possit Eucharistia Sacramentum? IX. Deneganda omnino Eucharistia publicis peccatoribus; Et quinam ii sint? X. Quandonam peccatori occulto debeat denegari? XI. Quid si publicus peccator in uno loco Eucharistiam petat, ubi non habetur isthac publicitas? XII. Num possit dari particula non consecrata peccatori occulto publice petenti Eucharistiam? XIII. Num sit mortale Eucharistiam in statu peccati mortalis ministrare? XIV. Unicumne sit, an multiplex peccatum ministrare successive pluribus Sacramentum Poenitentiae, aut Eucharistiae? XV. Quomodo Eucharistia sit ministranda; videlicet, quo die, hora, loco, habitu &c.? XVI. An Sacerdos excommunicatus licite Eucharistiam ministret in mortis articulo?

QUÆSTIO V. 147

De Eucharistia, ut Sacrificio.

ARTICULUS I. 148

Quid sit Missæ Sacrificium.

I. Explicatur Sacrificii definitio. II. In quo differat a Sacramento Sacrificium? III. Multiplicitas antiquorum Sacrificiorum in Missa eminenter continetur. IV. Missa est vere, & proprie Sacrificium, nec aliud a Sacrificio cruento Crucis, licet alio modo.

A quibus, & quomodo fructus hujus Sacrificii participari possint?

I. Quonam pacto pro Beatis offerri possit Sacrificium? II. Valide, & licite pro non Baptizatis offertur. III. Cur anima purgantes non sint capaces fructuum Sacramentorum, sine vero capaces, ut pro iis Sacrificium offeratur? IV. Probabile est, quod illicite dumtaxat, non vero invalide pro excommunicatis vitandis offeratur. V. Num possit offerri mentaliter pro excommunicatis vitandis, si sint contriti, & per ipsos non stet, quominus absolvantur? VI. Probabilius pro excommunicatis toleratis publice offerri Sacrificium potest. VII. In Offerente requiritur intentio saltem habitualis applicandi illud ei, cui vult prodesse, quin tamen possit fructus Sacrificii suspendi. VIII. Is, pro quo offertur Sacrificium, debet esse de presenti capax, ac indigens fructu Sacrificii.

ARTIC. V. 164

De Ministro hujus Sacrificii.

I. Num circa mortale possit Sacerdos voluntarie distrabi in recitatione Horarum? II. Et an etiam in Missa celebratione? III. Sacrificium Sacerdotis celebrantis in mortali quosnam fructus parit? IV. Quoties teneatur Sacerdos quotannis celebrare? V. Parochi tenentur diebus Dominicis, & festis Missam pro Parochianis suis applicare, quin possint aliam elemosynam iis diebus recipere. VI. Quotidie celebrandum in Ecclesiis Cathedralibus, & Parochialibus, &c. VII. Num peccetur graviter omitendo unam Missam, sive ex promissione gratuita, sive ex stipendio, sive ex voto debitam? VIII. Num possit Capellanus obligatus ad celebrandum quotidie

semel singulis hebdomadibus vacare? IX. Num possit tunc pro aliis accepto novo stipendio celebrare? X. Num teneatur per alium celebrare, si forte ageret?

ARTIC. VI. 170

De tempore, loco, & aliis circumstantiis Sacrificii.

I. Die Sabbati Sancti probabiliter graves, & plures Doctores docuerunt posse privatas missas celebrari, saltem post inceptam solemnem. II. Quid dicendum post decretum Alexandri VIII. anno 1690? III. Quando liceat pluries eadem die celebrare? IV. Quanam sit hora ad celebrandum permessa? V. Ubi locus sit aptus ad celebrandum, quid requiratur? VI. Quanam satisfactio precepto audiendi missam die festo, audiendo illam in Oratoriis privatis? VII. Num liceat in mari, aut in flumine celebrare? VIII. Quid si Ecclesia tempore celebrationis polluat, & quomodo contringere potest, ut polluat? IX. Quanam Ara requiratur, & qualis debeat esse calix cum patena? X. Quid de vestibus sacris? XI. De aliis ad Sacrificium requisitis.

ARTICULUS VII. 181

De ritu in celebratione servando.

I. Num sit mortale negligere Rubricas in Missali prescriptas? II. Num teneatur Capellanus Missas votivas juxta devotionem dantis stipendium celebrare, si non consonent Rubricis? III. Num saltem possit aliquando missas hujusmodi celebrare? IV. In quibus casibus licite missa interrumpitur? V. Quomodo supplendi substantiales defectus, aut errores facile occurrentes in celebratione Missae? VI. Quid si Sacra species evomantur? VII. Quomodo supplendi defectus accidentales? VIII. Quid si particula Hostia

stia remaneat in fundo calicis, aut palato adhaereat?

ARTICUL. ULT. 187

De Missa Stipendio.

I. Qua de causa Stipendium pro Missa licite sumatur? II. Justum Missae stipendium quodnam sit? III. Num diebus festis accipi possit stipendium majus, quam diebus profestis? IV. Possit ne pro eadem Missa duplex stipendium accipi, alterum scilicet pro Officiatura, alterum pro applicatione Sacrificii? V. Quid si alter petat Impetrationem, alter Satisfactionem Sacrificii? VI. Num possit Beneficiarius, vel Capellanus, si per alium satisfaciat, dare illi solum consuetam elemosynam pro Missa? VII. Sub gravi Sacerdos, qui per alium celebrat, universim tenetur illi integram elemosynam manualement tribuere. VIII. Num Rectores Ecclesiarum possint aliquid sibi retinere pro expensis necessariis ad celebrandum? IX. Si quis plura exigua stipendia accipiat, promittendo singulis Sacrificium, poteritne eandem Missam pro eis omnibus applicando, obligationi suae satisfacere, si necessitate ductus id promiserit? X. Videtur id non licere cum secundum se, tum etiam ex decreto Urbani VIII.

QUAESTIO VI. 195

De Extrema Unctione.

ARTIC. I. 196

De Materia, & Forma hujus Sacramenti.

I. Oleum olivarum dumtaxat est materia remota hujus Sacramenti. II. Necessitate Sacramenti opus est, ut illud sit benedictum. III. Proxima materia est Unctio, qua fieri solet in formam
Pars V.

Crucis. IV. Unctiones a Florentino enumeratae sunt septem: At non omnes sunt de essentia Sacramenti. V. Quomodo caecus, & surdus inungendi sunt? Et quid tempore pestis? VI. Forma proferri debet deprecatorio modo. VII. Quenam verba sint essentialia, ac de necessitate Sacramenti? VIII. Num sensus, qui inungitur, exprimendus sit?

ARTIC. II. 199

De Ministro hujus Sacramenti.

I. Solus Sacerdos illud ministrare valide potest, etiamsi sit excommunicatus. II. Probabiliter potest valide a pluribus Sacerdotibus relate ad diversas unctiones ministrari. III. A Sacerdote proprio ministrari debet, nisi necessitas urgeat. IV. Num Parochus sub mortali teneatur Sacramenta Extremae Unctionis, aut Eucharistia ministrare cum periculo vita? & quando? V. An possit hoc Sacramentum sine sacris vestibus in necessitate ministrari? VI. Num aliquando tempore Interdicti ministrari possit?

ARTIC. III. 201

De Subjecto Extremae Unctionis.

I. Invalide confertur non egroto, ac de vita periclitanti, quamvis sit baptizatus, & usum rationis habuerit. II. Qui de vita periclitatur, sed non ratione aegritudinis, incapax est hujus Sacramenti. III. Probabile est, Beatissimam Virginem hoc Sacramentum suscepisse. IV. Num circa mortale negligi illud possit? V. In eadem aegritudine tunc poterit iterari, quando novum vita periculum supervenerit post congruum tempus.

Q AR-

De Effectibus Extremæ Unctionis.

I. Tridentinum hujus Sacramenti effectus recenset. II. Quinam sit effectus primarius? Num gratia corroborativa? Num peccatorum remissio? Num utrumque? III. Quid veniat nomine reliquiarum peccatorum, quæ hoc Sacramento absteruntur? IV. Quando nam Extrema Unctio causat effectus suos?

QUÆSTIO VII. 205

De Sacramento Ordinis.

ARTIC. I. *ibid.*

Quid, & quotuplex sit Ordo.

I. Multifariam definitur Ordinis Sacramentum. II. Cur septem enumerentur Ordines? III. Prima tonsura non est Ordo, sed dispositio ad Ordines. IV. Est quidem Ordo Episcopatus; sed non est Ordo distinctus a Sacerdotio; hujus tamen est extensio, & complementum. V. Potestas, quæ per Episcopatum superadditur, est inferior potestate Sacerdotali præsupposita. VI. De fide est, Sacerdotium esse Sacramentum; ac certum omnino, quod pariter Diaconatus. Communiter etiam idem docent de Subdiaconatu; & probabiliter etiam alii Ordines minores. Cur tres Ordines majores dicantur Sacri? VII. Singulorum Ordinum officia recensentur. VIII. Num peccet mortaliter universim, qui actum Ordinis solemniter exercet in statu peccati mortalis?

De materia, & forma singulorum Ordinum.

I. Materia, & forma Ordinum non fuit universim in specie atoma a Christo Domino determinata. II. Recensentur singulorum Ordinum materia, & forma. III. Materia Subdiaconatus probabiliter conflatur ex duplici materia partiali; sicut materia Diaconatus. IV. Num valide in Ecclesia Latina conferatur Diaconatus per solam manuum Episcopi impositionem, sicut in Ecclesia Græca? V. Num Neo-Sacerdoti per impositionem manuum Episcopi in fine Missæ conferatur nova potestas? Et num sine illa posset in casu necessitatis absolutionem Sacramentalem impendere sub conditione? VI. Num satis sit, quod moraliter tangantur instrumenta, quæ ab Episcopo traduntur Ordinando? VII. Num valide ordinentur Subdiaconi, si in calice sit vinum; aut Sacerdos, si desit vinum in calice?

ARTICULUS III. 214

De Ministro Ordinum.

I. A quonam possint valide, & licite Ordines conferri? II. Quisnam dicatur Episcopus proprius? Episcopus originis quisnam sit, juxta constitutionem Innoc. XII. Quinam domicilii? & Quinam Beneficii, juxta eandem constitutionem. III. Potest unus Ordo a proprio Episcopo, verbi gratia, domicilii, suscipi, & aliter ab altero, puta originis. IV. Litteræ dimissoriales, & testimoniales a quo danda sint? V. Collatio primæ Tonsuræ, & Confirmationis non videtur ad actus Pontificales pertinere. VI. A quonam possint Regulares ordinari? VII. Quando nam possint Ordines conferri? VIII. De Temporibus interstitiis requisitis. IX. Quisnam

nam possit in hisce interstitiis dispensare? x. Num possint Regulares omnes ordinari extra tempora tribus diebus festiuis? xi. Nomine d. ei festi, quo possunt Ordines conferri, num veniat solum festum in foro, an etiam festum in choro? xii. Transcribitur Constitutio Innoc. XII. circa ordinationes alienorum Subditorum.

ARTICULUS IV. 225

De subiecto Ordinum.

I. Diaconissa, & Presbytera non erant olim capaces Ordinum. II. Num peccet mortaliter, qui sine pravia Confirmatione Ordines suscipit? III. De Aetate in singulis Ordinibus requisita. IV. Qui ordinatur animo effugiendi forum saculare, & exemptionem a tributis, probabiliter solum venialiter peccat. V. De scientia requisita in Ordinando, ac de examine pravo; praesertim relate ad Regulares. VI. De iis, quae spectant ad titulum re-

quistum, sive Patrimonii, sive Beneficii, sive Paupertatis. VII. Num Patrimonium sicte donatum sit deinde in foro Conscientiae retrodonandum?

ARTIC. ULT. 228

De Effectibus Ordinum.

I. Recensentur effectus Ordinum, & vnera iisdem annexa. II. Num peccet mortaliter Clerici non gestantes habitum, & tonsuram? III. An teneatur ad Castitatem, & ad Horas recitandas, qui Sacros Ordines coacte suscipit, & vi metus iniusti? IV. Infantes in Sacris ordinati quandonam ad Castitatem teneantur? Et quid de ordinatis ante pubertatem? V. Ordinati in Sacris ex voto ne, an ex precepto etiam Ecclesia ad Castitatem obligentur? VI. Num ex voto teneatur, qui scienter ordinatur ignorando Ordini Sacro annecti votum castitatis? VII. Qualis debeat esse Habitus Clericorum?

F I N I S.

Q 2 IN.

I N D E X RERUM NOTABILIVM,

Quæ in hoc Morali Opusculo de Sacramentis
continentur.

Prior numerus denotat Quæstionem; Alter Articulum; Tertius
numerum marginalem.

A

- A**bsolvens successive plures in statu peccati mortalis, unumne, an plura peccata committit? 4. 10. 14
Adulti, muti, ac surdi quandonam possint baptizari. 2. 6. 7
Adulto dormienti, vel ei, qui incidit in amentiam post usum rationis, invalide confertur Ordo Sacer: secus vero infanti, ac perpetuo amenti. 1. 7. 3
Adultus, qui non fuerit perpetuo amentis, si casu Eucharistiam sumat, materialiter illam sumit. 1. 7. 3. At perpetuo amentes, non secus ac pueri possunt hoc Sacramentum fructuose suscipere. 1. 7. 3. Quid si casu Eucharistiam sumant? 4. 6. 3. His tamen, ne in articulo quidem mortis, nunc ex tacito Ecclesie præcepto conferri potest. 4. 2. 9. & 1. 7. 5.
Amentibus conferenda est Confirmatio. 3. 2. 5.
Amentes perpetuo invitis parentibus baptizari possunt. 2. 6. 7
Amentes, qui casu Eucharistiam manducant, num gratiæ augmentum recipiant? 4. 6. 4
Amor Dei super omnia ad gloriam perducere non potest, nisi a fide supernaturali procedat. 2. 6. 7
Apostoli in quonam sensu dicantur Confirmationem contulisse manuum impositione. 3. 2. 6., & quod Baptisma contulerint in nomine Christi. 2. 4. 2
Applicatio Sacrificii a Sacerdote quando, & quomodo fieri debeat? 5. 4. 7
Ara Sacra quandonam benedictionem amittat? 4. 7. 9
Attentio requisita in recitatione Hora-

rum, auditione Missæ, &c., quænam sit. 5. 5. 1. Num sufficiat sola attentio externa. *ibid.*

B

- B**aptismi multiplex nomenclatura. 2. 1. 1.
Baptismi forma. 2. 4. 1. Baptismi Minister. 2. 5. 1. Infidelium filii quandonam possint baptizari. 2. 6. 2. Perpetuo amentes invitis parentibus baptizari possunt. 2. 6. 7. Quid de mutis, & surdis adultis? *ibid.* Excitandi sunt isti ad fidem supernaturalem, sine qua fructuose baptismus suscipi non potest. *ibid.*
Baptismi effectus primarii quinque enumerantur. 2. 7. 1. Tres alii secundarii, *ibid.* Ritus præscripti in baptismo sub mortali servandi sunt, nisi excuset parvitas materiæ. 2. 7. 2. Probabilius effectus supernaturales ab iis causantur ex opere operantis. 2. 7. 3. Patrinus in Baptismo solemnè adhibendus est. 2. 7. 4. Si adhibeatur in baptismo privato in necessitate, num pariat cognitionem spiritualem. *ibid.*
Baptismus fluminis dumtaxat est Sacramentum imprimens characterem, non vero sanguinis, aut flaminis. 2. 1. 2. In quibus differant baptismus sanguinis, & fluminis? 2. 1. 3. Ejus origo, & necessitas. 2. 2. 1. Ante Baptismum quomodo originale tollebatur? 2. 2. 4. Baptismi materia remota. 2. 3. 1. Eiusdem materia proxima. 2. 3. 3
Baptismus num possit conferri infanti nondum egresso ex utero matris. 1. 7. 2.

Ba.

Baptismus quomodo tempore Apostolorum conferebatur in nomine Jesu Christi. 1.3.6
 Benedictio Corporalium, & Sacrarum vestium quibusnam ex Privilegio competat? 5.6.10. Quandonam talis benedictio amittatur? ibid.

C

Ceremonia, & ritus in Sacramentis conferendis, & in Sacrificio, aliæ sunt essentielles, aliæ accidentales. 1.9.3. Num ceremoniæ Sacramentales aliquem effectum causent ex opere operato. 1.9.5
 Ceremoniæ in baptismo præscriptæ servandæ sunt sub mortali; nisi parvitas materiæ excuset. 2.7.2. Quæ probabilis causant effectus supernaturales ex opere operantis. 2.7.3
 Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, num possit semel in hebdomada vacare? 5.5.8. Num etiam possit tunc pro aliis novo accepto stipendio celebrare. 5.5.9. Capellanus infirmus num teneatur supplementum ponere, si ægrotudo sit brevis? 5.5.10. Quid si culpa sua sit excommunicatus? ibid. Num peccet mortaliter, si obligatus per se ipsum celebrare celebret per alium? ibid.
 Capellanus num possit semper missas votivas legere ad arbitrium dantis stipendium? 5.7.2
 Characteres Sacramentorum, quomodo inter se connectantur? 1.6.2. Quinam sit effectus, & quenam proprietates characteris? 1.6.3. Beatissima Virgo capax fuit characteris Baptismi, & Confirmationis. 1.6.1. Non tamen Christus Dominus, ibid. Cur a tribus dumtaxat Sacramentis character imprimatur? 1.6.4
 Christus Dominus quomodo sit in Eucharistia? 4.4.6
 Circumcisio quomodo gratiam contulerit? 1.1.7
 Cingulum Sacrum quandonam benedictionem amittat? 5.6.10
 Cognatio spiritualis, quæ in Baptismo contrahitur, quid fera? 2.7.5
 Communio quotidiana quibusnam permitti possit? 4.7.11
 Communio sub utraque specie dum con-

Pars V.

ferat gratiam Sacramentalem propriam Eucharistiæ heterogeneam? 4.5.11.
 Confessarius quandonam possit indirecte absolvere a reservatis? 4.7.6
 Confessio quomodo præmittenda sit communioni. V. *dispositio*.
 Confirmatio non est conferenda pueris ante usum rationis. 3.2.4. Sed conferenda est amentibus. 3.2.5. Num sit mortale hoc Sacramentum negligere? 3.2.6.
 Confirmationis materia remota est Chrisma ex oleo, & balsamo confectum, ita ut utrumque sit de essentia Sacramenti. 3.1.1. Essentialiter etiam Chrisma debet esse ab Episcopo benedictum. 3.1.2. A Pontifice dispensari potest, quod hoc Sacramentum a simplici Sacerdote conferatur, non tamen quod ab eo Chrisma benedicatur. ibid. Materia proxima est unctio facta cum pollice Ministri in formam Crucis in fronte confirmandi. 3.1.3. Quid, si unctio fiat indice? ibid. Quid, si tempore pestis fiat per baculum, ut Extrema unctio? 3.1.4
 Confirmationis forma quænam sit. 3.1.5. Num invocatio Sanctissimæ Trinitatis sit de ejus essentia? ibid. Num valida sit hæc formula: Confirmetur servus Christi? 3.1.6. Num Apostoli per solam manuum impositionem hoc Sacramentum contulerint? ibid.
 Confirmationis Minister est Episcopus; Potest etiam illam ministrare simplex Sacerdos, ex dispensatione tamen Pontificis, non Episcopi. 3.2.1. Nequit Episcopus alienos subditos chrismare, aut proprios in diocesi aliena. 3.2.3.
 Confirmationis effectus quinam sint. 3.3.1. Quinam ritus servandi? 3.3.2. Qualis debeat esse Patrinus? ibid.
 Consecratio in una tantum specie dispenset, nec potest in hoc Pontifex non li-
 fare. 4.3.5

D

Diaconatus num valide conferri possit a Latinis per solam manuum impositionem? 1.3.7
 Dispositio requisita ad valide, ac fructuose suscipiendum Sacramentum

Q 3 quæ.

quænam sit? 1.7.9
 Dispositio requisita ad Eucharistiam suscipiendam multiplex est, tam ex parte animi, quam ex parte corporis. 4.7.1. Num sit veniale, ad Eucharistiam accedere cum veniali? 4.7.2. Num præceptum de præmittenda confessione mortalium ad Eucharistiam sit divinum, an humanum? 4.7.4. In quibus casibus possit quis communicare non præmissa confessione. 4.7.5. Quid faciat communicaturus, qui habet reservata, nec potest Superiorem adire, a quo absolvatur? 4.7.6. Quid si nec posset conteri? 4.7.10. Quænam dispositio ex parte corporis requiratur? 4.8.1. Quid de pollutione nocturna? 4.8.2. Quid de jejuniis naturali? 4.8.4. Num Tabacum frangat tale jejuniis. 4.8.7. Quid, si quis dubitet, an illud fregerit? ibid. In quibus casibus possit non jejunus communicare? 4.8.9.

E

Ecclēsia si polluatur, quid faciendum? 5.6.9
 Ecclesiastici num teneantur stare taxæ a Principe factæ in pretio rerum? 5.8.2.
 Equites Religiosi non debent gladium deponere, dum communicant. 4.8.2
 Episcopatus an sit Sacramentum distinctum a Sacerdotio? 7.1.3. Episcopalis dignitas major est Sacerdotali, non tamen potestas. 7.1.5
 Episcopi benedictio essentialiter requiritur, ut Chrisma sit materia Confirmationis. 3.1.2. Ministrari tamen Confirmatio potest a simplici Sacerdote ex dispensatione Pontificis. ibid. Non tamen ex dispensatione Episcopi. 3.2.1
 Episcopus non potest in Oratoriis Magnatum secundam missam celebrare, nec primam diebus exceptis. 5.6.5. Potest autem in domo sua etiam rusticana Oratorium constituere, in quo pluries celebretur. ibid.
 Episcopus nequit Pontificalia exercere in aliena diœcesi. 3.2.3. Num nomine Pontificalium veniat etiam Missa solemnis? ibid. Potest suo subdito in aliena diœcesi conferre primam tonsuram, non tamen Sacramentum Con-

firmationis. 3.2.2
 Episcopus nequit pro sua urbe, & diœcesi, quicquid potest Pontifex pro toto Orbe. 3.2.1
 Episcopus proprius ordinandi quinam dicatur? 7.3.2. Quinam sit Episcopus ratione originis, aut domicilii, aut beneficii post Constitutionem Innoc. XII. ibid.
 Eucharistia non est necessaria necessitate medii ad salutem. 4.2.1. Neque ad perseverandum in gratia. 4.2.2. Etiam Infideles obligantur ad Eucharistiam sumendam præcepto divino, ut eatenus etiam baptizari debeant. 4.2.3. In articulo mortis ex præcepto divino sumenda est, & sapius in vita. 4.2.4. Pro quando obliget præceptum Ecclesiasticum. 4.2.8. Ea non est danda pueris, & perpetuo amentibus, ne in articulo quidem mortis. 4.2.9. Quid de semifatuis? ibid.
 Eucharistia ne in articulo quidem mortis dari potest nunc pueris ante usum rationis, ac perpetuo amentibus ex tacito Ecclesiæ præcepto. 1.7.5. & 4.2.9.
 Eucharistia num pergat gratiam cauere, dum in stomacho perseverat, si accedat nova dispositio? 1.5.7. Num recedente fitione reviviscat? 1.5.8
 Eucharistia quoniam tempore, & loco sumi possit. 4.9.5. & 4.10.11
 Eucharistiæ materia, & forma, V. *Materia Eucharistiæ, & forma Eucharistiæ.*
 Eucharistiæ effectus quinam sint. 4.4.2. Quomodo ea remittat venialia. 4.5.5. An etiam remittat poenas culpis debitas? 4.5.6. Quomodo concupiscentiam mnuat, & in resurrectionem influat. 4.5.7. Quandonam Eucharistia sus effectus producat? 4.5.9. An dum est in stomacho? 4.5.10. Num sub utriusque specie majorem gratiam conferat, quam sub una? 4.5.11.
 Eucharistiæ nomenclatura, ejusque figuræ. 4.1.1. Per quid constituatur? 4.1.2. Est unum Sacramentum in specie atoma, sed multiplex numerice ob specierum multipliciter non physicam, sed moralem. 4.1.7. Duæ particulae non sunt duo Sacramenta partialia; secus vero species panis, & vini.

ni. ibid. Num instituta fuerit post cenam legalem Agni, & post cenam communem? 4. 1. 8. Quinam finis talis institutionis? 4. 1. 9
 Eucharistiæ quinam sit capax? 4. 6. 1.
 Quid de Infantibus, de Amentibus, de Mutis, &c. ibid.
 Eucharistiæ ministrans in mortali num peccet mortaliter? 1. 4. 4
 Eucharistiæ quænam dispositio præire debeat? V. dispositio.
 Eucharistiæ sumendi præcepto non satisficit per materialem ejus manducationem. 1. 7. 1
 Examine num debeat Episcopus subijcere Regulares, qui ad Ordines promovendi sunt. 7. 3. 4
 Excommunicatus vitandus num possit Eucharistiæ ministrare moribundo, si alius desit? 4. 10. 16
 Extrema unctio num dari possit iis, qui statim sensibus destituuntur in statu peccati mortalis? 1. 7. 6
 Extrema unctio quandonam possit tempore Interdicti ministrari? 4. 5. 8
 Extrema unctio tempore pestis fieri potest per virgam oblongam; Non tamen unctio spectans ad Sacramentum Confirmationis. 3. 2. 4
 Extreme unctio quænam sit materia, & forma? 6. 1. 1. Essentialiter oleum debet esse ab Episcopo benedictum. 6. 1. 2. Quænam unctioes sint de essentia Sacramenti? 6. 1. 4. Quænam verba formæ. 6. 1. 7. Minister est solus Sacerdos. 6. 2. 1. Parocho incumbit illud ministrare; Sed an cum vitæ periculo? 6. 2. 4. Quomodo ministrari debeat? 6. 2. 5. Incapax est hujus Sacramenti, qui nunquam usum rationis habuit. 6. 3. 1. Et qui non periclitatur de vita ratione ægritudinis. 6. 3. 2. Num Beata Virgo illud susceperit? 6. 3. 3. Num sit mortale hoc Sacramentum negligere? 6. 3. 4. Quandonam possit illud reiterari. 6. 3. 5. Quinam sint ejus effectus? 6. 4. 1. Quænam dicantur reliquæ peccatorum; & qua ratione non raro tollat hoc Sacramentum debitum mortis, & infirmitatis? 6. 4. 3. Quandonam isti effectus causentur? 6. 4. 4

Familiares non necessarii Dominis tempore Missæ, quæ dicitur in Orationis privatis, non satisfaciunt præcepto audiendi missam, si ibi audiant. Et quinam sint isti familiares? 5. 6. 6
 Festi dies, quibus ex Privilegio Ordines conferri possunt, num debeant esse festi in foro, an sufficiat, quod sint festi in choro? 7. 3. 11
 Fictio quomodo removeatur, si Sacramenta cum fictione, seu cum mortali suscipiantur, ut possint reviviscere? 1. 5. 9.
 Fides supernaturalis actualis prærequiritur ad suscipiendum fructuose Baptismum, non tamen fides supernaturalis infusa habitualis.
 Forma Eucharistiæ quænam sit, & quinam verborum sensus? 4. 4. 1. Num vi verborum veniant in hoc Sacramento concomitanter etiam Pater, & Spiritus Sanctus? 4. 4. 10

Græci baptizant sub ea forma, Baptizetur servus Christi, &c. quam valide, sed illicite adhibent Latini. 2. 4. 5. Sub diversa pariter forma ministrant Sacramentum Confirmationis. 4. 1. 6. Illicite, sed valide consecrant in azymo. 4. 3. 2. At quid si celebrent in Ecclesiis Latinorum? ibid. Aut ad dandum viaticum in extrema necessitate? ibid.
 Gratia, quæ a Sacramentis confertur, triplex est. 1. 5. 3. Ea non semper æqualiter omnibus confertur a singulis Sacramentis. 1. 5. 4. Prima gratia a Sacramentis vivorum per accidens causari probabiliter potest. 1. 5. 6. Quo tempore gratia a Sacramentis confertur? 1. 5. 7. Num gratia conferatur a Sacramento homini, qui decedit in eo ipso instanti, quo illud perficitur? 1. 5. 9. Physice ne, an moraliter gratia a Sacramentis confertur? 1. 5. 10

H

- H**abitus clericalis quinam sit? 7. 5. 6.
 Horas recitare num teneatur, qui metu injusto coactus Sacros Ordines suscepit? 7. 5. 3
 Hostia non consecrata num possit dari peccatori occulto publice Eucharistiam petenti? 4. 10. 1

I

- I**ejunium naturale qualiter frangatur? 4. 8. 4. Dubitans an illud fregerit num possit communicare? 4. 8. 8. In quibus casibus possit non jejunus communicare? 4. 8. 9
 Ignorantes onera Sacrorum Ordinum num deinde ad ea teneantur? 7. 5. 4
 Infans nondum egressus ex utero Matris num sit capax Baptismi? 1. 7. 2
 Infantes casu Eucharistiam manducantes num gratiæ augmentum recipiant? 4. 6. 3
 Infantes in Sacris ordinati num deinde teneantur ad castitatem? 7. 5. 4
 Infidelis attritus si sensibus destituatur, aut in phrenesim incidat, num possit baptizari? 1. 7. 4. Et an etiam Judæus fervans legem Moysis cum ignorantia invincibili Baptismi? *ibid.*
 Infidelium filii quandonam possint baptizari? 2. 6. 2
 Intentio coacta universim sufficit, tam in Ministro Sacramentorum, quam in fuscipiente, dempto Matrimonio. 1. 7. 4.
 Intentio habitualis sufficit regulariter in fuscipiente Sacramentum; non vero in Ministro conferente. 1. 7. 3
 Intentio indirecta non sufficit ad valide fuscipiendum Sacramentum. 1. 7. 7
 Intentio interpretativa in adulto sufficit ad valide fuscipiendam Extremam unctionem, non tamen ad valide fuscipiendos Ordines. 1. 7. 3
 Intentio interpretativa fati est in infante ad Ordines fuscipiendos, & ad Baptismum, non tamen in adulto. 1. 4. 7., & 1. 7. 3.
 Intentio, quæ requiritur in Ministro Sacramentorum, qualis esse debeat? 1. 4. 6. Et quænam in fuscipiente Sa-

- cramentum? 1. 7. 3
 Intentio virtualis quænam sit, & quænam habitualis? *ibid.*
 Intentiones si sint contrariæ, quænam debeat prævalere? 1. 4. 9
 Interdicti tempore quibusnam possit Eucharistia ministrari. 4. 10. 8
 Interstitia servanda in Ordinum susceptione. 7. 3. 8. Quinam possit in iis dispensare? 7. 3. 9
 Irregularitas non habetur in baptizato propter delictum commissum ante Baptismum, 2. 7. 1. Nec irregularitas ex defectu lenitatis ob homicidium justum ante patratum. *ibid.*
 Juramentum metu extortum obligat, non vero votum, & quare? 3. 7. 4
 Juramentum promissorium homini factum in re levi non obligat graviter; at qui juramento, aut voto Deo se obligavit audire sacrum, peccat graviter, si illud non audiat. 5. 5. 7

L

- L**aicis rationabiliter prohibetur communicatio sub utraque specie, etiam dato, quod gratia Sacramentalis propria Eucharistiæ in utraque specie esset heterogenea. 4. 5. 11
 Laico moribundo, qui hostiam deglutire non potest, poteritne vinum consecratum porrigi? 4. 10. 8
 Laicus num possit semet communicare in extrema necessitate? 4. 10. 1
 Licentia præsumpta, quæ sufficit, ut possit Parochus alienas oves communicare, non sufficit, ut possit Sacramentum Pœnitentiæ conferre. 4. 9. 3

M

- M**aria Virgo insignita fuit characterè Baptismi, & Confirmationis. 1. 6. 1. Num susceperit Extremam unctionem? 6. 3. 3
 Martyrium cur non sit Sacramentum? 2. 1. 3. Ad martyrium prærequiritur saltem attritio. 2. 1. 4. Quænam disparitas intercedat inter Baptismum fluminis, & sanguinis? 2. 1. 5. Probabiliter martyrium causat gratiam, quando accipitur vulnus lethale. 2. 1. 6. Num post acceptos martyrii fructus homo remaneat confirmatus in gratia? *ibid.*
 Ma-

Index Rerum Notabilium.

- Materia Sacramentorum** alia est remota, alia proxima. 1. 3. 1. Omnia nova legis Sacramenta constant materia, & forma. 1. 3. 2. Num; & quomodo ea fuerint a Christo Domino instituta? 1. 3. 4
- Materia Eucharistiæ** quænam sit? 4. 3. 1. Quid de hostiis rubris? Quid de fucco ex uvis passis expresso? Quid de defruto, seu vino cocto? *ibid.* Aqua vino miscenda ex necessitate solum præcepti. 4. 3. 3. Probabilius ea immediate in Christi Sanguinem convertitur. *ibid.* Materia consecranda debet esse præsens: Sed quanam præsentia? 4. 3. 7. Mustum valide, sed illicitè consecratur, at si sit in uva inclusum, etiam invalide. *ibid.* Materia consecranda debet esse determinata, & in mente Sacerdotis definita. 4. 3. 9. Quid de guttis vini intra calicem? 4. 3. 10. Quid de particulis in Pyxide clausis extra corporale? *ibid.*
- Materiæ, & formæ mutatio** quandom invalidet Sacramenta? 1. 3. 8
- Matrimonii Sacramentum** quomodo constet materia, & forma? 1. 3. 3
- Metu injusto Ordinatus** in Sacris num teneatur Castitatem servare, & Horas recitare? 7. 5. 3
- Minister Sacramentorum** quomodo debeat Sacramenta administrare? 1. 4. 11
- Minister Eucharistiæ** quinam sit? 4. 10. 1. Quandonam Parochus teneatur illam ministrare? 4. 10. 5. Quomodo possit illam tempore pestis ministrare? 4. 10. 6. Cuinam tempore Interdicti? 4. 10. 8. Quandonam indigne petenti poterit Eucharistia ministrari? 4. 10. 9. Num peccatori occulto publice petenti Eucharistiam dari possit particula non consecrata? 4. 10. 12. Num peccet mortaliter Minister, si in mortali Eucharistiam ministret? 4. 10. 13. Si successive Eucharistiam ministret pluribus, quot peccata committit? 4. 10. 14. De die, hora, & loco Eucharistiam ministrandi. 4. 10. 15. Si sacerdos non possit cum Indice, & Pollice Eucharistiam ministrare, poterit ne alios digitos adhibere? *ibid.* Si sit excommunicatus vitandus, poteritne dare Viaticum moribundo, si alius desit? 4. 10. 16. Non debet Sacerdos currere, aut sine superpelliceo, & stola, lumine &c. ad Viaticum deferendum infirmo: at ad ministrandum illi Sacramentum Pœnitentiæ tanta decencia non requiritur. 4. 10. 15
- Missæ sacrificium** quid sit? 5. 1. 1. In quo differat Sacrificium a Sacramento Eucharistico? 5. 1. 2. Partes essentielles Sacrificii missæ quænam sint? 5. 2. 1. Sumptio ne integralis quidem est pars? *ibid.* Essentialiter sit consecratio sub utraque specie. 5. 2. 2. Quænam sit res oblata, & quinam offerens? 5. 2. 3. Effectus hujus Sacrificii quinam sint? 5. 3. 1. Sacrificia pro defunctis liberè a Deo acceptantur. 5. 3. 3. Valor hujus Sacrificii num sit extensivè, & intensivè infinitus? 5. 3. 4. Pro quibus possit illud offerri? 5. 4. 1. De requisitis ex parte offerentis. 5. 4. 7. De requisitis ex parte illius, pro quo Sacrificium offertur. 5. 4. 8. Minister. V. Sacerdos. Num proficit ex opere operato, si is, pro quo offertur, sit in mortali? 5. 5. 3
- Missam celebrare** num liceat in triduo Hebdomadæ Sanctæ? 5. 6. 1. Quandonam liceat pluries eodem die celebrare? 5. 6. 2. Quanam hora liceat celebrare? 5. 3. 4. Quonam loco? 5. 6. 5. Num in mari, aut in flumine? 5. 6. 7. Quid si tempore celebrationis Ecclesia polluatur? 5. 6. 8. Quanam ara requiratur? 5. 6. 9. Quinam calix? *ibid.* Quænam Sacræ Vestes? 5. 6. 10. A quibus ex privilegio benedici possint? *ibid.* Quonam ritu Missa celebranda sit? 5. 7. 1. An peccet mortaliter, qui rubricas omnino negligit? 5. 7. 2. Quandonam Missa interrumpenda sit? 5. 7. 4. Quando repetendum, si quid omisum fuerit? 5. 7. 5
- Missam omittens alteri promissam** num peccet mortaliter? 5. 5. 7. Quid si diu differat huic debito satisfacere? *ibid.*
- Mutis, ac Surdis** quomodo Eucharistia sit conferenda? 4. 6. 4. Quomodo vero Baptismus, si sint adulti? V. Baptismus.

o

Oratoria privata Magnatibus concessa differunt ab Oratoriis privatis Episcoporum. 5. 6. 5. Quinam dicantur familiares actu non necessarii domi-

- minis, qui non satisfaciunt præcepto audiendi missam, si illam audiant in Oratoriis privatis? 5.6.6
- Ordinati in Sacris ex votone an ex præcepto Ecclesiæ, an ex utroque ad castitatem teneantur? 7.5.5
- Ordinatus per metum gravem ad continentiam non tenetur. 1.7.4
- Ordinum actus exercens solemniter in mortali num peccet mortaliter? 1.4.4.
- Ordinis Sacramentum quid, & quotuplex sit. 7.1.1. Episcopatus, & prima tonsura an sit Sacramentum? 7.1.3.
- Quodnam sit singulorum Ordinum exercitium? 7.1.7. Num sit mortale univèrsim Ordines in mortali exercere? 7.1.8. Ordinum singulorum materia, & forma quænam sit? 7.2.2.
- Diaconatus materia alia apud Græcos, & alia apud Latinos. 7.2.4. Num valide apud Latinos conferatur Diaconatus ritu Græcorum? ibid. Num Neosacerdotes valide absolvere possint statim post acceptam potestatem consecrandi? 7.2.5. Num requiratur physicus contactus materiæ ad valide suscipiendos Ordines? 7.2.6
- Ordinum effectus quinam sint? 7.5.1. Quænam sint immunitates, & quænam onera Clericorum? 7.5.2. Num teneatur castitatem servare, & Horas recitare, qui metu gravi injusto cogitur Sacros Ordines suscipere? 7.5.3. Quid de infantibus ordinatis in Sacris? 7.5.4. Quid de Ordinatis ante pubertatem? ibid. Ignorantes onera Ordinum num ad illa deinde teneantur? ibid.
- Ordinum Minister quinam sit? 7.3.1. De licentia Papæ potest simplex sacerdos Ordines minores conferre, sed non majores. ibid. Quinam dicatur Episcopus originis, aut Domicilii, aut Beneficii post ultimam Constitutionem Innocentii XII. 7.3.2. Quinam possit literas dimissoriales concedere? 7.3.4. Quinam testimoniales? 7.3.5. Quonam tempore possint Ordines conferri? 7.3.7. Quænam interstitia servari debeant? 7.3.8. Refertur Constitutio Innoc. XII. qua tolluntur abusus in Ordinum susceptione. 7.3.12. Titulus requisitus ad licite Ordines suscipiendos est triplex. 7.4.6. Si paritrimonium sit fictum, quænam pene incurrantur? ibid. Ordinatus, qui promisit, se retrodonaturum Patrimonium, num teneatur stare promissis? 7.4.7
- Ordo Sacerdotalis sub conditione iterandus est, si collatus sit juxta opinionem probabilem minus tutam; secus vero Subdiaconatus, & Diaconatus. 7.2.7.

P

- Parochus quandonam teneatur Eucharistiam ministrare? 4.10.5. Num etiam tempore pestis, & quomodo? 4.10.6.
- Parochus quandonam teneatur offerre pro suis ovibus Sacrificium, nullo alio accepto stipendio? 5.5.5
- Patrimonium fictum quas pænas ferat? 7.4.6. Num invalide Patrimonium verum alienetur sine licentia Episcopi? 7.4.6. Num Patrimonium teneatur retrodonare Ordinatus, si culpabiliter id promiserit donanti? 7.4.7
- Patrinus in Baptismo solemnium qualis esse debeat? 2.7.4. Si in Baptismo privato adhibeatur, num pariat cognationem spirituales? ibid. Quodnam sit Patrini munus? Unus esse debet, vel una, aut ad summum unus, & una. 2.7.6
- Patrinus in Confirmationis Sacramento qualis esse debeat? 3.3.2
- Peccata dubia num sint clavibus subijcienda. 4.7.9
- Peccatum num semper sit gravius per hoc præcise, quod sit contra virtutem præstantiorem. 4.7.1
- Pestis tempore quonam pacto ministrari possit Eucharistia? 4.10.15. Et quomodo Extrema Unctio? 3.2.4
- Pollutio nocturna quandonam communionem impediatur. 4.8.2
- Pontificalium nomine, quæ non potest Episcopus in aliena diœcesi exercere, num veniat Missa solemnium? 3.2.3
- Pontifex dispensare non potest, ut in una tantum specie fiat consecratio. 4.3.5. Potest tamen dispensare in Matrimonio rato. ibid.
- Præcepto Communionis non satisfit per Communionem sacrilegam. 4.5.8. Quid si Eucharistia neutraliter sumatur, 7.4.6.

tur, idest nec sacrilege, nec fructuo-
se? *ibid.*
Præceptum de non celebrando sub una
tantum specie, aut sine sacris vesti-
bus, aut post fractionem jejuniū
naturalis, si concurrat cum præcepto
divino de dando Sacro Viatico, u-
trum prævaleat? 4. 3. 5., 4. 8. 9., & 5.
6. 3. Quid si concurrat præceptum de
præmittenda confessione mortalium
Eucharistiæ cum præcepto audiendi
missam? 4. 7. 4. Quid si concurrat præ-
ceptum sumendi Viaticum cum præ-
cepto, quod Laici Eucharistiam non
tangant? 4. 10. 2. Aut præceptum dan-
di viaticum cum præcepto, ne ex-
communicatus vitandus Sacramenta
administret? 4. 10. 16
Promittens alteri Sacrum num peccet
mortaliter, si illud omitat, aut si diu
differat? 5. 5. 7
Publici peccatores quinam dicantur, ita
ut debeat illis Eucharistia denegari?
4. 10. 9. Quid si quis Neapoli sit pu-
blicus peccator, & Romæ occultus?
4. 10. 10.
Pyxis Sacra, & Lunula num indigeant
consecratione. 5. 7. 9

R

Regulares num teneantur stare taxæ
ab Episcopo factæ in ordine ad
Missæ stipendium? 5. 8. 2
Regulares a quonam Episcopo ordina-
ri debeant? 7. 3. 6. Num possint extra
tempora tribus diebus festivis, etiam
continuis, Sacros Ordines suscipere?
7. 3. 10. Num debeat Episcopus exa-
mini illos subijcere, antequam ordi-
nentur? 7. 3. 4
Resurrectio corporis qualiter ex Eucha-
ristia causetur? 4. 5. 7
Ritus servandus in celebratione Missæ.
5. 7. 1. Num sit mortale ritus præscri-
ptos negligere? *ibid.*
Rubricæ aliæ præceptivæ, aliæ directi-
væ. 5. 7. 1

S

Sabbato sancto num liceat privatim
celebrare? 5. 6. 2
Sacerdos, qui celebrando voluntarie di-
strahitur, num peccet mortaliter? 5.

5. 1. Quando, & quomodo applicare
debeat Sacrificium. 5. 4. 7. Num te-
neatur ad restitutionem stipendii, si
offerat Sacrificium in mortali? 5. 5. 3.
Quoties singulis annis celebrare te-
neatur? 5. 5. 4
Sacerdos non debet Eucharistiam mini-
strare moribundo sine Sacris Vesti-
bus, lumine, &c. nec valde festinan-
ter incedere. 4. 10. 15. Num possit la-
borans chiragra aliis digitis a polli-
ce, & indice Eucharistiam ministrare?
ibid. Num tempore pestis possit apto
instrumento Eucharistiam ministrare?
ibid. Num possit in necessitate Eucha-
ristiam ministrare Sacerdos excommu-
nicatus vitandus? 4. 10. 16
Sacramenta antiquæ legis quænam fue-
rint? 1. 1. 5. Num contulerint gratiam,
& quomodo. 1. 1. 7
Sacramenta num fuerint necessaria in
quocumque statu? 1. 2. 1. Quare Ba-
ptismus, & Pœnitentia sunt necessa-
ria necessitate medii, saltem in voto?
1. 2. 3.
Sacramenta instituere quinam possit?
1. 4. 1. Quinam sit eorum Minister?
1. 4. 3.
Sacramenta num sint deneganda occul-
te indignis, si petant publice? 1. 4. 5
Sacramenta suscipere quinam possit. 1.
7. 1.
Sacramenta ab indignis Ministris quan-
donam suscipi possunt. 1. 7. 10. Num
possint ea peti a Ministro parato mi-
nistrare illa in mortali? *ibid.*
Sacramentum multifariam definitur. 1.
1. 1. Discriminatur a Sacramentalibus,
& a Sacrificio. 1. 1. 2. Est signum Sym-
bolicum. 1. 1. 3. Cur Sacramenta no-
væ legis sint septem? *ibid.* & 1. 1. 1. Eo-
rum ordo. 1. 8. 2
Sacramentorum materia, & forma. V.
Materia Sacramentorum.
Sacramentum ministrans pluribus suc-
cessive in statu peccati mortalis u-
numne, an plura peccata committit?
4. 10. 14.
Sacramentorum Minister. V. *Minister*
Sacramentorum.
Sacramentorum effectus quinam sint?
1. 5. 1.
Sacramentalia quænam sint, & quem
effectum causent? 1. 9. 6
Sacrificium quid sit? V. *Missæ Sacrificium.*
Sa-

Sacrificiorum antiquorum multiplicitas .
 5. 1. 3. Quomodo illa omnia in Eucharistia eminenter contineantur? ib.
 Stipendium Missæ quonam titulo accipi possit? 5. 8. 1. Quænam theses proscriptæ sint circa stipendium Missæ? ibid. Quodnam sit stipendium justum? 5. 8. 2. Num diebus festivis accipi possit stipendium duplicatum? 5. 8. 3. Num pariter accipi possit alterum stipendium pro applicatione Missæ, alterum pro Officiatura? 5. 8. 4. Utrum alterum pro impetratione, alterum pro satisfactione? 5. 8. 5. Dubia de Missæ stipendio a S. Congregatione resoluta. 5. 8. 6. Quid possit facere, qui coacte accipit stipendium minus iusto? 5. 8. 9

T

TAbaci pulvis, seu fumus, seu folium num frangat jejunium naturale? 4. 8. 7.
 Titulus in Ordinando requisitus quinam sit? 8. 4. 6
 Transubstantiatio quid sit? Et quomodo ex veritate verborum consecratio-

nis ea habeatur? 4. 4. 1

V

Venialia ab Eucharistia quomodo remittantur? 4. 5. 5
 Venialium remissio num conferatur ex opere operato per Sacrificium Missæ etiam immediate? 5. 3. 2
 Viaticum non est dandum, si Sacerdos aliter dare illud non possit, quam consecrando in una tantum specie, aut sine vestibus sacris. 4. 3. 5. Quid tamen, si non sit jejunus? 4. 8. 9. & 5. 6. 3
 Vinum consecratum si effundatur, quid faciendum? 5. 7. 5
 Vinum consecratum num possit porrigi Laico moribundo, qui hostiam deglutire non potest? 4. 10. 8
 Votone, an præcepto Ecclesiæ teneatur ad Castitatem Ordinatus in Sacris, an potius ex utroque capite? 7. 5. 5. Quid si de tali Voto non cogitavit, dum scienter ordinatur? 7. 5. 6
 Votum metu extortum non obligat; secus vero iuramentum, & quare? 1. 7. 4.

F I N I S.